Ex libris Schuermanni junioris 1834. 4yzf.

Sara Mack

P. OVIDII NASONIS

AMATORIA

E RECENSIONE

PETRI BVRMANNI

CVM

VARIETATE LECTIONIS PRAECIPVA.

C. Schürmann

J. Burmann

PARS I.

HELMSTADII
IMPENSIS C. G. FLECKEISEN
MDCCCII.

JAC
12/1/19

LECTORI

CHRISTIAN. GOTTL. WERNSDORF

PHILOS. PROF. PVBL

S. D

Cum instituisset librarius, Amatoriorum Ouidii, quorum exempla, a reliquis Ouidii operibus seiuncta, in tabernis librariis desiderari nosset, suis typis et sumtibus editionem parare eius modi, quae textum exhiberet a librariorum pariter ac typographorum corruptelis, quam fieri posset, purissimum, essetque modico aere parabilis; non difficulter a me impetrauit, ut operam illi meam addicerem, et plagularum descriptarum periculis emendandis institutum opus adiuuarem. Itaque, missa interpretandi poëtae cura, a qua me et consilium bibliopolae et festinatio reiiceret, hoc maxime egi, ut uerba contexti ex Heinsii et Burmanni recensione accurate exscriberentur. Equidem textum Heinsii et Burmanni satis scio non adeo perpurgatum esse, ut in eo mouere aliquid et nouare religio esse debeat. Nam Heinsius quidem, etsi ei tantum debet Ouidius, quantum alii nemini, tamen nouandi libidine in diuersa ablatus et codicum quorundam auctori-

be vor den ersten Theil zu binden

tati nimium tribuens, passim uulgatam lectionem sine causa idonea sollicitauit, coniecturas suas, haud raro leues, in textum intulit, in primisque dictiones quasdam formulasque loquendi, quas in deliciis habebat, saepe alienis locis, neglecta plurimorum codicum auctoritate, Ouidio obtrusit. Burmannus autem, modestior ille quidem et circumspectior Heinsio, at non raro et ipse iudicio lapsus et in legibus criticis, quas sequitur, non satis sibi constans, contraria fere peccauit, et, quae recte ab Heinsio constituta uideri possent, praeter meritum mutauit, plura etiam, in annotatione a se probata, non ausus est in textum recipere. Enimuero, cum tot tantasque difficultates habeat hoc critici munus, ut in eo uel exercitatissimus quisque raro peritis omnibus satisfaciat; quis tam morosus sit, ut, si in corpore, caetera tam bene culto, nec sine exquisito artificio in politissimum nitorem restituto, labeculas superesse uiderit, uel e pristinis sordibus relictas, uel nimia etiam artis sollertia adspersas, iis magnopere offendatur? non facile ignoscat sospitatori Nasonis Heinsio eiusque laudis haud infeliciter aemulo Burmanno? aut quis tanta in hoc genere dexteritate sit, tantumque sibi arrogare audeat, ut, si nouam ipse textus Nasoniani recensionem instituerit, etiamsi forte manifestos quosdam Heinsii errores correxerit, tamen non aliis locis, et grauius etiam fortasse, peccet et labatur, aut peccasse certe multis uideatur, atque in tot locorum deprauatione, in tanto tot codicum dissensu, cuncta se ad sanitatem et integritatem reuocare posse opinetur? Vt taceam, Heinsii praesertim ἀξιώματα esse fere ex eo genere, quod non nisi Heinius obrepere soleat, hoc est, diuinissimi

saga-

ſagacitate ingenii, exquiſito elegantiae et uenerum poëticarum iudicio, et diffuſa doctrinae lectionisque copia cum ipſo comparandis. His cauſis commotus non dubitaui in textu Heinſio-Burmanniano acquieſcere, utpote uulgato hodie et fere recepto, praeſertim cum nouae recenſionis adiumentum deeſſet praecipuum, editionum ueterum, ab Heinſio et Burmanno non ſatis diligenter collatarum, apparatus, urgeretque operarum feſtinatio, quae omnem excutiendi ſingula diligentiam excludere uideretur. Sed ut lectionum, ab Heinſio et Burmanno receptarum fontes aperirem, et copiam facerem legentibus, ſuo quaeque iudicio expendendi, adieci lectionis uarietatem, maximam partem ex Heinſii et Burmanni opibus depromtam, et pleniorem illam quidem in locis obſcurioribus et inquinatioribus, in caeteris e maiori copia decerptam ac delibatam, omiſſis minutis multis, quales ſunt e. g. transpoſitiones uerborum, et futilibus aut monſtroſis adeo lectionibus, e quibus nemo aliquid ſani ſenſus exſculpſerit. Deinde uirorum doctorum coniecturas et emendationes ac de lectionibus quibusdam iudicia e Burmanni editione (nam Obſeruationum et Animaduerſionum libros excutere non uacabat) huc traduximus. Quod tamen, cum initio frequentius et paullo uerboſius factum eſſet, procedente opere, librarii monitu, fecimus parcius, ne in nimiam molem hic liber excreſceret.

In Heroidibus praeter lectiones, ab Heinſio et Burmanno memoratas, addidimus etiam, quas *Iacobus Fridericus Heuſinger* e quatuor Guelferbytanae bibliothecae codicibus diligentiſſime enotatas

 refert

refert in epistola ad ill. *Harlesium*, inserta *Lessingii symbolis historicis et litterariis* (*Zur Geschichte und Litteratur aus den Schätzen der Herzogl. Bibliothek zu Wolfenbüttel. Dritter Beytrag*, *Num. XV.*) Horum codicum qui primus numeratur ab Heusingero, ut aetate uincit Guelferbytanos caeteros (ad saec. XI. eam referendam putat Heusingerus), ita bonitate et auctoritate facile est cum optimis comparandus, si quidem saepius ille, quam plerique alii codices, cum Puteaneo Heinsii eiusque similibus exemplaribus consentit, nonnullas etiam peculiares scripturas habet, quibus Heusingeri sagacitas et acumen uulnera quaedam poëtae, ab Heinsio et Burmanno relicta, feliciter persanauit. Reliqui Guelferbytani, quamquam aetate et integritatis laude inferiores sunt primo, passim tamen bonas lectiones exhibent, aut uestigia certe haud obscura monstrant, quibus indagari genuina lectio queat. Quo magis gratum harum rerum amantibus speraumus nos esse facturos, si discrepantes horum codicum scripturas paullo diligentius recenseremus, praesertim in eum locum coniectas ab Heusingero, ubi multorum fortasse, quorum interest, notitiam et adspectum fugiant. Guelferbytanum quartum, quem appellamus, Heusingerus docuit eundem esse, quem Heinsius et Burmannus modo *chartaceum Scriuerii*, modo simpliciter *Scriuerianum* laudauerint, atque ex auctione librorum Petri Scriuerii cum aliis nonnullis in bibliothecam Augustam peruenisse. Hic unus de quatuor illis Sapphus epistolam continet, in plerisque antiquioribus Heroidum exemplaribus adhuc desideratam; quamquam ea ne hic quidem inter Nasonis epistolas collocatur, sed seiuncta a reliquis, nec Quidii nomine praescripto, una cum

aliis

aliis uariorum auctorum operibus eodem uolumine comprehenditur. Hunc codicem in annotatione ad epistolam Sapphus *Scriueriani*, alias fere *Guelferbytani quarti* appellatione signauimus. Praeterea Gudianus apparatus, bibliothecae Guelferbytanae insertus, duo alia obtulit epistolae Sapphus exemplaria uetusta, quarum lectiones, ab Heusingero enotatae, et ipsas hic reddidimus. Accesserunt porro lectiones editionis *Gryphianae* a. 1554. 8. quae Ouidii Amatoria, Ibin et elegiam de Nuce cum Sabini epistolis et minoribus quibusdam aliorum carminibus complectitur. Eam a Gryphiana operum Ouidii editione, quam Heinsius et Burmannus passim memorant, anni notatione distinximus, in notis tamen ad Sabini epistolas, cum saepius memoranda esset, simpliciter *Gryphianam* laudauimus.

Helmstadiensis codicis, qui in bibliotheca Academiae nostrae seruatur, lectiones non animus erat addere Est enim aetatis admodum recentis, exaratus demum a. C. 1450. post ipsa artis typographicae initia, et uitiosas plerumque scripturas, ab Heinsio aliisque dudum explosas, repraesentat, nec magnopere a reliquis, nisi nouis librarii ludibriis, differt. Sed idem inter tot deprauata passim lectiones offert non usquequaque spernendas, nec prorsus neglectus est ab Heinsio, qui excerptas ex eo uarietates passim laudauit. Quo magis mirari subiit, cum Heinsium uiderem tribus uel quatuor Heroidum locis, quae in nostro codice leguntur, suas coniecturas dicere. Igitur cum ad manus esset uarietas lectionis in Heroidibus ex hoc codice ex-

cerpta

cerpta et duobus libellis *) propoſita a *Wideburgio* noſtro, V. Cl. eam reliquae ſiluae adiicere placuit.

Caeterum minora poëmata, quae in Burmanniana aliisque editionibus Amatoriis Ouidii ſubiunguntur, ut Halieutici fragmentum, Epicedion Druſi Caeſaris et Elegia de Nuce, quia partim dubie admodum Naſoni tribuuntur, partim ad Amatoria non pertinent, excludenda hac ſylloge duximus, ne contra quam inſtituiſſet librarius pretium libri cum mole augeretur. Sabini autem epiſtolas, a Burmanno ad calcem Tomi primi reiectas, aptiori loco collocauimus et Heroiſin Ouidianis appendiculam addidimus. Scrib. Helmſtadii in Academia Iulia Carolea, pridie Kal. Nouembr. MDCCLXXXVII.

*) altero ſcholaſtico, Helmſtadii, 1779. altero academico, Reſpondente auct. *Diter. Ioach. Theod. Cunze*. Ibid. 1783.

CONTI-

CONTINENTVR

PARTE PRIMA

I. OVIDII HEROIDES Pag. 3.

II. A. SABINI EPISTOLAE TRES, tribus Ouidii epiſtolis reſpondentes 215.

PARTE ALTERA

III. OVIDII AMORVM LIBER I. 233.
LIBER II. 271.
LIBER III. 313.

IV. OVIDII ARTIS AMATORIAE
LIBER I. 361.
LIBER II. 399.
LIBER III. 435.

V. OVIDII REMEDIA AMORIS 477.

VI. OVIDII MEDICAMINA FACIEI 518.

NOTAE

NOTAE
CODICVM OVIDII SCRIPTORVM
PRIMA PARTE OBVIAE.

A. Codex Ambrosianus.
Apr. Codex Angeli Aprosii Intimelii.
Ar. Argentinensis.
Arund. Arundelianus.
Be. Bernensis.
Ball. Balliolensis.
Bas. Basileensis.
D. Codex Iani Douzae.
E. Erfurtanus.
F. Farnesianus.
Fr. Francofurtensis.
Go. Gottorpiensis.
Gr. Gronouianus.
Gu. 1. 2. 3. 4. Guelferbytanus primus, secundus, tertius, quartus.
Gud. Gudianus epistolae Sapphus. *Gudd.* Gudianus uterque.
Ha. Hafniensis.
I. Codex Iureti.
Iun. Iunianus.
L. Louaniensis.
Leid. Leidensis.
Li. Lincolniensis.
Ma. Codex Maffei.
Maz. Mazarinianus.
Me. Mentelianus.
Med. Mediceus.
Mer. Codex Merani.
Mor. Codex Moreti.
N. Codices Andreae Naugerii.
O. Oxoniensis.
P. Codex Puteani.
Pal. Codex bibliothecae Palatinae.
Pat. Patauinus.
Patr. Codex Patricii.
Pet. Codex Petauii.
R. Regius Parisiensis.
Sa. Codex Sarrauii.
Sc. et *Scr.* Scrinerianus.
Scal. Codex Scaligeri.
Str. Codex Strozzae.
V. Vaticanus.
Voss. Vossianus.
W. Wittianus.

De codicibus Ouidii a Nic. Heinsio collatis uide P. Burmanni Secundi Commentariolum de uita Heinsii, qui est in Capite Aduersar. Heinsianorum.

P. OVIDII

Der Buchbinder beliebe die

P. OVIDII NASONIS

HEROIDES

INDEX
EPISTOLARVM.

I. PENELOPE VLIXI.
II. PHYLLIS DEMOPHOONTI.
III. BRISEIS ACHILLI.
IV. PHAEDRA HIPPOLYTO.
V. OENONE PARIDI.
VI. HYPSIPYLE IASONI.
VII. DIDO AENEAE.
VIII. HERMIONE ORESTAE.
IX. DEIANIRA HERCVLI.
X. ARIADNE THESEO.
XI. CANACE MACAREO.
XII. MEDEA IASONI.
XIII. LAODAMIA PROTESILAO.
XIV. HYPERMNESTRA LYNCEO.
XV. SAPPHO PHAONI.
XVI. PARIS HELENAE.
XVII. HELENA PARIDI.
XVIII. LEANDER HERONI.
XIX. HERO LEANDRO.
XX. ACONTIVS CYDIPPAE.
XXI. CYDIPPE ACONTIO.

P. OVIDII NASONIS HEROIDES.

EPISTOLA I.

PENELOPE VLIXI.

Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Vlixe;
Nil mihi rescribas ut tamen; ipse ueni.
Troia iacet certe, Danais inuisa puellis.
Vix Priamus tanti, totaque Troia, fuit.
O utinam tunc, cum Lacedaemona classe petebat, 5
Obrutus insanis esset adulter aquis.
Non ego deserto iacuissem frigida lecto,
Nec quererer tardos ire relicta dies:
Nec mihi quaerenti spatiosam fallere noctem
Lassaret uiduas pendula tela manus. 01

 Quando

2. *Vt tamen* e coniectura Io. Frid. Gronouii lib. I. Obseruatt. 22. exhibet Burmannus. MSti et impressi plerique *Nil mihi rescribas; attamen ipse ueni.* Heusinger mauult *Nil mihi rescribas ah tamen! ipse ueni.*

3. Burm. mauult *Troia iacet per te.*

9. *Spatiosas noctes* Oxon. et Lincoln. idque praefert Burm. quia praecesserunt *tardi dies.*

10. *Lassasset* Guelf. 1.

Quando ego non timui grauiora pericula ueris!
  Res eſt ſolliciti plena timoris amor.
In te fingebam uiolentos Troas ituros:
  Nomine in Hectoreo pallida ſemper eram.
Siue quis Antilochum narrabat ab Hectore uictum; 15
  Antilochus noſtri cauſa timoris erat:
Siue Menoetiaden falſis cecidiſſe ſub armis;
  Flebam ſucceſſu poſſe carere dolos.
Sanguine Tlepolemus Lyciam tepefecerat haſtam;
  Tlepolemi leto cura nouata mea eſt. 20
Denique quisquis erat caſtris iugulatus Achiuis,
  Frigidius glacie pectus amantis erat.
Sed bene conſuluit caſto Deus aequus amori:
  Verſa eſt in cineres ſoſpite Troia uiro.
Argolici rediere duces: altaria fumant: 25
  Ponitur ad patrios barbara praeda deos.
Grata ferunt Nymphae pro ſaluis dona maritis:
  Illi uicta ſuis Troïa fata canunt.
Mirantur iuſtique ſenes, trepidaeque puellae:
  Narrantis coniux pendet ab ore uiri. 30
Atque aliquis poſita monſtrat fera praelia menſa,
  Pingit et exiguo Pergama tota mero.

Hac

16. *Cauſa doloris* MSS. Gerardi Voſſii. Francius conj. *tremoris*.

21. *In cineres* omnes Guelff. et plerique alii. *In cinerem* ſeptem Heinſ. quod magis poëticum.

27 *Nuptae* coni. Heinſius, quia *Nymphae* hoc ſenſu paullo inſolentius.

31 Pro *atque* codd. quidam *iamque*.

Hac ibat Simois: hic eſt Sigeïa tellus:
Hic ſteterat Priami regia celſa Tenis.
Illic Aeacides, illic tendebat Vlixes: 35
Hic lacer admiſſos terruit Hector equos.
Omnia namque tuo ſenior, te quaerere miſſo,
Retulerat nato Neſtor: at ille mihi.
Retulit et ferro Rheſumque Dolonaque caeſos:
Vtque ſit hic ſomno proditus, ille dolo. 40
Auſus es, o nimium nimiumque oblite tuorum,
Thracia nocturno tangere caſtra dolo;
Totque ſimul mactare uiros, adiutus ab uno.
At bene cautus eras, et memor ante mei.
Vſque metu micuere ſinus, dum uictor amicum 45
Dictus es Iſmariis iſſe per agmen equis.
Sed mihi quid prodeſt ueſtris diſiecta lacertis
Ilios? et, murus quod fuit ante, ſolum:

33. Octo codd. *haec eſt*, quod uerum putat Heinſ. Heuſingerus e Guelf. 1. 2. 4 praefert *hac eſt*.

42. *Frangere caſtra* quatuor membranae notante Heinſio, pro perfringere aut domare.

46. *Diceris* Gottorp. et Francof.

48. *Ilion* Guelf. 2. 3. et 4. atque ita legendum cenſebat Ioſ. Scaliger, feminino genere, ſicut *Granon* et *regia Pleuron* apud Silium Ital. et *Dorica Ancon* apud Iuuenal. IV, 40.

Ibid in nonnullis membranis *murus, quo fuit a.* ſ Guelf. 1. *et murus, quod fuit, eſſe ſolum*, unde Heuſingerus coni. *et, murus qui fuit, eſſe ſolum*, quia notante Heinſio libri nonnulli habent *murus qui fuit ante ſolum*.

Si maneo, qualis Troia durante manebam,
Virque mihi, demto fine carendus, abes? 50
Diruta ſunt aliis, uni mihi Pergama reſtant,
Incola captiuo quae boue uictor arat.
Iam ſeges eſt, ubi Troia fuit: reſecandaque falce
Luxuriat Phrygio ſanguine pinguis humus.
Semiſepulta uirûm curuis feriuntur aratris 55
Oſſa: ruinoſas occulit herba domos.
Victor abes: nec ſcire mihi, quae cauſa morandi,
Aut in quo lateas ferreus orbe, licet.
Quisquis ad haec uertit peregrinam litora puppim,
Ille mihi de te multa rogatus abit. 60
Quamque tibi reddat, ſi te modo uiderit uſquam,
Traditur huic digitis charta notata meis.
Nos Pylon, antiqui Neleïa Neſtoris arua,
Miſimus: incerta eſt fama remiſſa Pylo.
Miſimus et Sparten: Sparte quoque neſcia ueri. 65
Quas habitas terras, aut ubi lentus abes?
Vtilius ſtarent etiam nunc moenia Phoebi.
(Iraſcor uotis heu leuis ipſa meis!)
Scirem ubi pugnares, et tantum bella timerem:
Et mea cum multis iuncta querela foret. 70

Quid

50. *abes* Palatinus unus et alii. Guelferbytani *abeſt* cum aliis.

51. *ſoli mihi* Guelf. 3. et multi alii.

52. *accola* ſcribit Heinſius.

66. *lentus agas* in chartaceo Scriuer. nunc Guelf. 4. quod probat Heinſius, ſi *habitet* quoque reponatur ex uno Mediceo.

Quid timeam ignoro: timeo tamen omnia demens:
Et pater in curas area lata meas.
Quaecunque aequor habet, quaecunque pericula tellus,
Tam longae caufas fufpicor effe morae.
Haec ego dum ftulte meditor (quae ueftra libido eft) 75
Effe peregrino captus amore potes.
Forfitan et narres, quam fit tibi ruftica coniux,
Quae tantum lanas non finat effe rudes.
Fallar; et hoc crimen tenues uanefcat in auras:
Neue, reuertendi liber, abeffe uelis. 80
Me pater Icarius uiduo difcedere lecto
Cogit, et immenfas increpat ufque moras.
Increpet ufque licet: tua fum, tua dicar oportet
Penelope: coniux femper Vlixis ero.
Ille tamen pietate mea precibusque pudicis 85
Frangitur, et uires temperat ipfe fuas.
Dulichii Samiique, et quos tulit alta Zacynthos,
Turba ruunt in me luxuriofa, proci:
Inque tua regnant, nullis prohibentibus, aula:
Vifcera noftra tuae dilaniantur opes. 90
Quid tibi Pifandrum, Polybumque, Medontaque dirum,
Eurymachique auidas Antinoique manus,
Atque alios referam, quos omnes turpiter abfens
Ipfe tuo partis fanguine rebus alis?

81. *decedere* uel *fecedere* malebat Francius.

83. Vulgo *tua fim*, et fic Guelf. 2. 3. et 4.

90. *Dilaniantur* meliores e fcriptis: in uulgatis eft *dilacerantur*, quod et habent Guelferbytani.

Irus egens, pecorisque Melanthius actor edendi, 95
Vltimus accedunt in tua damna pudor.
Tres ſumus imbelles numero: ſine uiribus uxor,
Laërtesque ſenex, Telemachusque puer.
Ille per inſidias pene eſt mihi nuper ademtus,
Dum parat, inuitis omnibus, ire Pylon. 100
Dî precor hoc iubeant, ut, euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.
Hoc faciunt cuſtosque boum, longaeuaque nutrix:
Tertius, immundae cura fidelis harae.
Sed neque Laërtes, ut qui ſit inutilis armis, 105
Hoſtibus in mediis regna tenere ualet.
Telemacho ueniet (uiuat modo) fortior aetas:
Nunc erat auxiliis illa tuenda patris.
Nec mihi ſunt uires inimicos pellere tectis.
Tu citius uenias, portus et ara tuis. 110
Eſt tibi, ſitque precor, natus, qui mollibus annis
In patrias artes erudiendus erat.
Reſpice Laërten: ut iam ſua lumina condas,
Extremum fati ſuſtinet ille diem.

Certe

101. Heinſius e ſimilibus locis coni. *Dî, precor, o iubeant*, quia librarii *o* frequenter commutarint cum *hoc*.

105. *Armis* undecim codd. idque firmare uidetur ſequens mentio *hoſtium* et *fortior aetas* ſcil. armis tractandis. Vulgo *annis*, quod in Guelferbytanis quoque.

106. *Valet* meliores ſcripti quatuordecim; caeteri *poteſt*.

108. *Illa fouenda* Ambroſianus codex.

113. *Claudas* magna pars codd. Eadem diuerſitas eſt Ep. X, 120.

Certe ego, quae fueram te discedente puella, 115
Protinus ut redeas, facta uidebor anus.

EPISTOLA II.
PHYLLIS DEMOPHOONTI.

Hospita, Demophoon, tua te Rhodopeïa Phyllis
Vltra promissum tempus abesse queror.
Cornua cum Lunae pleno quater orbe coissent,
Litoribus nostris ancora pacta tua est.
Luna quater latuit, pleno quater orbe recreuit: 5
Nec uehit Actaeas Sithonis unda rates.
Tempora si numeres, bene quae numeramus amantes,
Non uenit ante suam nostra querela diem.
Spes quoque lenta fuit. tarde, quae credita laedunt,
Credimus: inuita nunc et amante nocent. 10
Saepe fui mendax pro te mihi: saepe putaui
Alba procellosos uela referre Notos.

116. *Vt uenias* uiginti MSS. notante Heinsio et praeterea Guelf. 1.

Epist II. u. 3. *Quater* Burm. dedit e Gronou. et Mediceo: in aliis est *semel*.

5. *Pleno* est ex Hafniensi, cui consentire suspicor Guelferbytanos, cum nullam ex iis uarietatem notauerit Heusingerus. Vulgo *toto*.

7. *Quae nos numeramus amantes* Guelf. 1.

9. *Lenta uenit* MSS. quidam, ut Ep. XVII, 108. e MSS: *spes tua lenta uenit*, et infra u. 62. *Ibid.* cod. Voss. *tarde quoque*. Locus corruptus uidetur Heinsio, qui coniicit: *Spes quoque lenta uenit, tarde (quia credita laedunt) Credimus*.

10. Guelf. 1. *inuito nunc et amore noces*. Guelf. 4. *inuita nunc in amante nocent*. Heusingerus ab Ouidio scriptum putat: *inuita nunc et amante noces*.

Thesea deuoui, quia te dimittere nollet:
Nec tenuit cursus forsitan ille tuos.
Interdum timui, ne, dum uada tendis ad Hebri, 15
Mersa foret cana naufraga puppis aqua.
Saepe deos supplex pro te, scelerate, rogaui,
Cum prece turicremis deuenerata focis.
Saepe uidens uentos coelo pelagoque fauentes,
Ipsa mihi dixi: si ualet ille, uenit. 20
Denique fidus amor, quicquid properantibus obstat,
Finxit; et ad causas ingeniosa fui.
At tu lentus abes: nec te iurata reducunt
Numina, nec nostro motus amore redis.
Demophoon, uentis et uerba et uela dedisti: 25
Vela queror reditu, uerba carere fide.
Dic mihi, quid feci, nisi non sapienter amaui?
Crimine te potui demeruisse meo.
Vnum in me scelus est, quod te scelerate recepi:
Sed scelus hoc meriti pondus et instar habet. 30

Iura,

17. 18. Vulgata codicum lectio est: *Saepe d. s. ut tu, scelerate, ualeres, Sum prece* caet. quomodo etiam Guelferbytani. Quidam habent *ut tu, scelerate, redires* uel *uenires*. Burm. dubitat, an recte dicatur *prece uenerari focis*, quare u. 17. e Regio et Leidensi recepit *pro te, scelerate, rogaui*, et u. 18. *cum prece* e Palatino et Vaticano.

27. Heinsius inuitis libris scribit *Dic mihi quid feci? si non sapienter amaui, Crimine* caet. refragante Burmanno.

Iura, fides, ubi nunc, commissaque dextera dextrae?
Quique erat in falso plurimus ore, Deus?
Promissus socios ubi nunc Hymenaeus in annos,
Qui mihi coniugii sponsor et obses erat?
Per mare, quod totum uentis agitatur et undis, 35
Per quod saepe ieras, per quod iturus eras:
Perque tuum mihi iurasti (nisi fictus et ille est)
Concita qui uentis aequora mulcet, auum:
Per Venerem, nimiumque mihi facientia tela,
Altera tela arcus, altera tela faces: 40
Iunonemque, toris quae praesidet alma maritis,
Et per tediferae mystica sacra deae.
Si de tot laesis sua numina quisque deorum
Vindicet, in poenas non satis unus eris.
At laceras etiam puppes furiosa refeci: 45
Vt, qua desererer, firma carina foret.

Regi-

31. Heinsius malebat *iura fidesque ubi sunt*.

35. Pro *et undis* decem libri teste Heinsio exhibent *iniquis*, quibus consentit Guelf. 4. Ita *uenti iniqui* occurrunt Amor. II, 11, 25. et alibi passim. Quindecim libri *et auris*, et sic etiam Guelf. 1, unde Heinsius coni. *et Euris*. Sed uoces *unda* et *aura* saepe confusae a librariis. uide Burm.

37. Plurimae membranae et priscae editt. *nisi falsus et ille est*. *Falsus* pro eo qui fallitur: *falli* autem et *ludi* dii dicuntur a periuris. Vide Heins.

39. *Facientia bella* cod. Franciscanorum Patauinus, unde Heins. coniiciebat *belli*, sed mutata sententia uulgatam retinuit. *Facere alicui* pro *facere ad aliquem* Ouidianum est.

45. Plerique codd. *Ah laceras*. Guelf. 1. et 3. *Ha laceras*. Guelf. 2. et 4. *At*, quod indignationem efficacius exprimit.

Remigiumque dedi, quo me fugiturus abires.
Heu patior telis uulnera facta meis.
Credidimus blandis, quorum tibi copia, uerbis:
Credidimus generi, nominibusque tuis: 50
Credidimus lacrymis: an et hae simulare docentur?
Hae quoque habent artes, quaque iubentur, eunt.
Dîs quoque credidimus. quo iam tot pignora nobis?
Parte satis potui qualibet inde capi.
Nec moueor, quod te iuui portuque locoque: 55
Debuit hoc meriti summa fuisse mei.
Turpiter hospitium lecto cumulasse iugali
Poenitet, et lateri conseruisse latus.
Quae fuit ante illam, mallem suprema fuisset
Nox mihi, dum potui Phyllis honesta mori. 60
Speraui melius, quia me meruisse putaui.
Quaecunque ex merito spes uenit, aequa uenit.

Fallere

47. Guelf. 1. *quod me fugiturus haberes.*

50. *Nominibusque* pro uulgato *numinibusque* reposuerunt Heins. et Io. Fr. Gronouius Obs. l. IV. c. 15. ne bis idem dicat Ouidius; sequitur enim mox: *Dîs quoque credidimus*: *genus* autem et *nomen* saepe coniunguntur. Sex scripti Heinsii et Guelf. 3. exhibent *numeribusque.*

52. Guelf. 1. *quoque iubentur.* Slichtenhorstius coni. *cumque iubentur.*

53. Vulgo *quid iam.* Puteaneus cod. *quod iam*, unde Heinsius *quo iam*, pro *cui bono*, idque genuinum esse, multis locis probare studet.

56. *Debuit haec* plures e scriptis, in his Guelf. 1. et 2. Heinsius praefert *hoc.* Vtrumque latinum est.

61. *Quia me* e quatuor librisrestituit Heinsius, quibus consentit Guelf. 1. Vulgo perperam *quia te.*

Fallere credentem non eſt operoſa puellam
Gloria: ſimplicitas digna fauore fuit.
Sum decepta tuis, et amans, et femina, uerbis. 65
Dî faciant, laudis ſumma ſit iſta tuae.
Inter et Aegidas media ſtatuaris in urbe.
Magnificus titulis ſtet pater ante ſuis.
Cum fuerit Sciron lectus, toruusque Procruſtes,
Et Sinis, et tauri, miſtaque forma uiri, 70
Et domitae bello Thebae, fuſique bimembres,
Et pulſata nigri regia coeca Dei:
Hoc tua poſt illum titulo ſignetur imago:
Hic eſt, cuius amans hoſpita capta dolo eſt.
De tanta rerum turba, factisque parentis, 75
Sedit in ingenio Creſſa relicta tuo:
Quod ſolum excuſat, ſolum miraris in illo:
Haeredem patriae, perfide, fraudis agis.

Illa

70. *Scinis* ſcripti quidam et editi. Sed *Sinis* rectum.

72. *Pulſata imi* Mentelianus alter.

73. Vulgo *poſt illos titulos*, mendoſe. Boni libri exhibent *titulo*. *Poſt illum*, quod habent excerpta Claudii Puteani pro uulgato *poſt illos*, rectius putat Heinſ. ut de Theſeo Demophoontis patre agatur. Guelf. 1. *Hoc tua poſt alios titulo.*

74. Libri quinque *hoſpite dolo*, *Hoſpes dolus*, ut *cymba hoſpes* apud Statium lib. V. Silu. Pietate Abaſcantii u. 254. et ſimilia plura paſſim. Vide Heinſ.

76. *Creſſa puella* e uetuſtis libris uult Ciofanus. Sed in *relicta* grauius πάθος eſſe uidetur Egnatio, idque praefert Burm. ob ſimilia loca Epiſt. I, 8. et Ep. III, 66.

77. *Incuſat* Guelf. 1. In Palatino mendoſe *ſolum imitaris*, unde Dan. Heinſius coni. *ſolumne imitaris*

in

Illa (nec inuideo) fruitur meliore marito;
Inque capiſtratis tigribus alta ſedet. 80
At mea deſpecti fugiunt connubia Thraces,
Quod ferar externum praepoſuiſſe meis.
Atque aliquis: doctas iam nunc eat, inquit, Athenas:
Armiferam Thracen, qui regat, alter erit.
Exitus acta probat, careat ſucceſſibus opto, 85
Quisquis ab euentu facta notanda putat.
At ſi noſtra tuo ſpumeſcant aequora remo,
Iam mihi, iam dicar conſuluiſſe meis.
Sed neque conſului, nec te mea regia tanget,
Feſſaue Biſtonia membra lauabis aqua. 90
Illa meis oculis ſpecies abeuntis inhaeret,
Cum premeret portus claſſis itura meos.
Auſus es amplecti, colloque infuſus amantis
Oſcula per longas iungere preſſa moras:

Cum-

in illo? Guelf. 2. et 4. *ſolum hoc imitaris in illo. Imitaris* gloſſema uidetur; nam *mirari* ſaepe pro probare et imitari dicitur.

82. *Quod feror* Guelf. 4. et alii.

84. *Armigeram* Guelf. 1. et 4.

87. Pro *ſpumeſcant, caneſcant* eſt in editione principe, notante Burmanno, ut Ep. III, 65.

89. *Tanget* tres libri Heinſ. et Guelf. 1. Scripti fere omnes et editt. priſcae *tangit.*

90. *Feſſaue* per disiunctiuam pro *feſſaque* emendat Micyllus probante Burm. ne τὸ *nec* e praecedentibus ſubintelligere neceſſe ſit: nam disiunctiuae, negationibus ſubiectae, et ipſae negandi uim habent.

92. *Itura tuos* MSS. plurimi, unde Heinſius coni. *ſuos.*

93. *Amanti* coni. Heinſ. atque ita chartaceus Voſſ.

Cumque tuis lacrymis lacrymas confundere noſtras, 95
Quodque foret uelis aura ſecunda, queri:
Et mihi diſcedens ſuprema dicere uoce,
Phylli, face expectes Demophoonta tuum.
Expectem, qui me numquam uiſurus abiſti?
Expectem pelago uela negata meo? 100
Et tamen expecto; redeas modo ſerus amanti:
Vt tua ſit ſolo tempore lapſa fides.
Quid precor infelix? iam te tenet altera coniux
Forſitan, et, nobis qui male fauit, amor.
Vtque tibi excidimus, nullam, puto, Phyllida noſti. 105
Hei mihi! ſi, quae ſim Phyllis, et unde, rogas.
Quae tibi Demophoon, longis erroribus acto,
Threïcios portus, hoſpitiumque dedi.
Cuius opes auxere meae: cui diues egenti
Munera multa dedi, multa datura fui. 110
Quae tibi ſubieci latiſſima regna Lycurgi,
Nomine femineo uix ſatis apta regi:

Qua

95. Francius malebat *Cumque meis lacrymis lacrymas coniungere ueſtras*, atque ita uetus codex Douzae.

98. *Fac* edit. princeps et multi ſcripti, male.

102. Guelf. 1. et 4. aliique ſcripti *Et tua ſit*, quod praefert Francius. *Ibid.* unus codex *laſſa fides*, alius *laxa* uel *laeſa*, notante Heinſio.

106. *Roges* Vaticanus et alii, *roget* Moreti.

107. Cod. Patricii Iunii *longis errantibus*, unde Heinſ. corr. *erratibus*, quod eſt etiam Metam. IV, 567.

111. *Laetiſſima* cod. Puteaneus a manu prima.

Qua patet umbrosum Rhodope glacialis ad Haemum,
Et sacer admissas exigit Hebrus aquas.
Cui mea uirginitas auibus libata sinistris, 115
Castaque fallaci zona recincta manu.
Pronuba Tisiphone thalamis ululauit in illis;
Et cecinit moestum deuia carmen auis.
Affuit Alecto, breuibus torquata colubris;
Suntque sepulcrali lumina mota face. 120
Moesta tamen scopulos fruticosaque litora calco,
Quaque patent oculis aequora lata meis.
Siue die laxatur humus, seu frigida lucent
Sidera, prospicio, quis freta uentus agat.

Et

114. Heins. coni. *Et celer*, quia *admissae aquae* sequitur, et *rapidus* uocatur *Hebrus* a Seneca Theb. 607. Similiter Amor. I, 8, 50: *Vt celer admissis labitur amnis aquis.* Pro *admissas* in quibusdam est *amissas*, quod frustra et inepte tuetur Hubertinus, in al. *emissas*, quod defendi posset. *Admissae aquae* sunt celeres, ut Epist. I, 36. *admissi equi.* Pro *exigit* in Sarrauiano cod. *exserit.*

117. *In istis* Guelf. 4.

120. MSS. quidam *limina mota.* Vossianus *lata face.*

121, 122. *Quaeque patent* est in duobus scriptis et prima edit. notante Burm. et sic etiam Guelf. 1. Pro *aequora* scripti fere omnes *litora lata*, etiam Guelf. 2. 3. et 4. nisi quod in tribus Heins. et Guelf. 1. sit *litora nota.* Hinc Burm. in praeced. uersu uitium latere suspicatur et legendum censet *fruticosaque culmina calco, Quaeque p. o. litora lata meis.* Heusingerus nihil mutat praeter interpunctionem, quam ita constituit: *Moesta tamen fruticosaque litora calco; Quaque p. o. aequora lata meis, (Siue die l. h. s. f. lucent Sidera) prospicio, quis fr. uentus agat.*

Et quaecunque procul uenientia lintea uidi, 125
Protinus illa meos auguror esse deos.
In freta procurro, uix me retinentibus undis,
Mobile qua primas porrigit aequor aquas.
Quo magis accedunt, minus et minus utilis adsto:
Linquor, et ancillis excipienda cado. 130
Est sinus, adductos modice falcatus in arcus;
Vltima praerupta cornua mole rigent.
Hinc mihi suppositas immittere corpus in undas
Mens fuit; et, quoniam fallere pergis, erit.
At tua me fluctus proiectam litora portent, 135
Occurramque oculis intumulata tuis.
Duritie ferrum ut superes, adamantaque, teque:
Non tibi sic, dices, Phylli, sequendus eram.
Saepe uenenorum sitis est mihi: saepe cruenta
Traiectam gladio morte perire iuuat. 140
Colla quoque, infidis quia se nectenda lacertis
Praebuerunt, laqueis implicuisse libet.

Stat

128. Pro *qua* Ciofanus mauult *quo*.

132. *Fronte rigent* codex Angeli Aprosis Vintimiliae et Ambrosianus.

133. *Submittere corpus* quidam; Douza *dimittere* teste Francio, qui ipse malebat *demittere*.

137. *Duritia* Guelferbytani omnes, aliique.

141. *Quae se* Guelf. 3. cum aliis.

142. *Praebuerint* scripti nonnulli, in his Guelferb. 2. *Praebuerant* Guelf. 1. et 3. Sed cod. Puteaneus optimus et quatuor alii *praebuerunt*, uere. *Ibid. libet* ex ueteribus nonnullis pro uulgato *iuuat*, quod iam praecesserat. A Guelferb. 4. totum hoc distichon abest.

Stat nece matura tenerum penſare pudorem:
In necis electum parua futura mora eſt.
Inſcribêre meo cauſa inuidioſa ſepulcro: 145
Aut hoc, aut ſimili carmine notus eris:
Phyllida Demophoon leto dedit, hoſpes amantem:
Ille neci cauſam praebuit, illa manum.

EPISTOLA III.
BRISEIS ACHILLI.

Quam legis, a rapta *Briſeide* littera uenit,
Vix bene barbarica Graeca notata manu.
Quascunque adſpicies, lacrymae fecere, lituras;
Sed tamen et lacrymae pondera uocis habent.
Si mihi pauca queri de te, dominoque uiroque, 5
Fas eſt; de domino pauca uiroque querar.

Non,

143. *Miſerum penſare pudorem* libri duo teſte Heinſ.

144 *Electu* Guelferbytani cum aliis. *Electum* e quatuordecim ſcriptis et edit. antiqua Veneta elegantius uiſum Burmanno, ab Heuſingero repudiatur ut minus rectum.

145. 146. *Inſcribende* uult Heinſ. ut aptius cum ſequentibus cohaereant. Burmannus autem mauult in pentametro *Atque hoc, aut ſimili.*

148. *Neci cauſam* e coniectura Heinſii recepit Burm. Codices *necis*. *Ibid.* Vulgo *ipſa*. Sed *illa* plurimi ſcripti, idque praefert Burm. quem uide.

EPIST III. u. 4. *Sed tamen et* Puteani et Iureti liber. Vulgo *Sed tamen hae.*

6. Heinſ. coni. *fas ſit*. *Ibid.* pro *querar* Puteaneus et Regius habent *queri*. Hinc Heinſio totus locus ita conſtituendus uidetur: *Sit mihi pauca queri de te dominoque uiroque, Fas ſi de domino pauca uiroque queri.*

Non, ego poſcenti quod ſum cito tradita regi,
Culpa tua eſt: quamuis hoc quoque culpa tua eſt.
Nam ſimul Eurybates me Talthybiusque uocarunt;
Eurybati data ſum Talthybioque comes. 10
Alter in alterius iactantes lumina uultum,
Quaerebant taciti, noſter ubi eſſet amor.
Differri potui: poenae mora grata fuiſſet.
Hei mihi! diſcedens oſcula nulla dedi.
At lacrymas ſine fine dedi, rupique capillos, 15
Infelix iterum ſum mihi uiſa capi,
Saepe ego decepto uolui cuſtode reuerti:
Sed, me qui timidam prenderet, hoſtis erat.
Si progreſſa forem, caperer ne forte timebam,
Quamlibet ad Priami munus itura nurum. 20
Sed data ſim, quia danda fui: tot noctibus abſum,
Nec repetor: ceſſas, iraque lenta tua eſt.
Ipſe Menoetiades, tunc, cum tradebar, in aurem,
Quid fles? hic paruo tempore, dixit, eris.

7. Guelf. 2. *ſim cito.* Heinſius coni. *tam cito.*

8. Guelf. 1. et 2. cum aliis *haec quoque.*

10. *Eurybatae* mauult Heinſ.

11. *Vultus* XIV. libri teſte Heinſio, quibus conſentiunt Guelf. 1. 3. et 4.

12. *Veſter ubi* uult Heinſius, uel multis libris.

16. *Infelixque* corrigit Heinſ. Idem pro uulgato *uiſa rapi* probat lectionem plurimorum codd. *uiſa capi*, quae etiam in Guelferbytanis eſt.

19. *Ne forte* e Naugerianis libris et Francofurtenſi praefert Heinſ. Vulgo *ne nocte.*

20. *Nurus* Puteaneus a manu prima.

21. *Data ſim* Puteani cod. optimus. Vulgo *ſum.*

Non repetiſſe parum eſt: pugnas, ne reddar, Achille. 25
I nunc, et cupidi nomen amantis habe.
Venerunt ad te Telamone et Amyntore nati;
Ille gradu propior ſanguinis, ille comes:
Laërtaque ſatus; per quos comitata redirem.
Auxerunt blandae grandia dona preces: 30
Viginti fuluos operoſo ex aere lebetas,
Et tripodas ſeptem, pondere et arte pares.
Addita ſunt illis auri bis quinque talenta:
Bis ſex, aſſueti uincere ſemper, equi.
Quodque ſuperuacuum, forma praeſtante puellae 35
Lesbides, euerſa corpora capta domo.
Cumque tot his (ſed non opus eſt tibi coniuge) coniux
Ex Agamemnoniis una puella tribus.
Si tibi ab Atrida pretio redimenda fuiſſem,
Quae dare debueras, accipere illa neges? 40

Qua

26. Heinſius uult *Inunc, I cupidi.*

28. *Iſte gradu* coni. Heinſius et ſic Guelf. 1

29. *Laërtaque* eſt in cod. Puteaneo et uno Vaticano. Vulgo *Laërteque*. Sic infra u. 39. *Atrida.*

30. Codd. Naugerii, Sarrauianus et Francof. habent *blanda gr. d. prece.* Puteaneus cum reliquis plerisque, etiam Guelferbytanis, *blandas preces.* Alii quatuor cum Menteliano *blandae preces*, quod genuinum putant Heinſ. et Burm. quia τὸ *grandia dona* quarti caſus ad ſequentia eſt referendum.

34. *Bis ſeptem* maior librorum pars, male. *Bis ſex*, quod habet etiam Guelf. 1. comprobant δώδεκα ἵπποι Homeri Iliad. IX, 129. a quo haec omnia tranſtulit poeta. In Micylli edit. *Bis ſeni aſſueti. Ibid.* pro *uincere* quidam cod. *currere.*

39. *Atride* Guelf. 1. 2. et 4.

40. *Neges* Scriuerianus alter et Guelf. 4. Vulgo *negas*

Qua merui culpa fieri tibi uilis, Achilſe?
Quo leuis a nobis tam cito fugit amor?
An miſeros triſtis fortuna tenaciter urguet?
Nec uenit inceptis mollior aura meis?
Diruta Marte tuo Lyrneſia moenia uidi: 45
Et fueram patriae pars ego magna meae.
Vidi ego conſortes pariter generisque necisque
Tres cecidiſſe: tribus, quae mihi, mater erat.
Vidi ego, quantus erat, fuſum tellure cruenta
Pectora iactantem ſanguinolenta, uirum. 50
Tot tamen amiſſis te compenſauimus unum:
Tu dominus, tu uir, tu mihi frater eras.
Tu mihi, iuratus per numina matris aquoſae,
Vtile dicebas ipſe fuiſſe capi.
Scilicet ut, quamuis ueniam dotata, repellas; 55
Et mecum fugias, quae tibi dentur, opes.

44. *Mollior hora* optimus Puteani codex cum aliis nonnullis, etiam Guelf. 1.

47. Vulgati *Vidi conſortes.* Guelf. 1. *Vidi et conſorter.* In duobus hic et ſequenti diſticho eſt *uidi ego*, quod mollius et uenuſtius uiſum Burm.

48. Francius coni. *quibus, quae mihi, mater erat.*

50. Plurimi MSS. *uerſantem.*

51. Quidam codd. teſte Heinſio *Nos de tot amiſſis*, forte pro *Nosque, tot amiſſis, te compenſ. unum.* Heinſius coni. *Tot tam. amiſſos te comp. uno.* Gronouius IV. Obſeru. 13. legit *Tot tam. amiſſos tecum penſauimus uno.*

55. Vulgo *repellar. Repellas* eſt in Puteaneo idque Heinſiis placet ut ſimpliciius et ſequentibus conuenientius.

56. *Dentur* ex uno Louanienſi. Reliqui *dantur.*

Quin etiam fama eſt, cum craſtina fulſerit Eos,
Te dare nubiferis linea uela Notis.
Quod ſcelus ut pauidas miſerae mihi contigit aures,
Sanguinis atque animi pectus inane fuit. 60
Ibis: et (o miſeram) cui me, uiolente, relinques?
Quis mihi deſertae mite leuamen erit?
Deuorer ante, precor, ſubito telluris hiatu,
Aut rutilo miſſi fulminis igne cremer:
Quam ſine me Phthiis caneſcant aequora remis, 65
Et uideam puppes ire relicta tuas.
Si tibi iam reditusque placent patriique penates;
Non ego ſum claſſi ſarcina magna tuae.
Victorem captiua ſequar, non nupta maritum.
Eſt mihi, quae lanas molliat, apta manus. 70
Inter Achaïadas longe pulcherrima matres
In thalamos coniux ibit (eatque) tuos.

Digna

57. *Eos* optimus Puteaneus. Caeteri omnes *hora*.

58. *Nimbiferis* Hafnienſis. *Ibid. linea uela* Vaticanus et Guelf. 3. Plurimi ſcripti, in his Guelf. 1. 2. et 4. *lintea uela* uel *uella*, unde Micyllus et Dan. Heinſius ſcribunt *lintea uelle*. Quatuor codd. *lintea plena*, quod placet Nic. Heinſio.

60. Heinſ. mauult *animae pectus inane fui*.

65. *Phthiis ſpumeſcant* Guelf. 4.

67. *Si tibi tam* malunt Gruterus et Heinſii. *Ibid.* ſcripti quidam *ſociique penates*

68. *Non ego ſim* uult Heinſ.

71. *Achaïadas* meliores libri, etiam Guelf. 1. graeco more. Multi corrupte *Achaeïdas*. Guelf. 2. et 4. *Inter et Achaidas*. Egnatius et Micyllus uolunt *Achaeïadas*.

Digna nurus ſocero, Iouis Aeginaeque nepote;
Cuique ſenex Nereus proſocer eſſe uelit.
Nos humiles, famulaeque tuae, data penſa trahemus: 75
Et minuent plenas ſtamina noſtra colos.
Exagitet ne me tantum tua, deprecor, uxor,
Quae mihi neſcio quo non erit aequa modo.
Neue meos coram ſcindi patiare capillos:
Et leuiter dicas: haec quoque noſtra fuit. 80
Vel patiare licet; dum ne contemta relinquar.
Hic mihi uae miſerae concutit oſſa metus.
Quid tamen expectas? Agamemnona poenitet irae,
Et iacet ante tuos Graecia moeſta pedes.
Vince animos iramque tuam, qui caetera uincis. 85
Quid lacerat Danaas impiger Hector opes?
Arma cape, Aeacida, ſed me tamen ante recepta:
Et preme turbatos, Marte fauente, uiros.
Propter me mota eſt, propter me deſinat ira:
Simque ego triſtitiae cauſa modusque tuae. 90

73. *Nepotis* Mediceus et edit. prima, ut ſaepe Noſter. Puteaneus *nepoti*. Sic apud Quinctil. Decl. X. 9. in MSS. datiuum reperiri notat Burm.

75. *Trahamus* Guelf. 1.

76. *Colus* Guelf. 2.

78. *Erat* eſt in Burmanniana typographi, ut uidetur, errore.

80. Gronouianus *Leniter et dicas*.

81. Al. *Et patiare*.

82. Multi codd. *concitat oſſa*. Pro *metus* alii *tremor* uel *timor*.

83. Puteaneus *Qui tamen*. Iunianus *Quod tamen*. Heinſ. coni. *Quo tamen*.

87. *Aeacida* codex alter Regius. Vulgo *Aeacide*, uel *Aeacides*, ut Guelf 1.

88. *Comprime turbatos* Guelf. 2. et 3.

89. Voſſianus, Leidenſis et Baſil. *finiet ira*, unde *finias* coni. Heinſ.

Nec tibi turpe puta precibus ſuccumbere noſtris:
Coniugis Oenides uerſus in arma prece eſt.
Res audita mihi, nota eſt tibi, fratribus orba
Deuouit nati ſpemque caputque parens.
Bellum erat: ille ferox poſitis ſeceſſit ab armis, 95
Et patriae rigida mente negauit opem.
Sola uirum coniux flexit. felicior illa!
At mea pro nullo pondere uerba cadunt.
Nec tamen indignor: nec me pro coniuge geſſi,
Saepius in dominum ſerua uocata torum. 100
Me quaedam (memini) dominam captiua uocabat:
Seruitio, dixi, nominis addis onus.
Per tamen oſſa uiri, ſubito male tecta ſepulcro,
Semper iudiciis oſſa uerenda meis;
Perque trium fortes animas, mea numina, fratrum, 105
Qui bene pro patria, cum patriaque, iacent:
Perque tuum noſtrumque caput, quae iunximus una;
Perque tuos enſes, cognita tela meis;
Nulla Mycenaeum ſociaſſe cubilia mecum
Iuro: fallentem deſeruiſſe uelis. 110

Si

91. *Putes* Guelf. 3.

95. *Bellum erat: ille ferox* Puteaneus. Vulgo *Bello erat ille ferox. Ibid.* Burm. coni. *poſitis ſeceſſerat armis.*

98. *Proh nullo pondere* coni. Gruterus probante Dan. Heinſio. Sed fruſtra. uid. Nic. Heinſium.

100. Vulgo *in domini ſ.u. torum*, quod placet Heinſio, quem uide.

104. Ianus Vlitius malebat *ſemper ſuppliciis.*

107. Vulgo *quod iunximus.* Sed Puteaneus, Mentel. alter, Francofurt. et Guelferb. rectius *quae iunximus.*

Si tibi nunc dicam: fortissime, tu quoque iura,
Nulla tibi sine me gaudia facta: neges.
At Danai moerere putant: tibi plectra mouentur:
Te tenet in tepido mollis amica sinu.
Et si quis quaerat, quare pugnare recuses: 115
Pugna nocet; citharae, uoxque Venusque iuuant.
Tutius est iacuisse toro, tenuisse puellam,
Threïciam digitis increpuisse lyram,
Quam manibus clypeos, et acutae cuspidis hastam,
Et galeam pressa sustinuisse coma. 120
Sed tibi pro tutis insignia facta placebant:
Partaque bellando gloria dulcis erat.
An tantum, dum me caperes, fera bella probabas?
Cumque mea patria laus tua uicta iacet?
Dî melius: ualidoque, precor, uibrata lacerto 125
Transeat Hectoreum Pelias hasta latus.
Mittite me, Danai: dominum legata rogabo:
Multaque mandatis oscula mixta feram.

112. *Gaudia pacta* coni. Heins.

113. *Danai te flere* coni. Francius atque ita Scriuerianus.

115. Guelf. 2. a manu prima *quaerit*. Puteaneus *Si quis nunc quaerat*. Guelf. 1. *Et quisquam quaerit, quare pugnare recuses?* quod uerum putat Heusing.

116. Vulgo *noxque Venusque*, quae idem fere notant. *Voxque Venusque* e cod. Iuniano et edit. Veneta a. 1493. recepit Burm.

121. Guelf. 3. *Si tibi. Ibid. Prae tutis* coni. Heins.

123. Quatuor codd. *bella parabas*. Guelf. 4. *bella placebant*.

124. *Tibi uicta* Guelf. 4. et Helmstad.

125. Cod. Lincoln. *librata lacerto*, quod rectius putat Heins.

Plus ego, quam Phoenix, plus, quam facundus Vlixes,
Plus ego, quam Teucri (credite) frater, agam. 130
Eſt aliquid collum ſolitis tetigiſſe lacertis,
Praeſentisque oculos admonuiſſe ſui.
Sis licet immitis, matrisque ferocior undis;
Vt taceam, lacrymis comminuêre meis.
Nunc quoque (ſic omnes Peleus pater impleat annos; 135
Sic eat auſpiciis Pyrrhus in arma tuis)
Reſpice ſollicitam Briſeïda, fortis Achille;
Nec miſeram lenta ferreus ure mora.
Aut ſi uerſus amor tuus eſt in taedia noſtri;
Quam ſine te cogis uiuere, coge mori. 140
Vtque facis, coges, abiit corpusque colorque:
Suſtinet hoc animae ſpes tamen una tui.

Que

132. Vulgo *praeſentesque oc. admon. ſinu. Praeſentisque* Puteaneus cum aliis nonnullis, etiam Guelf. 1. et 4. Idem Putean. *admonuiſſe ſinum*, et ſupra adſcriptum *uel ſuis* pro diuerſa lectione. *Praeſentique ſinus* unus Vatic. Tres alii teſte Heinſ. cum Guelf. 3. *praeſentique ſinu.* Scriuerian. prior *Praeſentisque oculis admonuiſſe ſinus.* Heinſ. legit *Praeſentisque oculis admonuiſſe ſui*, uel *mei*; nam *praeſentisque meis* erat in altero Mentel. Idem non repugnat, ſi quis Puteanei ueſtigiis inſiſtens ſcribat *Praeſentisque oculos admonuiſſe ſui*, id quod praetulit Burm.

136. Al. *ad arma.* Sed *in arma* plerique, idque ut elegantius tuetur Heinſ. *Ibid.* Guelf. 4. *in arma meis.*

139. Vulgo *At ſi. Aut ſi* Puteaneus et alii meliores, etiam Guelferbytani.

142. Guelf. 2. *haec animi.* Guelf. 4. *hoc animi. Ibid.* quatuor libri *animi ſpes t. u. mei.*

Qua si destituor, repetam fratresque uirumque:
Nec tibi magnificum femina iussa mori.
Cur autem iubeas? stricto pete corpora ferro: 145
Est mihi, qui fosso pectore sanguis eat.
Me petat ille tuus, qui, si dea passa fuisset,
Ensis in Atridae pectus iturus erat.
Ali potius serues nostram, tua munera, uitam.
Quod dederas hosti uictor, amica rogo. 150
Perdere quos melius possis, Neptunia praebent
Pergama: materiam caedis ab hoste pete.
Me modo, siue paras impellere remige classem,
Siue manes, domini iure uenire iube.

EPISTOLA IV.
PHAEDRA HIPPOLYTO.

Qua, nisi tu dederis, caritura est ipsa, salutem
Mittit Amazonio Cressa puella uiro.
Perlege, quodcunque est: quid epistola lecta nocebit?
Te quoque in hac aliquid, quod iuuet, esse potest.
His arcana notis terra pelagoque feruntur: 5
Inspicit acceptas hostis ab hoste notas.

Ter

143. *Destituar* Guelf. 2. 3. et 4.
144. Douza coni. *Nae tibi*, ut sit ironia.
149. Vulgo *At potius*. Putean. cum duobus aliis *Ah*.
154. *Iure* Putean. cum tribus aliis. Reliqui *more*.

EPIST. IV. u. 1. Guelf. 4. *Quam nisi* Regius et duo alii codd. *Quam nisi tu dederis, non est habitura, salutem.*
5. *Arcana modis* coni. Burmann. quia *notas* sequenti uersu sine ulla specie elegantiae repetatur.

Ter tecum conata loqui, ter inutilis haesit
Lingua, ter in primo deſtitit ore ſonus.
Qua licet et ſequitur, pudor eſt miſcendus amori.
Dicere quae puduit, ſcribere iuſſit Amor. 10
Quicquid Amor iuſſit, non eſt contemnere tutum:
Regnat, et in dominos ius habet ille deos.
Ille mihi, primo dubitanti ſcribere, dixit:
Scribe, dabit uictas ferreus ille manus.
Adſit, et, ut noſtras auido fouet igne medullas, 15
Figat ſic animos in mea uota tuos.
Non ego nequitia ſocialia foedera rumpam:
Fama (uelim quaeras) crimine noſtra uacat.
Venit Amor grauius, quo ſerius: urimur intus,
Vrimur; et caecum pectora uulnus habent. 20
Scilicet ut teneros laedunt iuga prima iuuencos,
Frenaque uix patitur de grege captus equus:
Sic male uixque ſubit primos rude pectus amores;
Sarcinaque haec animo non ſedet apta meo.

Ars

8. *Reſtitit ore* Louanienſ. quod praeferunt Douza et Burm. reiicit Heinſ. Tres alii *conſtitit.*

12. *Dominos* ſcripti. In edit. Micylli et aliis eſt *ſuperos*

15. 16. Francio uerbum *figat* non uidebatur reſpondere τῷ *fouet;* quare refingebat *uoras igne medullas*, *Vrat ſic* caet. Burmannus pro *figat* mauult *frangat.*

19. Quidam libri *Vrit Amor.*

20. Vnus ex Heinſianis *tacitum p. uulnus h.*

21. Cod. Ambroſianus *urunt iuga.*

23. Brouckhuſius maluit *primo r. p. amori.*

Ars fit, ut a teneris crimen condiſcitur annis: 25
Quae uenit exacto tempore, peius amat.
Tu nova ſeruatae capies libamina famae;
Et pariter noſtrûm fiet uterque nocens.
Eſt aliquid, plenis pomaria carpere ramis,
Et tenui primam deligere ungue roſam. 30
Si tamen ille prior, quo me ſine crimine geſſi,
Candor ab inſolita labe notandus erat;
At bene ſucceſſit, digno quod adurimur igni:
Peius adulterio turpis adulter abeſt.
Si mihi concedat Iuno fratremque uirumque, 35
Hippolytum uidear praepoſitura Ioui:

Iam

25. Alii *ubi a teneris*. Nouem libri teſte Heinſ. cum Guelf. 2. *ut a teneris, ut* pro *ubi*, ut ſaepe Noſter.

26. Heinſ. et Faber coni. *Cui uenit*, ſcil. amor, ut referatur ad *uenit amor grauius*. Francof. *quod uenit*, forte pro *quoi*.

27. Plerique *carpes libamina*. Guelf. 1. *carpis*. In nonnullis eſt *capies*, quod praefert Heinſ. quia *carpere* denuo eſt ſequ. diſticho, niſi quis *rapiet* fortaſſe malit. *Ibid.* multi habent *libamina formae*. Vetus edit. qua uſus Gruterus, *flammae*.

28. *Fiat* Guelf. 3.

31. Vulgati *Sed tamen*. Putean. cum plerisque al. etiam Guelf. 2. 3. et 4. *Sic tamen*, quod Scaliger et Douza probabant. Guelf. 1. *Et tamen*. Nonnulli *Si tamen*, quod placet Nauger. et Heinſ. ob ſequentia *At bene ſucceſſit* caet.

34. *Abeſt* e libro Scriueriano. Vulgo *obeſt*.

36. *Videar* Vatic. et Farneſ. unus, rectius. Vulgo *uideor*.

Iam quoque (uix credas) ignotas nitor in artes:
Eſt mihi per ſaeuas impetus ire feras.
Iam mihi prima dea eſt, cornu praeſignis adunco
Delia: iudicium ſubſequor ipſa tuum. 40
In nemus ire libet, preſſisque in retia ceruis,
Hortari celeres per iuga ſumma canes:
Aut tremulum excuſſo iaculum uibrare lacerto;
Aut in graminea ponere corpus humo.
Saepe iuuat uerſare leues in puluere currus, 45
Torquentem frenis ora ſequacis equi.
Nunc feror, ut Bacchi furiis Eleleïdes actae,
Quaeque ſub Idaeo tympana colle mouent:

Aut

37. *Credas* quinque libri teſte Heinſio et Guelf. 3. et 4. pro uulgato *credes*. *Ibid.* multi perperam *mittor in artes*. *Mutor* optimus Putean. Argent. et Guelf. 1. quod placet Heinſ. et Heuſing. Heinſius tamen etiam coni. *nitor*, quod in Menteliano et Franeof. repertum probat Burm.

38. Burmanno non placet *per feras ire*, nec *ſaeuas feras* probat. Quare coni. *per ſiluas impetus ire feras*.

39. Guelf. 2. et 4. hoc diſtichon proxime ſequenti poſtponunt. Scriuerianus liber et Guelferbytani omnes *arcu pr. adunco*.

40. *Subſequor* Putean. et Guelf. 1. cum al. nonnullis. Vulgo *ſubſequar*.

41. *Prenſisque* Puteanea excerpta et quinque libri Heinſ. it. Guelf. 1.

42. Quidam codd. *Citari celeres*, alii *Sectari*, quod placet Heinſio.

46. *Sequacis* Putean. et Scriuer. cum quatuor aliis. Vulgo *fugacis*.

47. Vulgo *Eleides*, uitioſe et contra legem metricam. Guelferbytani *Eleleides*, uti legendum eſſe iam uidit Egnatius.

48. Pro *Quaeque* Micyllus reponi uult *Quique*, ut de Gallis ſacerdotibus intelligatur. Sed de iisdem femininum quoque accipiendum eſſe docet Heinſ.

Aut quas ſemideae Dryades, Faunique bicornes,
Numine contactas attonuere ſuo. 50
Namque mihi referunt, cum ſe furor ille remiſit,
Omnia: me tacitam conſcius urit Amor.
Forſitan hunc generis fato reddamus amorem;
Et Venus e tota gente tributa petat.
Iuppiter Europen (prima eſt ea gentis origo) 55
Dilexit, tauro diſſimulante Deum.
Paſiphaë mater, decepto ſubdita tauro,
Enixa eſt utero crimen onusque ſuo.
Perfidus Aegides, ducentia fila ſecutus,
Curua meae fugit tecta ſororis ope. 60
En ego nunc, ne forte parum Minoïa credar,
In ſocias leges, ultima gentis, eo.
Hoc quoque fatale eſt: placuit domus una duabus:
Me tua forma capit, capta parente ſoror.
Theſides Theſeusque duas rapuere ſorores: 65
Ponite de noſtra bina tropaea domo.

Tem-

51. Helmſtad. *Iamque mihi*

53. Guelf. 3. et alii *reddemus*. Francius coni. *debemus*.

54. Guelferb. 2. 3. et a correctore 1. *petit*. Alii *petet*.

55 *Europen* Sarrauii liber et Guelf. 1. Vulgo *Europam*.

58. *Suo* ſcripti plerique, etiam Guelferbytani. Alii *ſuum*.

60. *Fregit tecta* alter Scriuer. *Subiit tecta* Vatic. Ambroſ. et Hafnienſis. Pro *tecta* Vlitius mallet *texta*.

61. Quidam *Minoïa dicas*, alii *credas*. Duo etiam *Minoïda*.

62. *In ſolitas* unus Heinſ.

Tempore, quo uobis inita eſt Cerealis Eleuſin,
Gnoſia me uellem detinuiſſet humus.
Tunc mihi praecipue (nec non tamen ante) placebas:
Acer in extremis oſſibus haeſit amor. 70
Candida ueſtis erat, praecincti flore capilli:
Flaua uerecundus tinxerat ora rubor.
Quemque uocant aliae uultum rigidumque trucemque,
Pro rigido, Phaedra iudice, fortis erat.
Sint procul a nobis iuuenes, ut femina, comti: 75
Fine coli modico forma uirilis amat.
Te tuus iſte rigor, poſitique ſine arte capilli,
Et leuis egregio puluis in ore decet.
Siue ferocis equi luctantia colla recuruas;
Exiguo flexos miror in orbe pedes. 80
Seu uaſtum ualido torques haſtile lacerto;
Ora ferox in ſe uerſa lacertus habet.

Siue

67. *Quo uobis* duo libri Heinſ. et Guelf. 4. idque recepit Heinſ. ut ſequenti uerſui melius haec reſpondeant. Vulgo *nobis*. Pro *inita* perperam libri nonnulli *uiſa* uel *nota*. *Ibid.* uulgo *Eleuſis*. Sed in Proſodia admodum uetuſto charactere exarata, tempore Caroli M. facta, apud Patres Societatis Ieſu Louanienſes legebatur *Eleuſin*, quod rectum eſſe, multis locis adſtruxit Heinſ. *Eleuſin* etiam codex Helmſt.

71. *Praecincti fronte* Helmſtad.

72. *Pinxerat ora* coni. Heinſius.

73. *Vocent* malit Heinſ.

79. Duo exemplaria *fugacis equi*. *Ibid.* alii *colla retorques*. Priſcae editt. et ſcripti codd. in his Guelferbytani et Helmſt. *recuruas*, quod praefert Heinſ. quia *torques* mox ſequitur.

81. *Seu lentum* Guelferbytani cum aliis. *Vaſtum* fat multi, unde Heinſius coni. *Siue actum ualido*, aut *Seu quaſſum*, niſi quis malit *iactum*. *Ibid.* pro *ualido* Ambroſianus *rigido*.

Siue tenes lato uenabula cornea ferro.
Denique noſtra iuuat lumina; quicquid agas.
Tu modo duritiem ſiluis depone iugoſis: 85
Non ſum materia digna perire tua.
Quid iuuat incinctae ſtudia exercere Dianae,
Et Veneri numeros eripuiſſe ſuos?
Quod caret alterna requie, durabile non eſt:
Haec reparat uires, feſſaque membra nouat. 90
Arcus (et arma tuae tibi ſunt imitanda Dianae)
Si nunquam ceſſes tendere, mollis erit.
Clarus erat ſyluis Cephalus, multaeque per herbam
Conciderant, illo percutiente, ferae:
Nec tamen Aurorae male ſe praebebat amandum. 95
Ibat ad hunc ſapiens a ſene Diua uiro.
Saepe ſub ilicibus Venerem, Cinyraque creatum,
Suſtinuit poſitos quaelibet herba duos.

84. Helmſt. *Denique quicquid agis lumina noſtra iuuat.* Heuſing. e Guelf. 1. ſcribit *noſtra iuuas lum.* et e Guelf. 2. 3. et 4. *quicquid agis.*

86. Tanaquil Faber coni. *Non ſum duritia.* Burm. uult *Nam ſum mat.*

87. Guelf. 3. *ſtudium.*

90. *Nouat* potiores ſcripti. Alii *leuat.*

91. Vulgo *Arcus et arma tuae tibi ſint imitanda Dianae.* Scripti nonnulli *ſunt.* Heinſ. ſcribit et diſtinguit *Arcus* (*ut arma tuae t. ſint im. Dianae*) *Si numquam* Arſit caet.

92. *Ceſſas* Guelf. 4.

93. *Per herbam* duo libri ex melioribus. Vulgo *per herbas.*

94. Alter Moreti *inciderant.* unus Heinſ. *ceciderant.* Louanienſis *deciderant.*

96. Francof. Scriuer. et quinque alii *de ſene*, ut *de conſpectu fugere* apud Phaedrum, notante Burm.

98. Heinſius coni. *quamlibet herba.*

Arſit et Oenides in Maenalia Atalanta:
Illa ferae ſpolium, pignus amoris, habet. 100
Nos quoque iam primum turba numeremur in iſta.
Si Venerem tollas, ruſtica ſilua tua eſt.
Ipſa comes ueniam: nec me ſalebroſa mouebunt
Saxa, nec obliquo dente timendus aper.
Aequora bina ſuis oppugnant fluctibus Iſthmon: 105
Et tenuis tellus audit utrumque mare.
Hic tecum Troezena colam, Pittheïa regna;
Iam nunc eſt patria gratior illa mea.
Tempore abeſt, aberitque diu Neptunius heros;
Illum Pirithoi detinet ora ſui. 110
Praepoſuit Theſeus (niſi ſi manifeſta negamus)
Pirithoum Phaedrae, Pirithoumque tibi.
Sola nec haec nobis iniuria uenit ab illo: In

101. Francius malebat *quam primum.*

103. *Salebroſa* Palatinus, unus Mediceus, et editt. priſiae. Guelferbytani cum aliis *latebroſa.*

106. Slichtenhorſtius ex Metamorph. VI. 419. coni. *claudit utrumque.* Duo ſcripti teſte Burm. et Guelf. 4. *ambit utrumque.* Burm. coni. *audit utrimque.*

108. *Gratior* e Puteaneo et aliis nonnullis recepit Burm. pro uulg. *charior*, quocum illud ſaepe permutarunt librarii.

109. *Abſitque diu* coni. Heinſius, quomodo nouentes et bonum augurium captantes loquebantur.

111. *Niſi ſi manifeſta negamus* emendauit Heinſ. e Putean. et Farneſ. qui habent *niſi manifeſto negamus.* Vulgo legitur *niſi nos manifeſta negemus*, quod etiam in Guelferbytanis. Potiores ſcripti *negamus.*

113. Vulgo legitur *Nec ſola haec ad nos*, uel *Sola nec haec ad nos*, ut Guelf. 1. et 2. Barberinus et alter Louanienſis Soc. Ieſu *Sola nec haec nobis iniuria*, quod probat Heinſ. quia haec conſtructio τοῦ *uenire* ſollennis Ouidio.

In magnis laesi rebus uterque sumus.
Ossa mei fratris claua perfracta trinodi 115
Sparsit humi: soror est praeda relicta feris.
Prima securigeras inter uirtute puellas
Te peperit, nati digna uigore parens.
Si quaeras, ubi sit; Theseus latus ense peregit:
Nec mater tanto pignore tuta fuit. 120
At ne nupta quidem, taedaque accepta iugali:
Cur? nisi ne caperes regna paterna nothus.
Addidit et fratres ex me tibi: quos tamen omnes
Non ego tollendi causa, sed ille fuit.
O utinam nocitura tibi, pulcherrime rerum, 125
In medio nisu uiscera rupta forent!
I nunc, sic meriti lectum reuerere parentis;
Quem fugit, et factis abdicat ille suis.
Nec, quia priuigno uidear coitura nouerca,
Terruerint animos nomina uana tuos. 130
Ista uetus pietas, aeuo moritura futuro,

118. *Te genuit* Guelf. 3. *Ib. Digna uigore* omnes scripti teste Heins. atque etiam Guelferbytani. Helmstadiensis tamen *fauore*.

121. *At ne nupta quidem* Francof. Guelferbytani aliique, it. uetustae editt. aliquot. Vulgo *At nec nupta quidem*.

124. *Ipse fuit* Helmst.

127. Guelf. 4. cum aliis scriptis et editis antiquior. *I nunc et meriti*. Nonnulli scripti *immeriti*, ut Guelf. 2. et 3. uel *emeriti*. Guelf. 1. *si meriti*. Putean. *ii meriti*, unde Heins. legit *I nunc, i meriti*. Excerpta Iureti et Helmstad. *sic meriti*, quod in Francof. etiam excerptis repertum praefert Burm. ut elegantius *Ibid*. Guelf. 2. 3. et 4. *uereare parentis*.

128. Heins. malebat *abdicat ipse*, quod est in Guelf. 1.

130. Iunianus cod. *animum tuum*.

Ruſtica Saturno regna tenente, fuit.
Iuppiter eſſe pium ſtatuit, quodcunque iuuaret:
Et fas omne facit fratre marita ſoror.
Illa coit firma generis iunctura catena, 135
Impoſuit nodos cui Venus ipſa ſuos.
Nec labor eſt; celare licet: pete munus ab illa:
Cognato poterit nomine culpa tegi.
Viderit amplexos aliquis; laudabimur ambo:
Dicar priuigno fida nouerca meo. 140
Non tibi per tenebras dabitur reſeranda mariti
Ianua, non cuſtos decipiendus erit.
Vt tenuit domus una duos, domus una tenebit:
Oſcula aperta dabas, oſcula aperta dabis.
Tutus eris mecum, laudemque merebere culpa; 145
Tu licet in lecto conſpiciare meo.
Tolle moras tantum, properataque foedera iunge:

Qui

132. Poſt hunc uerſum in nonnullis codd inſeritur diſtichon ſpurium et inſulſum: *Saturnus periit, perierunt et ſua iura. Sub Ioue nunc mundus: iuſſa Iouis ſequere*, uel *iuſſa tuere Iouis*. In Palat. ita legitur: *Sub Ioue mundus adeſt, iura Iouis ſequere.*

134. Slichtenhorſtius ob inſolentiam conſtruction. coni. *fratris amica ſoror*. Sed uulgatam lectionem defendit Burm. loco Horatii III. Od. 5. *Milesne Craſſi coniuge barbara Turpis maritus uixit.*

137. Heinſ. ſcribit *Non labor, et celare licet*, ut τὸ *eſt* ſubintelligatur.

139. *Amplexos* eſt e Puteaneo. Reliqui *amplexus*.

141. *Dabitur reſeranda* cod. Iunianus. Vulgo *duri reſ. mar.*

142. *Non cuſtos* meliores, in his Guelf. 1. alii *nec cuſtos*.

147. Guelf. 4. *Tolle moras, oro. Ibid.* in membrana Scriuer. et Heinſ. erat *ſociataque foedera* pro uaria lectione. Barberin. Baſil. et Guelf. 1. *properataque gaudia*, quod

Qui mihi nunc ſaeuit, ſic tibi parcat Amor.
Non ego dedignor ſupplex, humilisque precari.
Heu! ubi nunc faſtus, altaque uerba, iacent? 150
Et pugnare diu, nec me ſummittere culpae
Certa fui: certi ſi quid haberet Amor.
Victa precor, genibusque tuis regalia tendo
Brachia: quid deceat, non uidet ullus amans.
Depuduit, profugusque pudor ſua ſigna relinquit. 155
Da ueniam faſſae, duraque corda doma.
Quo mihi, quod genitor, qui poſſidet aequora, Minos?
Quod ueniant proaui fulmina torta manu?

placet Heinſio. Burmannus, ſi quid mutandum, coni. *ſperataque gaudia iunge.*

150. Libri nonnulli *Heu mihi nunc.* Excerpta Puteani *Hei mihi*, unde Heinſ. coni. *Hei mihi! quam faſtus.* Alter Moreti mendoſe *Heu! ubi nunc flatuit*, ubi forte repouendum putat Heinſ. *flatus*, ſicut *tumidi flatus* occurrunt Art. Am. 715, et apud alios, poetas praeſertim.

151. Heinſius mallet, ſi per libros ueteres liceret, *Pugnauique diu, nec.*

155. Heinſ. uel inuitis libris ſcribendum cenſet *profugusque rubor*, quod ipſi concinnius uidetur. *Ibid. relinquit* Puteaneus et alii ex melioribus: uulgo *reliquit.*

157. Vulgo legitur *Quod mihi ſit genitor*, uti in Putean. et aliis nonnullis. Quidam codd. et in his Guelf. 3. *Quid mihi ſi gen.* Guelf. 1. 2. 4. cum Helmſt. *Quid mihi ſit gen.* Quinque libri teſte Heinſ. *Quid mihi quod*, atque ita legendum cenſet Micyllus, aut certe *Quo mihi, quod gen.* perinde ut Horat. dixit: *Quo mihi fortunae, ſi non conceditur uti?* Mentelianus *Quid tibi quod g.* Dan. Heinſius uult *Quo mihi, ſi gen.* probante Nicolao, qui tamen et coni. *Quo mihi, quod gen.*

158. Helmſtad. *ueniunt. Ib.* Francof. a manu prima eleganter *proaua fulm. miſſa manu.*

Quod ſit auus, radiis frontem uallatus acutis,
Purpureo tepidum qui mouet axe diem? 160
Nobilitas ſub Amore iacet: miſerere priorum:
Et, mihi ſi non uis parcere, parce meis.
Eſt mihi dotalis tellus, Iouis inſula, Crete:
Seruiat Hippolyto regia tota meo.
Flecte feros animos. potuit corrumpere taurum 165
Mater: eris tauro ſaeuior ipſe truci?
Per Venerem, parcas, oro, quae plurima mecum eſt:
Sic numquam, quae te ſpernere poſſit, ames.
Sic tibi ſecretis agilis Dea ſaltibus adſit,
Siluaque perdendas praebeat alta feras. 170
Sic faueant Satyri, montanaque numina Panes:
Et cadat aduerſa cuſpide foſſus aper.
Sic tibi dent Nymphae (quamuis odiſſe puellas
Diceris) arentem quae leuet unda ſitim.

Adimus

159. Guelf. 2. et 4. cum quatuor aliis *frontem uelatus*. Guelf. 3. *frontem radiis uellatus*.

160. Mentelianus pro diuerſa lectione *qui uehit*.

163. *Natalis tellus* forte legendum, ideoque ſequentem uerſum pro uoto potius, quam promiſſione capiendum et in parentheſi ponendum eſſe, coniicit Burmannus, quem uide.

165. Sarrauianus, Guelf. 2. et 3. *flecte ferox*. Hoc diſtichon Ouidianae uenae non eſſe et cum praecedenti intruſum uidetur Burmanno.

170. *Siluaque praedandas* Helmſt.

171. Guelf. 4. hoc diſtichon poſt uerſ. 174. collocat. Idem pro *Satyri* habet *ſaturi*. Pro *Panes* Francof. Lincoln. et octo alii *Fauni*.

172. Alii *Sic cadat*. Sed codd. omnes *et cadat*.

174. *Ardentem* plurimi codd.

Addimus his lacrymas precibus quoque: uerba precantis 175
Perlegis; at lacrymas finge uidere meas.

EPISTOLA V.
OENONE PARIDI

Perlegis? an coniux prohibet noua? perlege: non eſt
Iſta Mycenaea littera facta manu.
Pegaſis Oenone, Phrygiis celeberrima ſyluis,
Laeſa queror de te, ſi finis ipſe, meo.
Quis Deus oppoſuit noſtris ſua numina uotis? 5
Ne tua permaneam, quod mihi crimen obeſt?
Leniter, ex merito quicquid patiare, ferendum eſt:
Quae uenit indignae poena, dolenda uenit:
Nondum tantus eras, cum te contenta marito
Edita de magno flumine Nympha fui. 10

175. Guelf. 3. *Addimus his uerbis lacrimas. Ibid.* Guelf. 4. *cum uerba precantis.*

176. *Perlegis, at* eſt e coniectura Burmanni. Vulgata ſcriptura, quam et habet Guelf. 2. a manu prima et 4. eſt *Perlegis et lacrymas.* Heinſio *perlegis* e primo uerbo ſequentis epiſt. ſubnatum uidetur et ſcribendum *Perlegito. Perlege et lacr.* tres libri teſte Heinſ. it. Guelf. 1. 3. et a correctore 2. Lincoln. *Perlege, ſed.*

EPIST. V. In nonnullis codd. huic epiſtolae ſequens diſtichon ſpurium praefixum legitur: *Nympha ſuo Paridi (quamuis meus eſſe recuſes) Mittit ab Idaeis uerba legenda iugis.*

1. Guelf. 1. *prohibet tua.*

2. Editio princeps et aliae *ſcripta manu:* ſed emendatiores et codd. Francof. et Moreti *facta.*

8. *Indignae* e Car. Strozzae libro recepit Heinſ. cui conſentiunt Guelferbyt. Vulgo *indigne.* Putean. cum excerptis Iureti *indigno.*

Qui nunc Priamides (adſit reuerentia uero)
Seruus eras: ſeruo nubere Nympha tuli.
Saepe greges inter requieuimus arbore tecti;
Miſtaque cum foliis praebuit herba torum.
Saepe ſuper ſtramen', foenoque iacentibus alto 15
Defenſa eſt humili cana pruina caſa.
Quis tibi monſtrabat ſaltus uenatibus aptos:
Et tegeret catulos qua fera rupe ſuos?
Retia ſaepe comes, maculis diſtincta, tetendi;
Saepe citos egi per iuga longa canes. 20
Inciſae ſeruant a te mea nomina fagi:
Et legor Oenone, falce notata, tua:
Et quantum trunci, tantum mea nomina creſcunt:
Creſcite, et in titulos ſurgite recta meos.
Populus eſt (memini) fluuiali conſita ripa, 25
Eſt in qua noſtri littera ſcripta memor.

Popule,

11. *Adſit reu. uero* quinque Heinſ. et Guelf. 3. Helmſt. *aſſit*. Vulgo *abſit reu. uero*, uti Guelf. 1. Guelf. 2. *adſit reu. ueri*. Guelf. 4. *abſit reu. ueri*.

16. Vulgo *Depreſſa eſt*, quomodo et Guelf. 2. et 3. Multi libri uett. *Deprenſa*, in his Guelf. 1. et 4. Hinc *Defenſa* ſcribendum contendit Parrhaſius ad Claudian. Rapt. Proſ. I, 167. probante Heinſ.

20. *Iuga longa* Putean. et Iureti Excerpta cum aliis multis, ut Guelf. 1. Alii *ſumma*, et ſic Guelf. 2. 3. et 4.

23. In Guelf. 2. et 4. hoc diſtichon proxime ſequenti poſtponitur.

24. Guelf. 2. et 4. cum aliis *ſurgite rite*, idque reponendum cenſet Heuſingerus pro *recta*, quod ortum uidetur ex interpretatione *recte*, quam gloſſator aliquis a duerbio *rite* adſcripſerat.

25. Hoc diſtichon in Guelferb. 1. deeſt. Triginta tres MSS. teſte Heinſ. it. Guelf. 3. et 4. *conſita riuo*. Guelf. 2. *conſcia riuo*.

Popule, uiue precor, quae consita margine ripae,
Hoc in rugoso cortice carmen habes:
Cum Paris Oenone poterit spirare relicta,
Ad fontem Xanthi uersa recurret aqua. 30
Xanthe, retro propera; uersaeque recurrite lymphae:
Sustinet Oenonen deseruisse Paris.
Illa dies fatum miserae mihi dixit: ab illa
Pessima mutati coepit amoris hiems:
Qua Venus et Iuno, sumtisque decentior armis, 35
Venit in arbitrium nuda Minerua tuum.
Attoniti micuere sinus, gelidusque cucurrit,
Vt mihi narrasti, dura per ossa tremor.
Consului (neque enim modice terrebar) anusque,
Longaeuosque senes: constitit esse nefas. 40
Caesa abies, sectaeque trabes: et, classe peracta,
Caerula ceratas accipit unda rates.
Flesti discedens: hoc saltem parce negare;
Praeterito magis est iste pudendus amor.
Et flesti, et nostros uidisti flentis ocellos: 45
Miscuimus lacrymas moestus uterque suas:

27. Burm. mauult *quae margine consita riui.*
31. Putean. et septem alii *recurrite Nymphae.*
33. *Dixit* Guelferbytani cum Putean. Argentinensi et quatuor aliis. Vulgo *duxit.*
36. Guelf. 3. *in arbitrio nu. M. tuo.*
38. Louan. et Iunianus *ossa timor.*
40. MSS. *grandaeuosquo senes.*
41. Vulgo *classe parata.* Gronou. et tres alii *peracta.*
44. Putean. *pigendus amor.*
45. Nonnulli scripti *et madidos uidisti*, quod praefert Nauger.

Non ſic appoſitis uincitur uitibus ulmus,
Vt tua ſunt collo brachia nexa meo.
Ah quoties, cum te uento quererere teneri,
Riſerunt comites: ille ſecundus erat. 50
Oſcula dimiſſae quoties repetita dediſti!
Quam uix ſuſtinuit dicere lingua, Vale!
Aura leuis rigido pendentia lintea malo
Suſcitat; et remis eruta canet aqua.
Proſequor infelix oculis abeuntia uela. 55
Qua licet; et lacrymis humet arena meis.
Vtque celer uenias, uirides Nereïdas oro:
Scilicet ut uenias in mea damna celer.
Votis ergo meis alii rediture rediſti?
Hei mihi, pro dira pellice blanda fui! 60
Aſpicit immenſum moles natiua profundum;
Mons fuit: aequoreis illa reſiſtit aquis.
Hinc ego uela tuae cognoui prima carinae:

Et

48. *Brachia uincta* Baſileenſis. Sed reliqui omnes teſte Heinſ. *nexa.*

49. Guelf. 2. 3. et 4. *Ha quoties.*

53. *Leuis Phrygio* Iunianus, et ita coniecerat Heinſ. Berſmanni ed. *gelido.*

55. Guelf. 3. *Perſequor.* Id. *albentia uella.* Regius unus *fugientia uela.*

56. Quidam codd. *in lacrymis*

60. Guelf. 1. cum Puteaneo et aliis nonnullis melioribus *Et mihi.* Gronouianus *Et tibi.* Heinſ. coni. *Et dis pro dira* caet.

61. Cod. Voſſ. *moles ignata*, quod eſt *innata*, ut Ep. VII, 37. *innata rupibus altis robora.*

62. Burm. coni. *icta reſiſtit.*

63. *Cognoui* ſcripti omnes teſte Heinſ. etiam Guelferb. In editis uulgo legitur *proſpexi*, quod placet Ciofano et Burm.

Et mihi per fluctus impetus ire fuit.
Dum moror, in ſumma fulſit mihi purpura prora; 65
Pertimui: cultus non erat ille tuus.
Fit propior, terrasque cita ratis attigit aura:
Femineas uidi, corde tremente, genas.
Non ſatis id fuerat: quid enim furioſa morabar?
Haerebat gremio turpis amica tuo. 70
Tunc uero rupique ſinus, et pectora planxi,
Et ſecui madidas ungue rigente genas:
Impleuique ſacram querulis ululatibus Iden:
Illinc has lacrymas in mea ſaxa tuli.
Sic Helene doleat, deſertaque coniuge ploret; 75
Quaeque prior nobis intulit, ipſa ferat.
Nunc tibi conueniunt, quae te per aperta ſequantur
Aequora, legitimos deſtituantque toros.
At cum pauper eras, armentaque paſtor agebas,
Nulla, niſi Oenone, pauperis uxor erat. 80

Non

67. Membr. Scriuerii *attulit aura*, uſitato errore pro *appulit*.

69. Cod. Leidenſis *morabor*, quod placet Heinſ.

71. *Tunc fleui* cod. Mediceus et unus Heinſ. item ed. Micylli et Venetae.

73. *Iden* Guelf. 1. cum melioribus. Reliqui *Idam*.

74. *Illinc* meliores pro *illic*. Guelferbytani *Illuc*.

75. Burm. coni. *deiectaque coniuge*.

76. Guelf. 4. *illa ferat*.

77. Guelf. 2. *Et tecum ueniant*. Vulgo legitur *Nunc tecum ueniunt*, quod eſt etiam in Guelf. tribus. Putean. Iuret. Mentel. Francof. aliique nonnulli ex praecipuis *Nunc tibi conueniunt*. *Ibid. ſequantur* potiores pro *ſequuntur*.

78. *Deſtituantque* meliores pro uulg. *deſtituunt*. *Ibid. Toros* primus Ambroſ. alter Mentel. et Moreti. Vulgo *uiros*.

Non ego miror opes, nec me tua regia tangit,
Nec de tot Priami dicar ut una nurus.
Non tamen ut Priamus Nymphae ſocer eſſe recuſet;
Aut Hecubae fuerim diſſimulanda nurus.
Dignaque ſum, et cupio fieri matrona potentis; 85
Sunt mihi, quas poſſint ſceptra decere, manus.
Nec me, faginea quod tecum fronde iacebam,
Deſpice: purpureo ſum magis apta toro.
Denique, tutus amor meus eſt tibi. nulla parantur
Bella, nec ultrices aduehit unda rates. 90
Tyndaris infeſtis fugitiua repoſcitur armis.
Hac uenit in thalamos dote ſuperba tuos.
Quae ſi ſit Danais reddenda, uel Hectora fratrem,
Vel cum Deïphobo Polydamanta roga.
Quid grauis Antenor, Priamus quid cenſeat ipſe, 95
Conſule; quîs aetas longa magiſtra fuit.
Turpe rudimentum, patriae praeponere raptam.
Cauſa pudenda tua eſt; iuſta uir arma mouet.

Nec

83. Quidam perperam ediderunt *aut Priamus.*

85. *Et* abeſt a libris plerisque. *Ibid.* Cod. Patau. *potenti* Tanaquil Faber audacius corrigit: *Dignaque ſum Regis fieri matrona potentis.*

86. *Quas poſſint* meliores: al. *poſſunt*, ut Guelferbytani. Nonnulli *quae poſſint* Codex Patricii, Douzae, Scriuer. et Guelf. 4 *quae poſſent* (Guelf. 4. *poſſunt*) *ſceptra tenere.* Vatic. *quas deceat ſc. tenere*

87. Louan. *fronde cubabam.* Alii notante Douza *ſepe iacebam.*

89. Heinſ. coni. *Denique tut. am. meus eſt. mihi nulla parantur*, et ſeq. uerſu *aduehet.* Capoferreus malebat *cui nulla.*

95. *Cenſeat* recepit Burm. e Louan. cui conſentiunt Guelf. 1. 2. et 3. Vulgo *ſuadeat.*

98. Guelf. 3. *arma parat*

Nec tibi, si sapias, fidam promitte Lacaenam,
Quae sit in amplexus tam cito uersa tuos. 100
Vt minor Atrides temerati foedera lecti
Clamat, et externo laesus amore dolet;
Tu quoque clamabis. Nulla reparabilis arte
Laesa pudicitia est: deperit illa semel.
Ardet amore tui: sic et Menelaon amauit; 105
Nunc iacet in uiduo credulus ille toro.
Felix Andromache, certo bene nupta marito!
Vxor ad exemplum fratris habenda fui.
Tu leuior foliis, tunc cum, sine pondere succi,
Mobilibus uentis arida facta, uolant. 110
Et minus est in te, quam summa pondus arista,
Quae leuis assiduis solibus usta riget.
Hoc tua (nam recolo) quondam germana canebat,
Sic mihi diffusis uaticinata comis?
Quid facis, Oenone? quid arenae semina mandas? 115
Non profecturis litora bubus aras.
Graia iuuenca uenit, quae te, patriamque domumque
Perdat

99. *Si sapias* praestantiores libri, et ita Guelferbyt. 1. Vulgo *si cupias*. Heins. uult *si sapies*.

102. Heins. coni. *Damnat et*, ac seq. uers. *damnabis*.

103. Helmst. *reparaberis*.

110. *Volant* meliores, et Guelferbytani quoque. Al. *cadunt*.

111. *Leuius est in te* Louan. contra metrum, nisi legeris *Est in te leuius*. *Ibid.* Guelf. 2. et editt. antiquae *in summa*.

113. Guelf. 2. *Haec tua*. *Ib.* *recolo* Guelferbytani cum optimis, it. editt. priscae. Nonnulli *refero*. Alii *memini*. Regius *memoro*.

116. Quidam codd. *Nil profecturis*. Douza coni. *Nec profuturis*. *Ibid.* *bubus* recte libri nonnulli, in his Guelf. 1. Vulgo male *bobus*.

Perdat. io prohibe; Graia iuuenca uenit.
Dum licet, obscenam ponto, Di, mergite puppim.
Heu quantum Phrygii sanguinis illa uehit! 120
Dixerat. in cursu famulae rapuere furentem;
At mihi flauentes diriguere comae.
Ah nimium uates miserae mihi, uera fuisti!
Possidet en saltus illa iuuenca meos.
Sit facie quamuis insignis, adultera certe est. 125
Deseruit patrios, hospite capta, deos.
Illam de patria Theseus, (nisi nom ne fallor)
Nescio quis Theseus, abstulit ante sua.
A iuuene et cupido credatur reddita uirgo.
Vnde hoc compererim tam bene, quaeris? amo. 130
Vim licet appelles, et culpam nomine ueles;
Quae toties rapta est, praebuit ipsa rapi.
At manet Oenone fallenti casta marito:
Et poteras falli legibus ipse tuis.
Me Satyri celeres (siluis ego tecta latebam)
Quaesi-

118. *Perdat* septem codd. bonae notae teste Burm. it. Guelferbytani. Al. *perdet*.

119. *Di mergite* meliores. Al. *demergite*.

121. Alii *incursu* h. e. accursu et interuentu. Heins. coni. *Vox erat in cursu. famulae r. fur.*

123. Guelf. 2. 3. et 4. *Ha nimium.*

124. Guelf. 1. *Graia iuuenca.*

125. Ambros. *quamuis praesignis*, quod probat Heins.

126. *Deseruit socios* codd. exarati omnes, idque praefert Heins.

128. Guelf. omnes et Helmstad. *abstulit arte*, primus tamen Guelferb. a correctore *ante*.

130. *Vnde ea* coni. Heins. atque ita Vossianus.

131. Heins. mauult *hoc culpam n. u.* uel *et culpam hoc n. ueles*. Multi codd. *nom. celes*

133. *Fallaci casta* cod. Douzae.

Quaesierunt rapido, turba proterua, pede:
Cornigerumque caput pinu praecinctus acuta
Faunus, in immensis qua tumet Ida iugis.
Me fide conspicuus Troiae munitor amauit;
Ille meae spolium uirginitatis habet. 140
Id quoque luctando. Rupi tamen ungue capillos,
Oraque sunt digitis aspera facta meis.
Nec pretium stupri gemmas aurumue poposci.
Turpiter ingenuum munera corpus emunt.
Ipse, ratus dignam, medicas mihi tradidit artes; 145
Admisitque meas ad sua dona manus.
Quaecunque herba potens ad opem, radixque medenti
Vtilis in toto nascitur orbe, mea est.
Me miseram, quod amor non est medicabilis herbis!
Deficior prudens artis ab arte mea. 150
Ipse repertor opis uaccas pauisse Pheraeas
Fertur, et a nostro saucius igne fuit.
Quod neque graminibus tellus fecunda creandis,

Nec

136. *Quaesierunt* est e chartaceo Louan. Reliqui *quaesierant*.

138. Plurimi scripti *et immensis*.

141. *Vngue* scripti. Al. *ante*.

146. *In sua dona* Guelf. 2. et 3.

147. *Medenti* ex emendat. Heinsii. Codd. *medendi*.

149. *Est sanabilis herb.* plurimi scripti.

150. *Deficior* scripti potiores; alii *destituor*, ut Guelf. 4.

151. *Pheraeas* meliores libri: Guelf. 1. *fereas*, 2 et 3. *phareas*. Al. *per aestus* aut *per herbas*, ut Guelf. 4.

152. *Fertur et a nostro* cod. Louan. et antiquiores editt. Guelf. 3. *et ex nostro*, 1. 2. et 4. cum al. *e nostro*. Pauci codd. et recentiores quaedam editt. *Dicitur, et nostro*.

153. Guelf. 2. 3. et 4. *fecunda creatis*.

Nec Deus, auxilium tu mihi ferre potes.
Et potes, et merui, dignae miserere puellae; 155
Non ego cum Danais arma cruenta fero.
Sed tua sum, tecumque fui puerilibus annis:
Et tua, quod superest temporis, esse precor.

EPISTOLA VI.
HYPSIPYLE IASONI.

Litora Thessaliae reduci tetigisse carina
Diceris, auratae uellere diues ouis.
Gratulor incolumi, quantum finis. Hoc tamen ipsum
Debueram scripto certior esse tuo.
Nam, ne pacta tibi praeter mea regna redires, 5
Cum cuperes; uentos non habuisse potes.
Quamlibet aduerso signetur epistola uento;
Hypsipyle missa digna salute fui.
Cur mihi fama prior, quam nuntia littera, uenit,
Isse sacros Martis sub iuga panda boues? 10
Seminibus iactis segetes adolêsse uirorum,
Inque necem dextra non eguisse tua?

Perui-

158. Guelf. 2. *Et quod nunc superest.*

EPIST. VI. u. 3. *Incolumem* unus Moreti. *Ibid.* Guelferbytani cum scriptis et editis plerisque *tamen ipso.* Argent. *ipse*, unde Heins. coni. *ipsa.* Leid. *ipsum* probante Douza.

5. Heins. mauult *propter mea regna*, uel *propere in mea r.*

7. Quidam Nauger. *Quolibet aduerso.* Guelf. omnes, sed 1. a correctore, it. Helmstad. *Quaelibet. Ibid.* Heins. coni. *signatur.*

9. Guelf. 1. *prior de te quam littera.* Helmst. *quam de te littera.*

10. *Marti* unus Scriuer. Caeteri *Martis.*

Peruigilem ſpolium pecudis ſeruaſſe draconem,
Rapta tamen forti uellera fulua manu?
Haec ego, ſi poſſem timide credentibus, Iſta 15
Ipſe mihi ſcripſit, dicere, quanta forem!
Quid queror officium lenti ceſſaſſe mariti?
Obſequium, maneo ſi tua, grande tuli,
Barbara narratur ueniſſe uenefica tecum,
In mihi promiſſi parte recepta tori. 20
Credula res amor eſt. utinam temeraria dicar
Criminibus falſis inſimulaſſe uirum!
Nuper ab Haemoniis hoſpes mihi Theſſalus oris
Venerat; et tactum uix bene limen erat:
Aeſonides, dixi, quid agit meus? ille pudore 25
Haeſit, in oppoſita lumina fixus humo.
Protinus exſilui; tunicisque a pectore ruptis,
Viuit? an, exclamo, me quoque fata trahunt?
Viuit, ait timidumque mihi iurare coëgi:

D Vix

15. *Hoc ego* teſte Heinſ. meliores ſcripti cum Guelf. 1. et 4. Heinſ. coni. *O ego.*

17. Guelf. 1. *Cur queror.*

20. *Parte futura* Guelf. 3. et 4. cum plurimis ſcriptis et editis. Cod. Douzae *uocata*, unde ille faciebat *locata.*

24. Heinſ. uult. *ut tactum*, Francius *uenit, et ut tactum.*

25. Helmſt. *agat.*

26. Tres libri Heinſ. *in appoſita.* Guelf. 2. *et appoſita*, 4. *et oppoſita.* Francius malebat *in oppoſitam humum. Ibid.* Guelf. 4 *fixit humo.*

27. *Pectore raptis* libri meliores teſte Heinſ. cum iisque Guelf. 2. et 3. Helmſt. *ſciſſis.*

28. Guelf. 1. cum Iureti excerptis et al. quibusdam *fata uocant.*

29. Plures antiqui *Viuit, ait, timidum, quod ait, iurare coegi*, uel *timide.* Alii *Viuit, ait: timidum, quod amat, iurare coegi*, unde Micyll. coni. *quod amo.* Mentel. alter *timidumque uirum.* Heinſ.

Vix mihi, teste deo, credita uita tua est. 30
Vt rediit animus, tua facta requirere coepi.
Narrat, aëuipedes Martis arasse boues:
Vipereos dentes in humum pro semine iactos,
Et subito natos arma tulisse uiros:
Terrigenas populos, ciuili Marte peremtos, 35
Implesse aetatis fata diurna suae.
Deuicto serpente, iterum, si uiuat Iason,
Quaerimus. alternant spesque timorque fidem.
Singula dum narrat, studio cursuque loquendi,
Detegit ingenio uulnera facta suo. 40
Heu! ubi pacta fides? ubi connubialia iura?
Faxque sub arsuros dignior ire rogos?
Non ego sum furto tibi cognita: pronuba Iuno
Adfuit, et sertis tempora uinctus Hymen.

At

corrigit *Viuit, ait timide: timidum iur. c.*

31. *Vt rediit animus* excerpta Iureti, unus Patau. et Guelf. 2. idque tuetur Heins. quia Nasoni aliisque poetis ultima in *rediit* et aliis coniugatis uerbis passim producitur. Vulgo *Vtque animus rediit.*

32. *Aënipedes* emendauit Heins. Vetusta exemplaria *Narrat et Aeripedes*, uti Guelf. 2. et 4., uel *Narrat aëripedes*, uti Guelf. 1. et 3. Helmst. *Narrat aripedes.* Quidam etiam *Rettulit aenipedes*, quod a correctoribus esse uidetur Heinsio.

35. Guelf. 2. *terrigenos.*

37. Guelf. omnes et Helmstad. cum aliis *Deuictus serpens.* Alii *Deuictum serpentem Ibid.* Guelf. 2. *si uiuit.*

40. Guelf. 2. et 3. et alii quam plurimi *uulnera nostra suo.* Capoferreus coni. *ingenuo uulnera facta toro.*

41. Guelf 1. et 4. cum aliis quibusdam *Heus ubi.*. Aprof. *Dic ubi.*

43. *Furto* Scriuer. Francof. Guelf. omnes et quatuor alii. Vulgo *furtim.*

At mihi nec Iuno, nec Hymen, ſed triſtis Erinnys, 45
Praetulit infauſtas ſanguinolenta faces.
Quid mihi cum Minyis? quid cum Tritonide pinu?
Quid tibi cum patria, nauita Tiphy, mea?
Non erat hic aries uillo ſpectabilis aureo:
Nec ſenis Aeëtae regia Lemnos erat. 50
Certa fui primo (ſed me mala fata trahebant)
Hoſpita feminea pellere caſtra manu.
Lemniadesque uiros, nimium quoque, uincere norunt:
Milite tam forti ripa tuenda fuit.
Vrbe uirum uidi, tectoque, animoque recepi: 55
Hic tibi bisque aeſtas, bisque cucurrit hiems.
Tertia meſſis erat: cum tu, dare uela coactus,
Impleſti lacrymis talia uerba tuis:
Abſtrahor, Hypſipyle: (ſed dent modo fata recurſus)
Vir tuus hinc abeo: uir tibi ſemper ero. 60
Quod tamen e nobis grauida celatur in aluo,
Viuat; et eiusdem ſimus uterque parens.
Hactenus: et lacrymis in falſa fluentibus ora,

49. Multi codd. *fuluo ſp. auro.* Guelf. 4. exhibet tantum *fuluo*, deinde reliqui tantum *ſpect. auro.*

50. Guelf. 2. *Non ſenis.*

51. *Mala fata* Putean. et duo alii Heinſ. it. Guelf. 3. Caeteri *mea fata.*

52. Excerpta Voſſ. et cod. Iunii *caſtra domo.*

54. *Ripa* in uno Voſſ. et Francof. pro diuerſa lect. adſcriptum. Vulgo *uita.*

55. Heinſ. coni. *Vrbe uirum uidua.*

56. Guelf. 1. et 4. *bis aeſtas.*

58. Heinſ. mauult *uerba ſuis.*

59. Heinſt. *facta recurſus.* Guelf. 2. *recurſum.* Alii *Si dent m. fata recurſum.*

63. *Fluentibus* Gottorp. Caeteri *cadentibus.*

Caetera te memini non potuiſſe loqui.
Vltimus e ſociis ſacram conſcendis in Argo. 65
Illa uolat: uentus concaua uela tenet.
Caerula propulſae ſubducitur unda carinae:
Terra tibi, nobis adſpiciuntur aquae.
In latus omne patens turris circumſpicit undas.
Huc feror; et lacrymis osque ſinusque madent. 70
Per lacrymas ſpecto; cupidaeque fauentia menti
Longius aſſueto lumina noſtra uident.
Addo preces caſtas, immixtaque uota timori,
Nunc quoque te ſaluo perſolüenda mihi.
Vota ego perſoluam? uotis Medea fruetur? 75
Cor dolet; atque ira mixtus abundat amor.
Dona feram templis, uiuum quod Iaſona perdo?
Hoſtia pro damnis concidat icta meis?
Non equidem ſecura fui; ſemperque uerebar,

No

65. Guelf. 1. 2. 4. *Argon*, atque ita infra etiam XII, 9.
66. Francius coni. *uela rapit*, uel *uento conc. u. tument.*
68. Codd. Scriuer et Moreti *proſpiciuntur*. Guelf. 1. *inſpiciuntur*, 4. *conſpiciuntur*.
69. Guelf. 4. *Eſt latus*.
70. Cod. Douzae *a lacrymis*. Ibid. *ora ſinusque* optimi, etiam Guelferbyt. Vulgo *ora ſinusque*.
71. Volſcus coni. *fauentia amanti*.
73. Al. *Adde*. Ibid. Guelf. 4. *uota pudori*.
76. Quidam *irae*.
77. Gronou. *Tura feram*. Ibid. *perdo* Putean. Reg. et Guelf. 1. a manu prima. Vulgo *perdam*, quod in omnibus Guelf. ſed in 1. a correct. Gronou. *uiuum quoque Iaſ. perdam*. Heinſius coni. *uiuumque ut Iaſ. perdam*. Zinzerlingius promulſ. crit. c. 24. legebat *uiuum quo*.
78. *Concidat* Putean. Reg. Guelf. 2. et 4. pro uulg. *concide*, quod etiam in Guelf. 1.

Ne pater Argolica ſumeret urbe nurum. 80
Argolicas timui: nocuit mihi barbara pellex.
Non expectata uulnus ab hoſte tuli;
Nec facie meritisue placet; ſed carmine mouit:
Diraque cantata pabula falce metit.
Illa reluctantem curru deducere Lunam 85
Nititur, et tenebris abdere Solis equos.
Illa refrenat aquas, obliquaque flumina ſiſtit:
Illa loco ſiluas uiuaque ſaxa mouet.
Per tumulos errat paſſis diſcincta capillis,
Certaque de tepidis colligit oſſa rogis. 90
Deuouet abſentes, ſimulacraque cerea figit,
Et miſerum tenues in iecur urget acus.
Et quae neſcierim melius, male quaeritur herbis.

81. *Argolidas* Putean. probante Heinſ. Vulgo *Argolicas.*

82. *Expectata* e Putean. Caeteri *expectato.*

83. Guelf. omnes *meritisque. Ibid.* ſex codd. *carmina nouit.*

85. *Curru* tres codd. Heinſ. Vulgo *curſu. Ibid.* Guelf. 2. *reducere Lun.*

86. Guelf. 2. et 4. *ten. addere.*

87. Duo libri *Obliquaque fulmina*, quod placet Heinſ. et Brouckhuſ.

88. *Saxa trahit* cum codd. Voſſ. Scriuer. et Gottorp. mauult. Heinſ.

89. Guelf. 2. et 4. *errat ſparſis*, 3. *parſis. Ibid.* Guelf. 2. et Helmſt. *diſtincta cap.*

90. Scriuer. et Hafn. *Cunctaque de tep.* Mentel. alter pro diuerſa lect. *Duraque.* Gronouius obſ. eccleſ. c. 5. ſuſpicatur *Curtaque*, Heinſ. *functaque*, uel *crutaque e tep.*

91. *Figit* eſt e Putean. Vulgo *fingit.*

93. Quatuor Heinſ. et Guelf. 2. *Et quod.* Guelf. 3. *Et quoque.* Cantabr. *Et quas* pro diuerſa lect. *Ibid.* ſcripti plerique, in his Guelf. omnes, ſed 2. a correct. *mage quaeritur.* Alii ſcribunt *Et quae neſcierim: meliusne age quae-*

Moribus et forma conciliandus, amor.
Hanc potes amplecti? thalamoque relictus in uno 95
Impauidus somno, nocte silente, frui?
Scilicet ut tauros, ita te iuga ferre coëgit:
Quaque feros angues, te quoque mulcet, ope.
Adde, quod adscribi factis procerumque, tuisque
Se fauet; et titulo coniugis uxor obest. 100
Atque aliquis Peliae de partibus acta uenenis
Imputat, et populum, qui sibi credat, habet.
Non haec Aesonides, sed Phasias Aeëtine,
Aurea Phryxeae terga reuellit ouis.
Non probat Alcimede mater tua; consule matrem; 105
Non pater, a gelido cui uenit axe nurus.

Illa

ritur herbis? per interrogationem. Heins. uult *Et*, *quas nesc. melius*, *male q. h.* uel *Et quae nescierit melius maga*.

94. Pro *Moribus* Guelf. 1. et 3. *Mobilis*, 2. *Nobilis*.

96. Argent. *silente premi*, quod elegantius uidetur Heins.

100. *Se fauet* priscae editt. cum optimo Puteaneo et aliis nonnullis. Vulgo *Se facit*.

102. Helmst. *credit*.

103. Vulgo *sed filia Phasis Aëtae*, et ita Helmst. Guelf. 2. et 4. *phasis aete*. Alii substituere *Phasias Aetae*, ut Aetam dissyllabum facerent; et Guelf. 1. habet *fasias ete*, 3. *phasias dede*. Nauger. retineri uult *Phasis Aetae*, Micyllus *Aeëtae* integre scribit, sed in scansione duas syllabas pro una sumit, ut fiat συνεκφώνησις, non syncope. In Putean. e uestigiis ueteris lectionis, paene erasae, utcumque apparebat, scriptum primo fuisse *Phasias Aeëtine*, cum τὸ *filia* a secunda manu esset additum. Atque hanc genuinam Nasonis scripturam putat Heins.

104. *Reuellit* meliores; quidam *reuulsit*. Matth Herculanus e ueteri libro notarat *refixit*. Brouckhusius malebat *reuexit*.

106. *Non probat*. Guelf. 1. *Ibid.* Francius coni. *a Getico*. *Ibid.* Heins. mauult *quis uenit*.

Illa ſibi Tanai, Scythiaeque paludibus udae
Quaerat, et a patria Phaſidos usque, uirum.
Mobilis Aeſonide, uernaque incertior aura,
Cur tua pollicito pondere uerba carent? 110
Vir meus hinc ieras, uir non meus inde rediſti?
Sim reducis coniux, ſicut euntis eram.
Si te nobilitas generoſaque nomina tangunt:
En ego Minoo nata Thoante feror.
Bacchus auus; Bacchi coniux redimita corona 115
Praeradiat ſtellis ſigna minora ſuis.
Dos tibi Lemnos erit, terra ingenioſa colenti:
Me quoque res tales inter habere potes.
Nunc etiam peperi. gratare ambobus, Iaſon.

107. Guelferbytani cum pluribus aliis *Tanais*, unde *Tanai* uult Heinſ. Naugerius et Cioſ. ex ſuis *a Tanai*. *Ib.* Putean. et Guelf. omnes cum plerisque *paludibus undae*. *Vdae* e 4. libris reſtituit Heinſ.

108. *Phaſidos* ſex libri Heinſ. et Guelf. 4. pro uulg. *Phaſidis*. *Ibid.* Ian. Vlitius corr. *a patrio Phaſidos amne*.

109. Guelf. 1. et 3. item Helmſt. *Aeſonides*.

110. *Pollicito* ex octo libris dedit Heinſ. pro *polliciti*.

111. *Hinc aberas* Guelf. 4. *Ibid. vir non meus* Putean. et nouem alii Heinſ. it. Guelf. 1. 2. et 3. Reliqui *cur non*.

114. Membranae Caſp. Barthii notante Burm. *Thoante precor*.

117. Editt. Berſm. et aliis *Dos mihi*. Cod. Francof. *Dos tibi Lemnos eat*, quod arridet Burm. Gronou. *erat*.

118. Alii *Me quoque quod tales*, ut Guelf. 1. Alii *iam tales*. Guelf. 2. *Me quoque tales*, 3. *Me qu. quid tales*, 4. *Me qu. tu tales*. Tan. Faber coni. *Me quoque iam matres*. Mezeriacus uult *Me res dotales*, Salmaſius *Me quoque dotales inter*, pro *dotatas*. Heinſ. ſcribendum cenſet *Me quoque, quot tales, inter b. p.* uel *Me qu. dotatas inter*, uel denique *Hanc qu. dotales inter*.

Dulce mihi grauidae fecerat auctor onus. 120
Felix in numero quoque ſum; prolemque gemellam
Pignora Lucina bina fauente dedi.
Si quaeris, cui ſint ſimiles; cognoſceris illis.
Fallere non norunt: caetera patris habent.
Legatis quos pene dedi pro matre ferendos: 125
Sed tenuit coeptas ſaeua nouerca uias.
Medeam timui: plus eſt Medea nouerca.
Medeae faciunt ad ſcelus omne manus.
Spargere quae fratris potuit laniata per agros
Corpora, pignoribus parceret illa meis? 130
Hanc tamen, ô demens, Colchisque ablate uenenis,
Diceris Hypſipyles praepotuiſſe toro.
Turpiter illa uirum cognouit adultera uirgo:
Me tibi, teque mihi taeda pudica dedit.
Prodidit illa patrem: rapui de caede Thoanta: 135
Deſeruit Colchos: me mea Lemnos habet.
Quid refert, ſcelerata piam ſi uincit, et ipſo

Crimine

123. *Quaeris* meliores; vulgo *quaeras*. *Ib.* duo libri *ignoſceris*, h. e. agnoſceris. Capoferreus coni. *cognoſcor in illis.*

125. *Legatis* Scriuer. et unus Regius. Vulgo *Legatos*. Guelf. 2. *Legandos.*

126. Guelf. 1. *tenuit captas.*

129. Alii *lacerata per a.* et ſic Guelferbytani et Helmſt.

131. Vnus Regius *Hanc o tu demens.* Multi quoque *Colchis ablate*, ut Guelf. 2. alii *oblate* et *oblite.*

133. Multi codd. *adultera certe*; in quibusdam *certe eſt*, quod placet Burm.

135. Guelf. 1. *de clade.*

137. Putean. *Quid referat.* Guelf. 1. et 4. cum al. *referam. Ibid.* Guelf. 1. *uincet*, 2. et 4. *uincat. Ib.* Guelf. 4. *et ipſa.*

Crimine dotata eſt, emeruitque uirum?
Lemniadum facinus culpo, non miror, Iäſon.
Quamlibet iratis ipſe dat arma dolor. 140
Dic age, ſi uentis (ut oportuit) actus iniquis
Intraſſes portus, tuque, comesque, meos;
Obuiaque exiſſem, fetu comitata gemello:
(Hiſcere nempe tibi terra roganda foret.)
Quo uultu natos, quo me, ſcelerate, uideres? 145
Perfidiae pretio, qua nece, dignus eras?
Ipſe quidem per me tutus ſoſpesque fuiſſes:
Non quia tu dignus, ſed quia mitis ego.
Pellicis ipſa meos impleſſem ſanguine uultus,
Quosque ueneficiis abſtulit illa ſuis. 150
Medeae Medea forem. quod ſiquid ab alto

138. Sarrau. cum quatuor aliis *demeruitque.*

140. *Quamlibet iratis* eſt e Putean. Alii libri cum Guelf. 2. et 4. *Quaelibet ir.* Alii *quodlibet ad facinus*, uti Guelf. 2. et 4. Heuſing. ſuſpicatur uocem *iratis* e gloſſa irrepſiſſe, et dediſſe Ouidium *Quamlibet inualidis*, aut *Quamlibet infirmis. Ib.* Francius coni. *iuſta dat.*

143 Putean. et Guelf. 1. *comitante.*

144. Quidam *nonne tibi*, ut Guelf. 1. Idem *roganda fuit.*

146. *Perfidiae pretio* Putean. et excerpta Scalig. Vulgo *Perfide quo pr.* Guelf. 2. *Perfice quo.*

147. Putean. *per te.* Al. *pro me.*

150. Lincoln. *illa tuos.*

151. 52. *Quod ſi quid adeſt* ſcripti plerique cum editt. priſcis, ut *τὸ quid* eleganter redundet. Guelf. 1. et 4. ſed ille poſt raſuram, it. Helmſt. cum al. *ſi quis. Iuſtus ades* pro *adeſt* repoſuit Heinſ. atque ita Helmſt. *Ades precibus* editt. Colin. et Berſm. *Adeſt precibus* ed. Gryph. Lugd. 1554. Francius corr. *ſi quid ab alta Iuſtus ades u, Iupp. arce meis.*

Iuſtus ades uotis, Iuppiter, ipſe meis;
Quod gemit Hypſipyle, lecti quoque ſubnuba noſtri
Moereat, et leges ſanciat ipſa ſuas.
Vtque ego deſtituor coniux, materque duorum; 155
A totidem natis orba ſit, aque uiro.
Nec male parta diu teneat; peiusque relinquat.
Exulet; et toto quaerat in orbe fugam.
Quam fratri germana fuit, miſeroque parenti
Filia; tam natis, tam ſit acerba uiro. 160
Cum mare, cum terras conſumſerit, aëra tentet.
Erret inops, exſpes, caede cruenta ſua.
Haec ego coniugio fraudata Thoantias oro;
Viuite deuoto, nuptaque, uirque, toro.

EPISTOLA VII.
DIDO AENEAE.

Sic, ubi fata uocant, udis abiectus in herbis,
Ad uada Maeandri concinit albus olor. Nec,

153. *Subnuba* Putean. et Guelf. 1. cum melioribus. Al. *ſuccuba.*

154. *Sanciat* Voſſ. et Mentel. alter. *Vulgo ſentiat.* Guelf. 1. *nunciat*, a correctore *ſenciat.*

156. Putean. Guelf. omnes et reliqui plerique *illa uiro.* Heinſ. coni. *Da totidem n. o. ſ. orba uiro.*

157. *Peiusque relinquat* unus Ambroſ. Patau. unus *poenisque relinquat*, unde Heinſ. coni. *poenisque relicta Exſulet.*

158. Vnus Vatic. *in orbe fidem.* Vnus Strozzae *in orbe uiam.*

162. Multi ſcripti, in his Guelf. 4 *inops mentis.* Guelf. 2. et 3. *inops, expers.* In Leid. pro uaria lectione, ut uidetur, adſcriptum erat alterum pentametrum: *Et fugiat natis ipſa cruenta ſuis.*

EPIST. VII. Liber Regius et Excerpta Putean. cum

Nec, quia te noſtra ſperem prece poſſe moueri,
Alloquor: aduerſo mouimus iſta Deo.
Sed merita et famam, corpusque animumque pudicum 5
Cum male perdiderim, perdere uerba leue eſt.
Certus es ire tamen, miſeramque relinquere Dido:
Atque îdem uenti uela fidemque ferent.
Certus es, Aenea, cum foedere ſoluere naues:
Quaeque ubi ſint neſcis, Itala regna ſequi, 10
Nec noua Carthago, nec te creſcentia tangunt
Moenia; nec ſceptro tradita ſumma tuo.
Facta fugis, facienda petis. quaerenda per orbem
Altera, quaeſita eſt altera terra tibi.
Vt terram inuenias, quis eam tibi tradet habendam? 15
Quis ſua non notis arua tenenda dabit?
Alter habendus amor tibi reſtat, et altera Dido;

Quam-

cod. Louan. ſequens diſtichon huic epiſtolae praefigunt: *Accipe, Dardanide, moriturae carmen Eliſſae: Quae legis, a nobis ultima uerba legis.*

4. Heinſ. uult *auerſo. Ib.* Putean. cum al. *nouimus iſta.* Baſil. *vois*, unde Heinſ. ſcribendum cenſet *uouimus.*

5. Vulgo *Sed meriti famam* et ſic Guelf. omnes. Gottorp. et alter Mentel. *meritam*, unus Medic. *merita.* Putean. *merite.* Heinſ. corr. *merita et f.*

6. Patau. *perdideris.*

11. Louan. *Nec mea. Ibid.* Cod. Regius *ſurgentia tangunt.*

12. Guelf. 4. cum undecim aliis teſte Burm. *tradita regna.* Moret. *credita regna.* Heinſ. uult *nec ſceptri tradita ſumma mei.*

13. Codd. plurimi it. ed. Ald. et Ven. *fugienda petis.*

15. Guelf. 2. *quis enim*, probante Heuſing.

16. Tres libri *regna tenenda*, unus Vatic. *arua colenda*, et alter Mentel. *tuenda.*

17. Guelf. 4. *Alter am. tibi reſt. habendus.*

Quamque iterum fallas, altera danda fides.
Quando erit, ut condas instar Carthaginis urbem,
Et uideas populos altus ab arce tuos? 20
Omnia ut eueniant, nec te tua uota morentur;
Vnde tibi, quae te sic amet, uxor erit?
Vror, ut inducto ceratae sulfure tedae,
Vt pia fumosis addita tura focis.
Aeneas oculis semper uigilantis inhaeret: 25
Aenean animo noxque diesque refert.
Ille quidem male gratus, et ad mea munera surdus;
Et quo, si non sim stulta, carere uelim:
Non tamen Aenean, quamuis male cogitat, odi:
Sed queror infidum, questaque peius amo. 30
Parce Venus nurui, durumque amplectere fratrem,
Frater Amor: castris militet ille tuis.
Aut ego, quem coepi (neque enim dedignor) amare;

Materiam

18. Al. *Quaque.*

21. *Vt eueniant* Putean. et Guelf. 3. cum meliobus quibusdam. Al. *si ueniant.* Guelf. 2. *Omnia subueniant. Ib.* multi codd. *tua facta*, quidam *ficta*, unde Heins. coni. *nec te tibi ficta mor.* Guelf. 4. *fata.*

23. Excerpta Sarrau. *ut incocto.*

24. Hunc et sequentem uersum, in uulgatis libris, etiam Guelf. omnibus, omissos, ex optimis membranis inserui Heins. Helmst. a manu sec. *pia submissis. Ibid. focis* est e Gronou. et Basil. In Sarrau. et plurimis *rogis.*

25. Al. *uigilantibus haeret.*

26. Al. *Aeneamque*, uel *Aeneanque.*

27. *Munera tardus* Moreti, Hafn. et Leid.

29. Al. *cogitet*; sed *cogitat* meliores.

31. Helmst. *dirumque.*

33. *Quem coepi* meliores cum Guelf. 2. et 4. Alii *quae coepi.* Putean. et duo alii *Et ego*, alius *Ait*, quinque teste Burm. et Helmst. *En ego quae,*

Materiam curae praebeat ille meae.
Fallor; et ista mihi falso iactatur imago. 35
Matris ab ingenio diffidet ille suae.
Te lapis, et montes, innataque rupibus altis
Robora, te saeuae progenuere ferae:
Aut mare, quale uides agitari nunc quoque uentis:
Quod tamen aduersis fluctibus ire paras. 40
Quo fugis? obstat hiems: hiemis mihi gratia prosit.
Adspice, ut euersas concitet Eurus aquas.
Quod tibi maluerim, sine me debere procellis.
Iustior est animo uentus et unda tuo.
Non ego sum tanti, (quamuis merearis, inique,) 45
Vt pereas, dum me per freta longa fugis.
Exerces pretiosa odia, et constantia magno;
Si, dum me careas, est tibi uile mori.

Iam

Argent. *haud ego.* Burm. coni. *Cast. mil. ille tuis*; *Atque ego, quae coepi: nec enim d. a.*

40. *Quod tamen* cod. Strozzae. Guelf. omnes cum uulgo *Quo.* Scriuer. *Qua.*

43. *Maluerim* Argent. et quinque alii Heins. it. Helmstad. Al. *Quod te* (Guelf. 2. *tibi*) *malueram.* Guelf. 4. *Quae tibi m.* Guelf. 1. *Quod tibi debueram*, unde Heusing. reponendum censet *debuerim.*

44. *Et aura* quidam.

45. Putean. *quid* (emenda *quod* uel *quo*) *non terreris.* Octo Heins. cum Guelf. 1. *quod non censeris.* Tres *quo* (Guelf. 3. *quod*) *non cessaris.* Octo *quod non mediteris*, septem Heins. cum Helmst. *meditaris.* Quatuor Heins. cum Guelf. 4. *quamuis mediteris.* Scriuer. *quamuis dimittis*, uel *miraris.* Alius *quod tu non credis.* Hafn. *quantus censeris.* Heins. coni. *quamuis censeris inique* i. e. quamuis iniquum mihi pretium addis. Burm. mauult *quamuis censebis in.*

48. Alii *me fugias*, uti Guelf. 1. et 4. *Ib.* octo codd. *sit tibi uelle mori*, Guelf. 1. *est t. uelle m.*

Iam uenti ponent; ſtrataque aequaliter unda,
Caeruleis Triton per mare curret equis. 50
Tu quoque cum uentis utinam mutabilis eſſes!
Et, niſi duritia robora uincis, eris.
Quid? ſi neſcieris inſana quid aequora poſſint?
Expertae toties quam male credis aquae?
Vt pelago ſuadente etiam retinacula ſoluas. 55
Multa tamen latus triſtia pontus habet.
Nec uiolaſſe fidem tentantibus aequora prodeſt.
Perfidiae poenas exigit ille locus.
Praecipue cum laeſus amor: quia mater Amoris
Nuda Cytheriacis edita fertur aquis. 60
Perdita ne perdam timeo, noceamue nocenti:
Neu bibat aequoreas naufragus hoſtis aquas.
Viue precor, ſic te melius, quam funere, perdam.
Tu potius leti cauſa ferare mei.
Finge, age, te rapido (nullum ſit in omine pondus) 65
Turbine deprendi: quid tibi mentis erit?
Protinus occurrent falſae periuria linguae,

Et

50. Guelf. 4. *Ceruleus.*
53. *Neſcieris* tres libri. Reliqui *neſcires. Ibid.* excerpta Voſſ. *ueſana quid. Ib. poſſint* meliores pro *poſſent.*
54. *Quam male* Vatic. et Louan. Guelf. 2. *iam male,* 1. 3. et 4. cum plurimis al. *tam male.* Francius coni. *Exp. tot. te m. cr. a.* uel *quam bene cr. aquae?*
59. *Amoris* quatuor libri Heinſ. et Helmſtad. Reliqui *Amorum.*
60. Guelf. 4. *Cythereis.*
63. Helmſt. *te potius.*
64. *Ferare* cod. Iun. et Douzae. Vulgo *ferere.*
65. Argent. unus Patau. et Guelf. 2. *trepido.*
67. Al. *occurrunt.*

Et Phrygia Dido fraude coacta mori.
Coniugis ante oculos deceptae ſtabit imago
Triſtis, et effuſis ſanguinolenta comis. 70
Quicquid id eſt, totum merui, concedite, dicas:
Quaeque cadent, in te fulmina miſſa putes.
Da breue ſaeuitiae ſpatium pelagique, tuaeque:
Grande morae pretium tuta futura uia eſt.
Nec mihi parcatur; puero parcatur Iülo: 75
Te ſatis eſt titulum mortis habere meae.
Quid puer Aſcanius? quid Dî meruere penates?
Ignibus ereptos obruet unda Deos.
Sed neque fers tecum, nec, quae mihi, perfide, iactas,
Preſſerunt humeros ſacra paterque tuos. 80
Omnia mentiris: neque enim tua fallere lingua
Incipit a nobis; primaque plector ego.
Si quaeras, ubi ſit formoſi mater Iüli:
Occidit, a duro ſola relicta uiro.
Haec mihi narraras: nec me mouere: merentem 85
Vre;

68. Guelf. 1. et Helmſt. *Et Tyria.*

71. Putean. Guelf. 1. et ſeptem alii *Quid tanti eſt? totum.* Excerpta Iur. *Quid tamen eſt totum.* Guelf. 2. *Quicquid erit totum. Ibid. dicas* Putean. et quatuor Heinſ. it. Guelf. 3. Vulgo *dices.*

75. Alii *Nec mihi tu parcas*, quomodo Guelf. 2. et 4. it. Helmſt. Putean. et Guelf. 1. cum aliis ex potioribus *Nec mihi tu curae.*

80. Guelf. 1. et 4. *ſacra paterna.*

83. Guelf. 2. et Helmſt. *ſi quaeris*

84. Guelf. 2. *a diro.*

85. *Narraras* meliores pro *narrabas. Ibid.* alii *nec me nouere.* Guelf. 1. et 4. *at me mouere*, 2. *at ſocii me mouere*, 3. *ad me nouere.* Helmſt. a manu ſec. *at te nouere.* Scriuer. *nec eram corruptior inde*, pro uaria lectione, unde Burm. facit *nec eram quoque cautior inde*, uel *nec eram*

Vre; minor culpa poena futura mea eſt.
Nec mihi mens dubia eſt, quin te tua numina damnent:
Per mare, per terras ſeptima iactat hiems.
Fluctibus eiectum tuta ſtatione recepi,
Vixque bene audito nomine, regna dedi. 90
His tamen officiis utinam contenta fuiſſem:
Et mihi concubitus fama ſepulta foret!
Illa dies nocuit, qua nos decliue ſub antrum
Caeruleus ſubitis compulit imber aquis.
Audieram uocem; Nymphas ululaſſe putaui; 95
Eumenides fatis ſigna dedere meis.
Exige, laeſe pudor, poenas, uiolate Sichaeo:
Ad quem (me miſeram!) plena pudoris eo.
Eſt mihi marmorea ſacratus in aede Sichaeus:
Appoſitae frondes uelleraque alba tegunt. 100
Hinc ego me ſenſi noto quater ore citari:

Ipſe

prudentior. Criſpinus legit *at me mouere merentem*, *Inde minor*. Francius coni. *haec me mouere gementem*, *At minor haec culpâ culpa futura m. e.* Heuſing. ſcribit *an me mouere?*

86. *Vre* eſt e Putean. Vulgo *Illa*. Septem libri Heinſ. cum Guelf. 1. *Inde minor*. duo *Vnde*. unus *Atque*. alius *Ipſa*. alter Mentel. pro diuerſa lect. *Viue*, uel *Inde*. Francof. *Iure*.

87. Guelf. 2. *mea numina*. Multi ſcripti *tua munera*. Reg. et Francof. *mea munera*. Moreti *tua crimina*; quod probat Burm.

89. Moreti et duo alii *Fluctibus ereptum*.

95. *Vocem* meliores. Alii *uoces*.

97. Teſte Heinſ. uett. omnes *Sichaeu*. At Guelf. 1. et Helmſt. *Sychei*. Guelf. 3. *Sichey*.

98. Scripti omnes Heinſ. etiam Guelferbytani et Helmſtad. *Ad quas*. *Ibid*. Heinſ. uult *plena ruboris*.

100. *Appoſitae* quatuor libri Heinſ. Vulgo *oppoſitae*.

Ipſe ſono tenui dixit, Eliſſa ueni.
Nulla mora eſt; uenio; uenio tibi debita coniux:
Sed tamen admiſſi tarda pudore mei.
Da ueniam culpae: decepit idoneus auctor; 105
Inuidiam noxae detrahit ille meae.
Diua parens, ſeniorque pater, pia ſarcina nati,
Spem mihi manſuri rite dedere uiri.
Si fuit errandum, cauſas habet error honeſtis:
Adde fidem; nulla parte pigendus erit. 110
Durat in extremum, uitaeque nouiſſima noſtrae
Perſequitur fati, qui fuit ante, tenor.
Occidit internas coniux mactatus ad aras:
Et ſceleris tanti praemia frater habet.
Exul agor; cineresque uiri, patriamque relinquo: 115
Et feror in duras, hoſte ſequente, uias.

Appli-

103. Quidam *uenio dixi tibi*. Guelf. 4. *uenio, quondam. Ibid.* Putean. cum nouem al. Heinſ. it. Guelf. 3. *dedita coniux.*

104. Guelferbyt. omnes et Helmſt. *Sum tamen.* Deinde Guelf. 1. 3. 4. et Helmſtad. *amiſſo.* Gu. 4. *admiſſo.* Tum Helmſt. it. Gu. 1. 2. et 3. *tarda pudore meo*, ſed 3. a correct. pro *mei*, quod etiam in 4. reſtat.

106. Helmſt. *detrahat.*

108. Heuſing. e Guelf. 1. reponit *dedere tori.*

110. Quatuor ſcripti *pigendus amor.*

112. *Perſequitur* quatuor MSS. teſte Burm. it. Helmſt. Vulgo *Proſequitur.*

113. *Internas* e coniect. Naugerii. Scripti plerique, in his Guelf. omnes et Helmſt. *in terras.* Helmſt. a manu rec. *infelix.* quinque *ad terras.* quatuor *in terris.* duo *in terra. externas* totidem. Mycillus reponit *Herculeas* Dan. Heinſ. coni. *infernas*, Nic. Heinſ. *Herceas* h. e. Herceo Ioui dedicatas.

116. Baſil. *in dubias.*

Applicor ignotis: fratrique elapſa fretoque,
Quod tibi donaui, perfide, litus emo.
Vrbem conſtitui; lateque patentia fixi
Moenia, finitimis inuidioſa locis. 120
Bella tument: bellis peregrina et femina tentor:
Vixque rudes portas urbis, et arma, paro.
Mille procis placui: qui me coiere, querentes,
Neſcio quem thalamis praepoſuiſſe ſuis.
Quid dubitas uinctam Getulo tradere Iärbae? 125
Praebuerim ſceleri brachia noſtra tuo.
Eſt etiam frater; cuius manus impia poſſit
Reſpergi noſtro, ſparſa cruore uiri.
Pone deos, et quae tangendo ſacra profanas:
Non bene coeleſtes impia dextra colit. 130
Si tu cultor eras elapſis igne futurus;
Poenitet elapſos ignibus eſſe deos.

Forſitan

117. Cod. Moreti *Applicor ignaris*. Heinſ. coni. *Appl. his oris*.

118. Guelf. omnes *emi*.

119. Vnus Reg. *lat. potentia*. Deinde Putean. et decem alii Heinſ. it. Guelf. 3. ante correctorem et 4. *pat. finxi*. Helmſt. cum nouem Heinſ. *feci*. Heinſ. coni. *ieci*. Burm. praefert *feci*.

121. Lugd. et Scriuer. *Bella timent*, unde Dan. Heinſ. coni. *timens*, uel *tonant*. Vulgatam recte defendit Burm.

122. Excerpta Putean. *Virque rudis*. Deinde Leid. et Guelferb. 2. *ad arma*. Hinc Burm. legit *Vixque rudis portas urbis ad arma paro*.

123. Vnus Vatic. *qui me coluere*. Alii *me cupiere*, uel *petiere*.

126. Douza legebat *Praebueram*, atque ita Guelf. 3. a manu prima et 4. it. Helmſt.

127. Heinſ. coni. *impia poſcat*, et *poſcit* eſt in Guelf. 2. et 3. it. Helmſt.

Forſitan et grauidam Dido, ſcelerate, relinquas;
Parsque tui lateat corpore clauſa meo.
Accedet fatis matris miſerabilis infans; 135
Et nondum nati funeris auctor eris.
Cumque parente ſua frater morietur Iüli;
Poenaque connexos auferet una duos.
Sed iubet ire Deus. uellem uetuiſſet adire;
Punica nec Teucris preſſa fuiſſet humus. 140
Hoc duce (nempe deo) uentis agitaris iniquis,
Et teris in rapido tempora longa freto.
Pergama uix tanto tibi erant repetenda labore,
Hectore ſi uiuo, quanta fuere, forent.
Non patrium Simoënta petis, ſed Tibridas undas. 145
Nempe, ut peruenias quo cupis, hoſpes eris,
Vtque latet, uitatque tuas abſtruſa carinas,

133. Multi codd. *Didon*, uti Guelf. omnes. *Ibid.* Guelf 1. et 4. *relinques*, 2. et 3. *relinquis*.

134 Editt. Colin. et Berſm. et priores aliquot *tui latitat*.

135. Burm. mauult *matris fato*, ne tres uoces in *is* exeant.

136. *Nato* de coniectura Slichtenhorſt. et Heinſ. Scripti *nati*.

138 Berſm. MS. *connixos*.

139. Guelf. 1. et 2. *Si iubet*.

140. Helmſt. *ne Teucris*.

143. Guelf. 4. *tibi fuerant*.

145. Argent. Gronou. pro diuerſa lect. et Guelf. 1. *Sim. bibis*, unde Heinſ. legit *bibes*. *Ibid. Tibridas* eſt e Putean.

147. Helmſt. *Vsque latet*. *Ibid. uitatque* Putean. Guelf. 1. et 3. et Helmſt. cum al. quibusdam. Vulgo *refugitque*. Mox *abſtruſa* meliores. Guelf. 1. 2. 3. *obſtruſa*. Multi codd. aliter hunc uerſ. exhibent. Reg. Iun. et ſex alii: *Vtque iuuet uentusque tuas remusque carinas*. Leid. et Guelf. 4. *Vtque iuuet uelumque tuas uentusque carinas*. Scriuer. *Vt moueas remoque tuas uentoque car*. Alius: *Vtque uolet remusque tuis uentusque car*.

Vix tibi continget terra petita ſeni.
Hos potius populos in dotem, ambage remiſſa,
Accipe, et aduectas Pygmalionis opes. 150
Ilion in Tyriam transfer felicius urbem:
Hancque, locum regni, ſceptraque ſacra, tene,
Si tibi mens auida eſt belli, ſi quaerit Iülus
Vnde ſuo partus Marte triumphus eat;
Quem ſuperet, ne quid deſit, praebebimus hoſtem. 155
Hic pacis leges: hic locus arma capit.
Tu modo, per matrem, fraternaque tela, ſagittas,
Perque fugae comites, Dardana ſacra, deos:
(Sic ſuperent, quoſcunque tua de gente reportas,
Mars ferus et damnis ſit modus ille tuis, 160
Aſcaniusque ſuos feliciter impleat annos,
Et ſenis Anchiſae molliter oſſa cubent)
Parce precor domui, quae ſe tibi tradit habendam.
Quod crimen dicis, praeter amaſſe, meum?

Non

149. *Remiſſa* meliores pro *remota.*

150. Multi libri *adductas opes.* Heinſ. coni. *auectas.*

152. Vulgo legitur *Inque loco regis* (ſic et Guelf. 1. 2. 4.) *ſceptra ſacrata tene.* Barberin. Voſſ. Helmſt. et Guelf. 3. *Inque locum regis.* Guelf. 1. *regia ſceptra tene*, probante Heuſ. Putean. *Nomine coregis ſceptraque ſacra tene*, unde Salmaſ. faciebat *Nomine cum regis*, Heinſ. *Nomine et hanc regis.* Leid. *Hancque loco regis.* Burm. ex ueſtigiis Barber. Voſſ. et Leid. recepit: *Hancque, locum regni, ſceptraque ſacra tene.*

155. Putean. et alii ex melior. *Quod ſupereſt*, unde Heinſ. coni. *Quos ſuperet hoſtes.*

157. *Matrem* decem ſcripti Heinſ. Vulgo *patrem.*

160. *Damnis tuis* Erfurt. et alter Louan. Reliqui *damni tui.*

164. *Amaſſe* Vatic. Guelf. omnes et Helmſt. Al. *amare.*

Non ego ſum Phthias, magnisue oriunda Mycenis: 165
Nec ſteterunt in te uirque paterque meus.
Si pudet uxoris; non nupta, ſed hoſpita dicar.
Dum tua ſit Dido, quodlibet eſſe feret.
Nota mihi freta ſunt Afrum frangentia litus:
Temporibus certis dantque negantque uiam. 170
Cum dabit aura uiam, praebebis carbaſa uentis.
Nunc leuis eiectam continet alga ratem.
Tempus ut obſeruem, manda mihi: certius ibis:
Nec te, ſi cupies ipſe, manere ſinam.
Et ſocii requiem poſcunt, laniataque claſſis 175
Poſtulat exiguas ſemirefecta moras.
Pro meritis, et ſi qua tibi praebebimus ultra,
Pro ſpe coniugii tempora parua peto.
Dum freta miteſcunt et Amor: dum tempore et uſu

165. *Phthias* Putean. cum aliis emendatioribus. Vulgo *Phthia* Guelferbytani *pythia*, *pithya*, *pythia*, 4 *Non ego de pithia. Ibid.* Guelf. 1. 3. 4. *magnisque.* Multi uitioſe *magnis.*

166. *Steterunt* Putean. et Leid. Vulgo *ſteterant.* Guelf. 2. *Non ſteterant.*

168. *Quodlibet* Putean. et al. mel. Alii *quidlibet.* Guelf. 2. *qualibet*, 1. et 4 *quaelibet*, quod mauult Heuſing.

169. *Frangentia* meliores cum Guelf. Alii *tangentia.* Heinſ. coni. *plangentia*, Scaliger *mutantia.*

172. Guelf. 3. *Set leuis.*

173. Guelf. 1. et 4. it Helmſtad. cum al. *ſerius ibis.* Francof. pro uaria lect. *tutius.*

174. Guelf. 1. 2. 4. *cupias.*

177. *Praebebimus* cod. Douzae pro uulg. *debebimus. Ib.* Putean. Argent. et Guelf. 3. *ultro* h. e. *inſuper*, quod cum Heinſ. praefert Heuſing.

179. Vulgo *et amor dum temperat* (Putean. cum Guelf. 2. et 4. aliisque *temperet*) *uſum*, uel *uſus.* Mentel. alter *temperet uſu* E Putean. Salmaſius emendauit *miteſcunt et amor: dum tempore et uſu* caet. pro-

Fortiter ediſco triſtia poſſe pati. 180
Sin minus; eſt animus nobis effundere uitam.
In me crudelis non potes eſſe diu.
Aſpicias utinam quae ſit ſcribentis imago!
Scribimus; et gremio Troicus enſis adeſt:
Perque genas lacrymae ſtrictum labuntur in enſem; 185
Qui iam pro lacrymis ſanguine tinctus erit.
Quam bene conueniunt fato tua munera noſtro!
Inſtruis impenſa noſtra ſepulcra breui.
Nec mea nunc primo feriuntur pectora telo:
Ille locus ſaeui uulnus Amoris habet. 190
Anna ſoror, ſoror Anna, meae male conſcia culpae,
Iam dabis in cineres ultima dona meos.
Nec, conſumta rogis, inſcribar, Eliſſa Sichaei;
Hoc tamen in tumuli marmore carmen erit:
Praebuit Aeneas et cauſam mortis et enſem. 195
Ipſa ſua Dido concidit uſu manu.

EPIST.

bante Heinſ. qui coni. etiam *et amorem temperet uſus*. Guelf. 1. *Dum fr. miteſcant, et amor dum forte tepeſcat*, *Fort. ediſcam* caet.

180. *Ediſco* meliores. al. *ediſcam*.

181. Heuſing. ex omnibus Guelf. reſtituit. *Si minus*

184. Tres ſcripti *in grem.*

189. *Primo* alter Reg. Erfurt. et Guelf. 1. Vulgo *Primum*.

191. Guelf. 4. *uale male conſcia*.

194. Cod. chartac. Car. Strozzae *in tituli*.

195. Guelf. 2. *cauſas*.

196. MSS. plurimi teſte Heinſ. *icta manu*.

EPISTOLA VIII.
HERMIONE ORESTAE.

[Alloquor Hermione nuper fratremque, uirumque,
Nunc fratrem; nomen coniugis alter habet.]
Pyrrhus Achillides, animosus imagine patris,
Inclusam contra iusque piumque tenet.
Quod potui, renui; ne non inuita tenerer; 5
Caetera femineae non ualuere manus.
Quid facis, Aeacide? non sum sine uindice, dixi:
Haec tibi sub domino, Pyrrhe, puella suo est.
Surdior ille freto clamantem nomen Orestae
Traxit inornatis in sua tecta comis. 10
Quid grauius, capta Lacedaemone, serua tulissem,
Si raperet Graias barbara turba nurus?
Parcius Andromachen uexauit Achaïa uictrix,
Cum Danaus Phrygias ureret ignis opes.
At tu, cura mei si te pia tangit, Oreste, 15
Iniice non timidas in tua iura manus.
An, si quis rapiat stabulis armenta reclusis,
Arma feras? rapta coniuge lentus eris?

EPIST. VIII. u. 1. Hoc distichon ab omnibus MSS. quos uidit Heins. abest, nec non a Guelferb. omnibus et Helmst. Hinc spurium iudicat Heins. quamuis legatur in Ald. et in uno cod. margini adiectum sit manu recentiori.

5. Alter Mentel. *Quam potui.* Gottorp. *qua.*

10. Basil. *Tradit inorn.* unde Heins. facit *Trudit. Ibid.* Gronou. in *sua castra.*

15. Alii *si te iam tangit*, al. *si te nunc.* Cod. Balliolensis *At te caussa mei si te pia* t.

17. Burm. coni. *armenta reuulsis* uel *refractis.*

18. Guelf. 2. et 4. *feres.*

Sit ſocer exemplo, nuptae repetitor ademtae:
Cui pia militiae cauſa puella fuit. 20
Si ſocer ignauus uidua ſediſſet in aula;
Nupta foret Paridi mater, ut ante fuit.
Nec tu mille rates ſinuoſque uela pararis;
Nec numeros Danai militis: ipſe ueni.
Sic quoque eram repetenda tamen: nec turpe marito 25
Aſpera pro caro bella tuliſſe toro.
Quid? quod auus nobis idem Pelopeïus Atreus;
Et ſi non eſſes uir mihi, frater eras.
Vir, precor, uxori, frater ſuccurre ſorori:
Inſtant officio nomina bina tuo. 30
Me tibi Tyndareos, ui a grauis auctor et annis,
Tradidit: arbitrium neptis habebat auus.
At pater Aeacidae promiſerit inſcius acti;
Plus quoque, qui prior eſt ordine, poſſit auus.
Cum tibi nubebam, nulli mea taeda nocebat: 35
Si

20. 21 Hi uerſus in pleriſque codd. etiam Guelferbytanis et Heinſ. male omittuntur. *Vidua aula* tres libri pro *uacua*. *Ibid Sediſſet* margo Micylli et Berlin. Vulgo *ſtertiſſet*, uel *ſtetiſſet*, utrumque uitioſe. Vnus Regius et Heinſ. *uidua ploraſſet*.

23. *Pararis* Putean. Barberin. et Guelf. 1. 2. et 4. Vulgo *parabis*.

24. *Numeros* Putean. Gottorp. et Ambroſ. pro uulg. *numerum*.

31. *Tyndareos* cod. Leid. ut *Androgeos* Ep. X, 99. Vulgo *Tyndareus*.

33. 34. *Promiſerit* Putean. pro *promiſerat*. Guelf. 4. *Me pa. Ae promiſerat*. Deinde in Put. deeſt *qui*. Idem cum aliis nonnullis etiam Guelferb. *poſſet auus*. Heinſ. coni. *Plus quo, qui* (uel *quod*) *prior eſt ordine, poſſet auus*. Heuſing. uult: *Vt pa. Ae. promiſerit inſc. acti; Plus quoque, qui p. e. o. poſſet auus*.

Si iungar Pyrrho, tu mihi laesus eris.
Et pater ignoscet nostro Menelaus amori:
Succubuit telis praepetis ipse Dei.
Quem sib permisit, genero permittet amorem:
Proderit exemplo mater amata suo. 40
Tu mihi, quod matri pater, es: quas egerat olim
Dardanius partes aduena, Pyrrhus agit.
Ille licet patriis sine fine superbiat actis;
Et tu, quae referas, acta parentis habes.
Tantalides omnes, ipsumque regebat Achillen: 45
Hic pars militiae; dux erat ille ducum.
Tu quoque habes proauum Pelopem, Pelopisque parentem:
Si melius numeres, a Ioue quintus eris.
Nec uirtute cares: arma inuidiosa tulisti.
Sed tu quid faceres? induit illa pater. 50
Materia uellem fortis meliore fuisses:
(Non lecta est, operi sed data causa tuo.)
Hanc tamen implêsti; iuguloque Aegisthus aperto
Tecta cruentauit, quae pater ante tuus.
Increpat Aeacides, laudemque in crimina uertit; 55
Et tamen aspectus sustinet ille meos.

39. Guelf. 1. et 3. cum Vatic. *concedit amorem*, 1. a correct. 2. et 3. cum plerisque aliis *concedet*.
42 *Egerat* optimus Putean. cum al. ex melioribus. Vulgo *gesserat*.
43 Guelf. 3. *patris*.
44. Guelf. 2. *fata parentis*, tres *facta* cum Helmst.
48. Cod. Douzae *altius enumeres*.
50. *Pater* Putean. Reliqui *patrem*.
52. Cod. Moreti *Hanc causam*.
56. Scriuer. et Basil. *tamen amplexus*.

Rumpor, et ora mihi pariter cum mente tumescunt:
Pectoraque inclusis ignibus usta dolent.
Hermione coram quicquamne obiectet Orestae?
Nec mihi sunt uires; nec ferus ensis adest. 60
Flere licet certe: flendo diffundimus iram:
Perque sinum lacrymae, flaminis instar, eunt.
Has semper solas habeo, semperque profundo:
Hument incultae fonte perenne genae.
Hoc generis fato, quod nostros erat in annos, 65
Tantalides matres apta rapina sumus.
Non ego fluminei referam mendacia cygni:
Nec querar in plumis delituisse Iouem.
Qua duo porrectus longe freta distinet Isthmos,
Vecta peregrinis Hippodamia rotis. 70
Castori Amyclaeo et Amyclaeo Pollucí
Reddita Mopsopia Taenaris urbe soror.
Taenaris, Idaeo trans aequor ab hospite rapta, Argo-

59. *Quicquamne obiectet Orestae* ex emend. Heins. Vulgo *quisquamne obiecit Oresti*, quomodo Guelf. omnes et Helmst. Tres quatuorue *quicquamne*. Mentel. alter *si quicquam obiecit*. Leid. *quisquamne obiectet*. Argent. *si quisquam obiecit Orestem*.

61. Putean. *defundimus iram*. Guelf. 1. *dispargimus iras*.

63 Membranae Barth *Has semper lacrymas habeo*. Guelf 1. *solasque profundo*.

65. *Fato* Guelf. 1. cum al. melioribus. Vulgo *fatum*. Putean. *Nam generis fato*. *Ibid.* alter Mentel. *regnat in ann.* Heins. coni. *durat*, uel *haeret*, uel *perstat*.

66. Al. *Tantalides omnes*.

69. Quidam codd. *freta detinet*, ut Guelf. tres, *separat*, et similia. Guelf. 1. cum aliis uetustior. *destinat*.

72. *Taenaris* Putean. hoc et sequ. uersu. Reliqui *Tyndaris*.

73. *Aequor* scribit Heins. Codd. *aequora*.

Argolicas pro ſe uertit in arma manus.
Vix equidem memini: memini tamen. omnia luctus, 75
Omnia ſolliciti plena timoris erant.
Flebat auus, Phoebeque ſoror, fratresque gemelli:
Orabat ſuperos Leda, ſuumque Iouem.
Ipſa ego, non longos etiam tunc ſciſſa capillos,
Clamabam, Sine me, me ſine, mater, abis? 80
Nam coniux aberat. ne non Pelopeïa credar,
Ecce Neoptolemo praeda parata fui.
Pelides utinam uitaſſet Apollonis arcus!
Damnaret nati facta proterua pater.
Nec quondam placuit, nec iam placuiſſet Achilli, 85
Abducta uiduum coniuge flere uirum.
Quae mea coeleſtes iniuria fecit iniquos?
Quod mihi (uae miſerae) ſidus obeſſe querar?
Patua mea ſine matre fui; pater arma ferebat:
Et, duo cum uiuant, orba duobus eram. 90
Non tibi blanditias primis, mea mater, in annis
Incerto dictas ore puella tuli.
Non ego captaui breuibus tua colla lacertis:
Nec gremio ſedi ſarcina grata tuo.

Non

77. *Phoebeque ſoror* pro uulg. *flebatque ſor.* repoſuit Heinſ. e Put. Francof. et Iun. qui habent *Phoebique ſoror.* Etiam Guelf. 3. *Phebiti.*

79. Guelf. 1. cum Farneſ. *etiam tum*, 2. et 4. *etiam tunc.*

81. Guelf. 2. *Iam coniunx.*

82. Moreti cod. *petita fui.*

85. Guelf. 1. et 4. *nec nunc plac.* 3. *nec non.*

87. Tres ſcripti *Quae mihi*, elegantius.

88. *Quod mihi uae miſerae* meliores cum Guelf. tribus et Helmſt. Al. *Quoduc mihi miſerae* Guelf. 4 *Quodque.*

89. *Ferebat* Guelf. 1. et 3. cum melior. Al. *gerebat.*

Non cultus tibi cura mei: nec pacta marito 95
Intraui thalamos, matre parante, nouos.
Obuia prodieram reduci tibi (uera fatebor)
Nec facies nobis nota parentis erat.
Te tamen esse Helenen, quod eras pulcherrima, sensi.
Ipsa requirebas, quae tibi nata foret. 100
Pars haec una mihi coniux bene cessit Orestes:
Is quoque, ni pro se pugnet, ademtus erit.
Pyrrhus habet raptam, reduce et uictore parente:
Munus et hoc nobis diruta Troia dedit.
Cum tamen altus equis Titan radiantibus instat, 105
Perfruor infelix liberiore malo,
Nox ubi me thalamis, ululantem et acerba gementem,
Condidit, in moesto procubuitque toro;
Pro somno lacrymis oculi funguntur obortis:
Quaque licet fugio, sicut ab hoste, uirum 110
Saepe malis stupeo: rerumque oblita locique
Ignara tetigi Scyria membra manu.
Vtque nefas sensi, male corpora tacta relinquo:
Et mihi pollutas credor habere manus.

Saepe

99. Al. *Et tamen.* Sed *te tamen* scripti.

100. *Tibi* Leid. Voss. et excerpta Iur. Vulgo *tua.*

103. *Raptam* Putean. Vulgo *captam.*

104. Ita hic uersus in priscis editt. excerptis Iur. et multis Heins. it. Helmst. legitur. Putean. *Et minus a nobis.* Sex Heins. *Hoc munus nobis.* Al. *Ah non hoc nobis dir. Tr. fuit.* Al. *Et minus hoc nobis* (uel *minus a nobis*, uel *munus nobis*) *dir. Tr. fuit.* Heins. legit *Muneris hoc nobis dir. Tr. fuit.* Guelf. 1. *Hoc munus nobis dir. Tr. tulit*, quod placet Heusing.

110. *Virum* quinque scripti Heins. pro *uiro.*

Saepe Neoptolemi pro nomine nomen Oreſtae 115
Exit, et errorem uocis, ut omen, amo.
Per genus infelix iuro generisque parentem,
Qui freta, qui terras, qui ſua regna quatit;
Per patris oſſa tui, patrui mihi; quae tibi debent,
Quod ſe ſub tumulo fortiter ulta iacent: 120
Aut ego praemoriar, primoque extinguar in aeuo;
Aut ego Tantalidae Tantalis uxor ero.

EPISTOLA IX.
DEIANEIRA HERCVLI.

Gratulor Oechaliam titulis accedere noſtris:
Victorem uictae ſuccubuiſſe queror.
Fama Pelaſgiadas ſubito peruenit in urbes
Decolor, et factis inficianda tuis;
Quem numquam Iuno, ſeriesque immenſa laborum 5
Fregerit; huic Iölen impoſuiſſe iugum.
Hoc uelit Euryſteus, uelit hoc germana Tonantis:
Laetaque ſit uitae labe nouerca tuae.
At non ille uelit, cui nox (ſi creditur) una
Non tanti, ut tantus conciperere, fuit. 10
Plus tibi, quam Iuno, nocuit Venus. illa premendo
Suſtulit: haec humili ſub pede colla tenet.
Reſpice

117. Guelf. 2. et 4. cum Putean. Helmſt. et aliis multis *infelix oro.* male.
120. Guelf. 1. *Quod ſic*, uti uult. Burm. Guelf. 4. *Quae ſe* Louan. *Quod ſic ſub titulo.*
EPIST. IX. u. 4. Quinque codd. teſte Heinſ. *Diſcolor.*
9. *Velit* decem Heinſ. Vulgo *uenit.*
10. Quidam codd. *Non ſatis.* Mentel. alter *Non tanta.*
12. Guelf. 1. 2. et 3. cum Helmſt. *humilis.*

Reſpice uindicibus pacatum uiribus orbem,
Qua latam Nereus caerulus ambit humum.
Se tibi pax terrae, tibi ſe tota aequora debent: 15
Impleſti meritis Solis utramque domum.
Quod te laturum eſt, coelum prior ipſe tuliſti:
Hercule ſuppoſito ſidera fulcit Atlas.
Quid niſi notitia eſt miſero quaeſita pudori,
Si macula ſtupri facta priora notas? 20
Te ne ferunt geminos preſſiſſe tenaciter angues,
Cum tener in cunis iam Ioue dignus eras?
Coepiſti melius, quam deſinis. ultima primis
Cedunt: diſſimiles hic uir et ille puer.
Quem non mille ferae, quem non Stheneleïus hoſtis, 25
Non potuit Iuno uincere; uincit Amor.
At bene nupta feror; quia nominer Herculis uxor:
Sitque ſocer, rapidis qui tonat altus equis.
Quam male inaequales ueniant ad aratra iuuenci,
Tam premitur magno coniuge nupta minor. 30
Non honor eſt, ſed onus: ſpecies laeſura ferentem.
Si qua uoles apte nubere, nube pari.
Vir mihi ſemper abeſt; et coniuge notior hoſpes
Monſtra-

15. Heinſ. coni. *tuta aequora.*

17. *Prior* Baſil. et Moreti Vulgo *prius.*

18. Guelf. 1. a manu prima 2. et 3. cum Helmſt. et pleriſque aliis *fulſit.*

20. Guelf. 1. 2. 3. et Helmſtad. cum uulg. *Si cumulas ſt. f. pr. nota.* Reg. cum Guelf. 4. *Si maculas ſtupri* (Heinſ. coni. *turpi*) *f. p. nota.* Leid. *Si cumulo ſt. f. pr. notes.*

27. *Nominer* Argent. Vulgo *nominor.*

29. *Veniant* Putean. pro uulg *ueniunt.*

31. *Ferentem* meliores cum Guelf. 4. Al. *ferentes.*

Monſtraque, terribiles perſequiturque feras.
Ipſa domo uidua, uotis operata pudicis, 35
Torqueor, infeſto ne uir ab hoſte cadat.
Inter ſerpentes, aproſque, auidosque leones
Iactor, et eſuros terna per ora canes.
Me pecudum fibrae, ſimulacraque inania ſomni,
Ominaque arcana nocte petita mouent. 40
Aucupor infelix incertae murmura famae:
Speque timor dubia, ſpesque timore cadit.
Mater abeſt; queriturque deo placuiſſe potenti;
Nec pater Amphitryon, nec puer Hyllus adeſt.
Arbiter Euryſtheus irae Iunonis iniquae 54
Sentitur nobis, iraque longa deae.
Haec mihi ferre parum eſt: peregrinos addis amores;
Et mater de te quaelibet eſſe poteſt.
Non ego Partheniis temeratam uallibus Augen,
Nec referam partus, Ormeni nympha, tuos: 50
Non tibi crimen erunt Theutrantia turba ſorores:
Quarum de populo nulla relicta tibi.
Vna, recens crimen, praefertur adultera nobis;

Vnde

35. Argent. *ſtudiis operata.* Hafn. *thalamis op. Ibid.* Guelf. 2. et 4. cum Helmſt. *operoſa pud.*

38. *Eſuros* multi codd. Guelf. omnes cum Putean. et al; melius *haeſuros. Ibid.* Guelf. 1. *cerno per ora canes*, 2. et 4. *cerno per oſſa.* Putean. *terna per oſſa.* Vnus Vatic. *eſuros cerno per ora.* Vnde Heinſ. effinxit *eſuros terna per ora.*

40. Heinſ. coni. *petita monent*, et ſic Guelf. 2.

43. Vnus Strozzae et Guelf. 3. *placuiſſe tonanti.*

53. *Praefertur* ſex codd. Heinſ. Francof. et Guelf. 4. Vulgo *refertur.* Guelf. 1. *referetur*, 2 *fertur.* Egnatius coni. *defertur.*

Vnde ego ſum Lydo facta nouerca Lamo.
Maeandros, toties qui terris errat in îsdem, 55
Qui laſſas in ſe ſaepe retorquet aquas,
Vidit in Herculeo ſuſpenſa monilia collo;
Illo, cui coelum ſarcina parua fuit.
Non puduit fortes auro cohibere lacertos,
Et ſolidis gemmas appoſuiſſe toris. 60
Nempe ſub his animam peſtis Nemeaea lacertis
Edidit: unde humerus tegmina laeuus habet.
Auſus es hirſutos mitra redimire capillos:
Aptior Herculeae populus alba comae.
Nec te Maeonia, laſciuae more puellae, 65
Incingi zona dedecuiſſe putas?
Non tibi ſuccurrit crudi Diomedis imago,
Efferus humana qui dape pauit equas?
Si te uidiſſet cultu Buſiris in iſto;
Huic uictor uicto nempe pudendus eras. 70
Detrahat Antaeus duro redimicula collo;

Ne

55. *Maeandros* potiores pro *Maeander. Ib.* uetus ed. *qui ripis.* Vnus Vatic. *terris toties qui uoluitur îsdem.* Louan. 1. *uerſat in îsdem*, 2. *regnat i. î.* Quatuor alii *qui ſe toties concludit in orbem.* Reg. *toties qui ſe includit in orbem.* Vnde Burman. coni. *Maeandros, toties qui ſecum ludit in orbem.*

56. *Laſſas* Guelf. 1. et 4. cum Putean. et aliis nonnullis. Vulgo *lapſas.*

58. Vnus Heinſ. pro uar. lect. *Collo, cui.*

62. Cod. Moreti *Perdidit.*

63. H fu. *myrto redimire.*

66. Guelf omnes et Helmſtad. cum al. *dedecuiſſe pudet.* Leid *putes.*

68. *Equas* Putean. et Guelf. 1. Vulgo *equos.*

70. Sarrau. et Guelf. 3. *Sic uictor.*

71. Guelf. 2. *diro redim.*

Ne pigeat molli ſuccubuiſſe uiro.
Inter Iöniacas calathum tenuiſſe puellas
Diceris; et dominae pertimuiſſe minas.
Non fugis, Alcide, uictricem mille laborum 75
Raſilibus calathis impoſuiſſe manum?
Craſſaque robuſto deducis pollice fila,
Aequaque famoſae penſa rependis herae?
Ah quoties, digitis dum torques ſtamina duris,
Praeualidae fuſos comminuere manus! 80
Crederis, infelix, ſcuticae tremefactus habenis,
Ante pedes dominae procubuiſſe tuae.
Eximias pompas, praeconia ſumma triumphi,
Factaque narrabas diſſimulanda tibi.

Scilicet

72. Guelf. 1. *Et pigeat*, 4. *Nec pigeat.*

73. *Inter Iöniacas* uterque Vatic. Guelf. omnes et Helmſtad. cum al. Vulgo *Maeoniae inter*. Heinſ. coni. *Inter Coiadas*, uel *Iöniadas*.

75. *Non fugis* melior. Al. *Non pudet*.

76. Cod. Douzae *implicuiſſe man.*

78. Excerpta Put. *Creſſaque fam.* Multi *Craſſaque*. Reg. *plenaque*. Tres Heinſ. et Guelf. 1. *Tu quoque*, duo *Et quoque*. Excerpta Iur. cod. Voſſ. et Barber. *Et data fam.* Guelf. 4. *Haec quoquo. Ibid. famoſae* Louan. et Helmſt. Vulgo *formoſae*.

81. Guelf. 4. *Diceris infel.*

82. *Procubuiſſe tuae* cod. Reg. Vulgo *pertimuiſſe minas*, quod huc perperam traductum e u. 74.

83. Guelf. 1. 2. 4 et Helmſtad. *Eximiis pompis*. Putean. *Eximiis pompis immania ſemina laudum*. Scriuer. *Eximias pompas, immania ſemina laudum*, quod probat Burm. niſi malis *Eximias pompas, et praemia ſumma, triumphos*. Berſin. margo et excerpta Douzae *Exuuiis poſitis meritarum ſemina laudum*.

84. Heuſing. e Guelferb. 1. emendat *Factaque narrabis diſſ. tibi?*

Scilicet immanes elisis faucibus hydros 85
Infantem cunis inuolüisse manum?
Vt Tegeeus aper cupressifero Erymantho
Iucubet, et uasto pondere laedat humum?
Non tibi Threïciis affixa penatibus ora,
Non hominum pingues caede tacentur equae? 90
Prodigiumque triplex, armenti diues Iberi,
Geryones; quamuis in tribus unus erat?
Inque canes totidem trunco digestus ab uno
Cerberus, implicitis angue minante comis?
Quaeque redundabat fecundo uulnere serpens 95
Fertilis, et damnis diues ab ipsa suis?
Quique inter laeuumque latus, laeuumque lacertum,
Praegraue compressa fauce pependit onus?
Et male confisum pedibus formaque bimembri,
Pulsum Thessalicis agmen equestre iugis? 100
Haec tu Sidonio potes insignitus amictu

Dicere

85. *Elisis* Guelferb. 3. cum melioribus. Vulgo *elisos*.

86. Putean cum caeteris plerisque praestantior. *Inf. caudis*, et ita Guelf. omnes et Helmst. Nonnulli *Inf. cunis*. Quidam *Inf. nuda dilaceraſſe manu*. Alter Mentel. *Inf. uiduum dilaceraſſe manu*. Alii aliter. Heinf. insistens uestigiis Putean. scribit *Inf. nodis inuolüisse manum*.

88. *Incubet* et *laedat* Putean. Vulgo *incubat*, *laedit*. Guelf. 3. cum cod. Douzae *Incubuit uasto*. Scriuer *Incumbens uasto pond. laedat humum?* Gronou. *pulset humum*.

95. Helmst. *Quaeque fecundabat*.

96. *Diues ab ipsa* Guelf. 2. 3 4. cum Putean. et aliis melior Vulgo *ditior ipsa*.

97. Guelferb. 2. et 4. cum Helmst. *Quodque inter*. Deinde iidem *dextrumque lacertum*. Herculaneus *dextrumque latus dextrumque lacertum*.

Dicere? non cultu lingua retenta ſilet?
Se quoque Nympha tuis ornauit Iärdanis armis,
Et tulit e capto nota tropaea uiro.
I nunc, tolle animos, et fortia facta recenſe: 105
Quod tu non eſſes iure, uir illa fuit.
Qua tanto minor es, quanto te maxime rerum,
Quam quos uiciſti, uincere maius erat.
Illi procedit rerum menſura tuarum.
Cede bonis: haeres laudis amica tuae. 110
Pro pudor! hirſuti coſtas exuta leonis,
Aſpera texerunt uellera molle latus.
Falleris, et neſcis: non ſunt ſpolia iſta leonis,
Sed tua: tuque feri uictor es; illa tui.
Femina tela tulit Lernaeis atra uenenis, 115
Ferre grauem lana uix ſatis apta colum:
Inſtruxitque manum claua domitrice ferarum:
Vidit et in ſpeculo coniugis arma ſui.
Haec tamen audieram: licuit non credere famae;
En uenit ad ſenſus mollis ab aure dolor. 120
Ante meos oculos adducitur aduena pellex:
Nec mihi, quae patior, diſſimulare licet.
Non finis auerti; mediam captiua per urbem,
Inuitis oculis adſpicienda uenit.

104. Quidam codd. *bina tropaea.*

109. Vnus Vatic. *procedat.* Putean. a manu ſec. *proh cedit.*

111. *Pro pudor* ſex libri Heinſ. Vulgo *O pudor. Ibid. coſtas* Putean. Francof. et Mentel. alter pro uulg. *coſtis.*

114. *Feri* Putean. et Gronou. pro diuerſa lect. Vulgo *ferae.*

119. Guelf. 3. cum al. *Haec tantum.*

Nec uenit incultis, captarum more, capillis, 125
Fortunam uultus fassa tegendo suos.
Ingreditur late lato spectabilis auro:
Qualiter in Phrygia tu quoque cultus eras.
Dat uultum populo sublime sub Hercule uicto:
Oechaliam uiuo stare parente putes. 130
Forsitan et, pulsa Aetolide Deïanira,
Nomine deposito pellicis, uxor erit:
Eurytidosque Iöles, atque insani Alcidae
Turpia famosus corpora iunget Hymen.
Mens fugit admonitu, frigusque perambulat artus, 135
Et iacet in gremio languida facta manus.
Me quoque cum multis, sed me sine crimine, amasti:
Ne pigeat, pugnae bis tibi causa fui.
Cornua flens legit ripis Achelous in udis,
Truncaque limosa tempora mersit aqua. 140

Semi-

126. Ita uulgati. Quidam pro *fassa* habent *falsa* aut *fessa*. Maior pars codd. *Fortunam uultu fassa tegendo suam*, uel *tegente*. Vnus Ambros. *Fortunam uultu dissimulante suam*. Cod. Douzae *Fortunam uultu fassa tegente manu* Alii aliter. uide Cio. an. et Heins. qui coni. *Fortunam uultu fassa rigente suam*, Burm. *pudente suam*, uel *tremente*, Heusing *Fortunam uultu fassa decente suam*.

127. Al. *late multo*.

129. *Sublime sub* constanter scripti. Alter tamen Mentel. *sublimis ab*. Editum uulgo *sublimis ut*.

131. *Et pulsa* Putean. cum Guelf. 2. Vulgo *expulsa*. Douza coni. *Forsan et expulsa*, et sic Guelf 1.

133. Helmst. *Iöles, Alcidae fortis ubique*.

134. Guelf. 2. cum al. *formosus*. *Ib.* al. *iungit*.

139. *Ripis in udis* Argent. et Mentel. it. Guelf. 1. et 3. Putean. *ripis in imis*. Vulgo *rapidis Achelous in undis*.

Semiuir occubuit in letifero Eueno
  Nessus; et infecit sanguis equinus aquas.
Sed quid ego haec refero? scribenti nuntia uenit
  Fama, uirum tunicae tabe perire meae.
Hei mihi! quid feci? quo me furor egit amantem? 145
  Impia quid dubitas Deïanira mori?
An tuus in media coniux lacerabitur Oeta?
  Tu, sceleris tanti causa, superstes eris?
Si quid adhuc habeo facti, cur Herculis uxor
  Credar; coniugii mors mihi pignus erit. 150
Tu quoque cognosces in me, Meleagre, sororem.
  Impia quid dubitas Deïanira mori?
Heu deuota domus! solio sedet Agrios alto:
  Oenea desertum nuda senecta premit.
Exulat ignotis Tydeus germanus in oris. 155
  Alter fatali uiuus in igne fuit.

141. Vulgo *occubuit ui Lerniferoque ueneno.* Alter Mentel. *in Lernaeoque ueneno.* Scriner. *sub lauriferoque ueneno.* Nonnulli *Lernaei tabe ueneni*, uel *traiectus terga sagitta.* Putean. a manu pr. in *letifero ueneno*; unde Heins. corr. *Semifer occubuit in letifero Eueno.* Guelf 3 *in lorifero eueneno. Semifer* est in quatuor scriptis.

143. Guelf. 1. *hoc referam.*

144. *Tabe* Guelf. 1. et 3. cum melior. Vulgo *labe.*

145. Reg. cod. *quis me furor.*

147. Guelf. 1. a manu pr. *iactabitur Oeta.*

148. Putean. Guelf. 1. 2. 3. et Helmst. cum multis al. *uiua superstes.*

149. Vulgo *Et quid.* Putean. *Ei quid*, unde Heins. corr. *Si quid.*

150. Guelf. 2. 3. 4. et Helmstad. cum al. *mors mea.*

153. Vulgo legitur *acrior alto.* Putean. *acrios*, unde Heins. emend. *Agrios*, et sic Guelf. omnes.

154. Al. *longa senecta.*

Exegit ferrum ſua per praecordia mater:
Impia quid dubitas Deïanira mori?
Deprecor hoc unum, per iura ſacerrima lecti,
Ne uidear fatis inſidiata tuis. 160
Neſſus, ut eſt auidum percuſſus arundine pectus,
Hic, dixit, uires ſanguis amoris habet.
Illita Neſſeo miſi tibi texta ueneno.
Impia quid dubitas Deïanira mori?
Iamque uale, ſeniorque pater, germanaque Gorge, 165
Et patria et patriae frater ademte tuae.
Et tu, lux oculis hodierna nouiſſima noſtris,
Virque (ſed o poſſis!) et puer Hylle, uale.

EPISTOLA X.
ARIADNE THESEO.

Mitius inueni, quam te, genus omne ferarum:
Credita non ulli, quam tibi, peius eram.
Quae legis, ex illo, Theſeu, tibi litore mitto:
Vnde tuam ſine me uela tulere ratem.
In quo me ſomnusque meus male prodidit, et tu, 5
Per facinus ſomnis inſidiate meis.

Tempus

160. *Fatis* quatuor Heinſ. et Guelf. 3. Alii *thalamis*, ut Guelf. 2. Guelf. 1. cum Pateau. et al. *titulis*. Al. *noſtris toris*. Editio priſca *totis toris*.
166. Guelf. 2. et 4. cum al. *meae*.
168. Iidem *ſed ut poſſis*.

EPIST. X. In Guelferb. 1. diſticha tria priora ſic transponuntur, ut tertium locum teneat, quod in uulgatis primum, idque praecedat ſecundum et tertium uulgatarum.
3. Al. *Quam legis*.
6. Al. *Pro facinus*.

Tempus erat, uitrea quo primum terra pruina
Spargitur, et tectae fronde queruntur aues.
Incertum uigilans, a ſomno languida, moui
Theſea preſſuras ſemiſupina manus. 10
Nullus erat: referoque manus, iterumque retento,
Perque torum moueo brachia: nullus erat.
Excuſſere metus ſomnum, conterrita ſurgo:
Membraque ſunt uiduo praecipitata toro.
Protinus adductis ſonuerunt pectora palmis: 15
Vtque erat a ſomno turbida, rapta coma eſt.
Luna fuit: ſpecto, ſiquid, niſi litora, cernam.
Quod uideant oculi, nil, niſi litus, habent.
Nunc huc, nunc illuc, et utrôque, ſine ordine, curro:
Alta puellares tardat arena pedes. 20
Interea toto clamanti litore, Theſeu,
Reddebant nomen concaua ſaxa tuum:
Et quoties ego te, toties locus ipſe uocabat;
Ipſe locus miſerae ferre uolebat opem.
Mons fuit; apparent frutices in uertice rari; 25
Hinc ſcopulus raucis pendet adeſus aquis.
Adſcendo, (uires animus dabat) atque ita late
Aequora proſpectu metior alia meo.

 Inde

9. Al. *an ſomno*, ut Guelf. 4. Heinſ. coni. *ac ſomno.*

10. Guelf. 3. cum al. *preuſuras. Ibid. Semiſupina* ex emend. Heinſ. Codd. *ſemiſopita.* Sarrau. pro diuerſa lect. *ſemiſepulta.*

16. Guelf. 3. *e ſomno. Ibid.* margo Berſm. *rupta coma.*

18. Guelferb. 2. cum tribus Heinſ. *litus erat.*

26. *Hinc* excerpta Iur. cum al. nonnullis. Vulgo *Nunc* Voſſ. *Huic*, quatuor *Hic.*

Inde ego (nam uentis quoque ſum crudelibus uſa)
Vidi praecipiti carbaſa tenſa noto.
Aut uidi: aut etiam cum me uidiſſe putarem,
Frigidior glacie ſemanimisque fui.
Nec langue diu patitur dolor. excitor illo,
Excitor; et ſumma Theſea uoce uoco.
Quo fugis? exclamo: ſcelerate, reuertere, Theſeu:
Flecte ratem; numerum non habet illa ſuum.
Haec ego. quod uoci deerat, plangore replebam.
Verbera cum uerbis mixta fuere meis.
Si non audires, ut ſaltem cernere poſſes,
Iactatae late ſigna dedere manus.
Candidaque impoſui longae uelamina uirgae,
Scilicet oblitos admonitura mei.
Iamque oculis ereptus eras: tunc denique fleui;
Torpuerant molles ante dolore genae.
Quid potius facerent, quam me mea lumina flerent,
Poſtquam deſierant uela uidere tua?
Aut ego diffuſis erraui ſola capillis,
Qualis ab Ogygio concita Baccha Deo:
Aut mare proſpiciens in ſaxo frigida ſedi:

Quam-

30. Al. *tenſa noto*, ut Guelf. 1. 2. et 4.

31. Al. *aut certe, quia me uidiſſe putaui*. Mentel. alter *dum me uidiſſe putarem*. Quinque codd. *aut fuerant, quae m. u. p.* Guelf. 1. *aut tamquam quae me uidiſſe putaui*, 2. *aut etiam cum te uidiſſe putaui*. Alii aliter. Heuſing. coni. *Vt uidi, aut etiam, cum* caet.

37. Vulgo *Hoc ego, quod uoci*. Putean. *Haec*.

45. Helmſt. *te mea*.

46. Guelf. 3. cum Put. et quinque al. *deſieram*.

Quamque lapis ſedes, tam lapis ipſa fui. 50
Saepe torum repeto, qui nos acceperat ambos;
Sed non acceptos exhibiturus erat.
Et tua, qua poſſum, pro te, ueſtigia tango;
Strataque, quae membris intepuere tuis.
Incumbo; lacrymisque toro manante profuſis, 55
Preſſimus, exclamo, te duo: redde duos.
Venimus huc ambo: cur non diſcedimus ambo?
Perfide, pars noſtri, lectule, maior ubi eſt?
Quid faciam? quo ſola ferar? uacat inſula cultu.
Non hominum uideo, non ego facta boum. 60
Omne latus terrae cingit mare. nauita nuſquam:
Nulla per ambiguas puppis itura uias.
Finge dari comitesque mihi, uentosque, ratemque;
Quid ſequar? acceſſus terra paterna negat.
Vt rate felici pacata per aequora labar; 65
Temperet ut uentos Aeolus; exul ero.
Non ego te, Crete, centum digeſta per urbes,
Adſpiciam, puero cognita terra Ioui.
Nam pater, et tellus iuſto regnata parenti,
Prodita ſunt facto, nomina cara, meo. 70

53. *Qua poſſum* Argent. et excerpta Iur. Vulgo *quae poſſum.*

59. *Quo ſola* meliores pro *qua ſola. Ibid.* Putean. *uacat culto.*

63. Guelf. 2. *uentosque ſecundos.*

67. Guelf. 2. cum Iun. *centum diſiecta*, unde Heinſ. coni. *diſſepta.*

69. Moreti unus *Et pater*, alter cum Putean. *At pater. Ibid.* Guelf. 3. et 4. cum Putean. a manu ſec. et quinque al. *parente.*

70. Voſſ. *ſunt pacto.* Guelf. 2. et Helmſt. *ſunt fato.*

Cum tibi, ne uictor tecto morerere recuruo,
  Quae regerent paſſus, pro duce fila dedi.
Cum mihi dicebas, Per ego ipſa pericula iuro,
  Te fore, dum noſtrum uiuet uterque, meam.
Viuimus: et non ſum, Theſeu, tua. ſi modo uiuis, 75
  Femina, periuri fraude ſepulta uiri.
Me quoque, qua fratrem, mactaſſes, improbe, claua;
  Eſſet, quam dederas, morte ſoluta fides.
Nunc ego non tantum, quae ſum paſſura, recordor;
  Sed quaecunque poteſt ulla relicta pati. 80
Occurrunt animo pereundi mille figurae:
  Morsque minus poenae, quam mora mortis, habet.
Iam iam uenturos aut hac, aut ſuſpicor illac,
  Qui lanient auido uiſcera dente, lupos.
Forſitan et fuluos tellus alat iſta leones. 85
  Quis ſcit, an haec ſaeuas tigridas inſula habet?
Et fieta dicuntur magnas expellere phocas.
  Quid uetat et gladios per latus ire meum?
Tantum ne religer dura captiua catena;

Neue

71. *Victor* Putean. et duo alii Vulgo *uictus*.

73 Vulgo *Tu mihi*. *Ibid.* Gronou. *iſta peric.*

74. Guelf. 2 3 4. et Helmſt. *uiuat*.

75 Vulgo *modo uiuit*, quomodo Guelf. 1. a manu prima et 4.

85. *Alat* Putean. et Sarrau. *Alta* Guelf. 3. Cod. Douzae *parit*. Vulgo *alit*.

86. Al. *an haec ſaeuas inſula tigres habet*. Putean. *an et haec tigrides i. h.* Moreti *an haec tigres inſula ſaeua ferat*. Mentel. *an haec ſaeuas fert quoque terra tigres.* Heinſ coni. *an et ſaeua tigride Dia uacet.*

87. *Magnas* Guelf. 1. et 3. Plurimi codd. et edd. *magnos*.

88. *Quid uetat* repoſuit Heinſ. pro *Quis uetat*.

Neue traham ſerua grandia penſa manu: 90
Cui pater eſt Minos, cui mater filia Phoebi:
Quoque magis memini, quae tibi pacta fui.
Si mare, ſi terras, porrectaque litora uidi;
Multa mihi terrae, multa minantur aquae.
Coelum reſtabat, timeo ſimulacra Deorum. 95
Deſtituor rapidis praeda cibusque feris.
Siue colunt habitantque uiri, diffidimus illis.
Externos didici laeſa timere uiros.
Viueret Androgeos utinam: nec facta luiſſes
Impia funeribus, Cecropi terra, tuis! 100
Nec tua mactaſſet nodoſo ſtipite, Theſeu,
Ardua parte uirum dextera, parte bouem!
Nec tibi, quae reditus monſtrarent, fila dediſſem;
Fila per adductas ſaepe recepta manus!
Non equidem miror, ſi ſtat uictoria tecum, 105
Strataque Cretaeam bellua tinxit humum.
Non poterant figi praecordia ferrea cornu:
Vt te non tegeres, pectore tutus eras.
Illic tu ſilices, illic adamanta tuliſti:
Illic, qui ſilices, Theſea, uincat, habes. 110
Crudeles ſomni, quid me tenuiſtis inertem?

At

96. Guelf. 1. et 3. cum Argent. *rabidis feris.*

99. *Facta luiſſes* Guelf. 1. et Helmſt. Al. *fata luiſſes* uel *tuliſſes*, *facta luliſſes*, *facta luiſſet*. Putean. *fata tuliſſet.*

104. Heinſ. coni. *fila relecta.*

106. Alii *ſtrauit humum*, quomodo Helmſt. Guelf. 2. 3. 4. et 1. a gloſſat. Idem a manu pr. *texit hum.* Multi *tinxit.*

108. Cod. Douzae cum tribus al. *Vt tua non tegeres pectora.*

111. Tres codd. *qui me.* Palat. *cur.*

At ſemel aeterna nocte premenda fui.
Vos quoque, crudeles uenti, nimiumque parati;
Flaminaque in lacrymas officioſa meas.
Dextera crudelis, quae me fratremque necauit: 115
Et data poſcenti, nomen inane, fides.
In me iurarunt ſomnus, uentusque, fidesque.
Prodita ſum cauſis una puella tribus.
Ergo ego nec lacrymas matris moritura uidebo:
Nec, mea qui digitis lumina condat, erit? 120
Spiritus infelix peregrinas ibit in auras,
Nec poſitos artus unguet amica manus?
Oſſa ſuperſtabunt uolucres inhumata marinae?
Haec ſunt officiis digna ſepulcra meis?
Ibis Cecropios portus, patriaque receptus 125
Cum ſteteris urbis celſus in arce tuae,
Et bene narraris letum taurique, uirique,
Sectaque per dubias ſaxea tecta uias;
Me quoque narrato ſola tellure relictam:
Non ego ſum titulis ſurripienda tuis. 130
Nec pater eſt Aegeus; nec tu Pittheidos Aethrae
Filius:

112. Vnus Moreti *tenenda fui.*
118. Helmſt. *Perdita ſum.*
120. *Digitus* Scriuer. et Palat. Vulgo *digitis.*
126. Guelf. 1. *Dum ſtet. Ib. Vrbis celſus in arce* Putean. a manu ſec. et ſeptem alii. Vulgo *turbae celſus honore,* quomodo Guelf. 2. et 4. cum Helmſt. Louan. *urbis celſus in ore.* Octo *turbae celſus in arce.* Totidem Heinſ. it. Guelf. 1. et 3. *turbae celſus in ore.* Quinque *in orbe.*
127. Guelf. omnes et Helmſtad. *narrabis.*
129. *Sola* quidam codd. Plerique *ſolam.*

Filius: auctores saxa fretumque tui.
Di facerent, ut me summa de puppe uideres!
Mouisset uultus moesta figura tuos.
Nunc quoque non oculis, sed, qua potes, adspice mente 135
Haerentem scopulo, quem uaga pulsat aqua.
Adspice demissos lugentis in ore capillos;
Et tunicas lacrymis, sicut ab imbre, graues.
Corpus, ut impulsae segetes Aquilonibus, horret:
Litteraque articulo pressa tremente labat. 140
Non te per meritum, quoniam male cessit, adoro,
Debita sit facto gratia nulla meo:
Sed nec poena quidem, si non ego causa salutis,
Non tamen est, cur sis tu mihi causa necis.
Has tibi, plangendo lugubria pectora lassas, 145
Infelix tendo trans freta longa manus.
Hos tibi, qui superant, ostendo moesta capillos,
Per lacrymas oro, quas tua facta mouent:
Flecte ratem, Theseu; uersoque relabere uelo.
Si prius occidero; tu tamen ossa leges. 150

EPISTO-

133. Iun. *de rupe.*
135. Guelf. 2. *quod potes.*
137. *In ore* quatuor libri Heins. Vulgo *more.* Leid. *lugentum more.*
141. Reg. *cessit, adortor,* pro *adhortor.*
143. Guelf. 1. cum Putean. et quinque al. Heins. *ne poena quidem.* Vnus Moreti *neque quidem.*
147. Guelf. 3. *Hos quoque. Ib.* Burm. coni. *obtendo cap.*
149. *Velo* Basil. Vulgo *uento.* Gronou. pro uar. lect. *cursu.*
150. *Leges* Mentel. et tres al. Reliqui *feres.*

EPISTOLA XI.
CANACE MACAREO.

Si qua tamen caecis errabunt ſcripta lituris,
Obli tus a dominae caede libellus erit.
Dextra tenet calamum; ſtrictum tenet altera ferrum;
Et iacet in gremio charta ſoluta meo.
Haec eſt Aeolidos fratri ſcribentis imago. 5
Sic uideor duro poſſe placere patri.
Ipſe necis cuperem noſtrae ſpectator adeſſet;
Auctorisque oculis exigeretur opus.
Vt ferus eſt, multoque ſuis truculentior Euris,
Spectaſſet ſiccis uulnera noſtra genis. 10
Scilicet eſt aliquid, cum ſaeuis uiuere uentis:
Ingenio populi conuenit ille ſui.
Ille Noto Zephyroque et Sithonio Aquiloni
Imperat, et pennis, Eure proterue, tuis
Imperat (heu) uentis; tumidae non imperat irae: 15
Poſſidet et uitiis regna minora ſuis.
Quid iuuat, admotam per auorum nomina coelo,
Inter cognatos poſſe referre Iouem?

Num

EPIST. XI. In multis codd praemittitur hoc diſtichon adulterinum: *Aeolis Aeolidae, quam non habet ipſa, ſalutem Mittit, et armata uerba notata* (al. *ſcripta notata*, uel *uerba legenda*) *mana.*

1. Hanc. codd. *latent caecis errabunt ſcripta.*

4. Guelf. 3. *Et patet. Ibid.* Guelf. 4. cum al. *charta notata.*

6. Cod. Douzae *diro patri.*

7. Alter Mentel. *neci. ib.* quinque libri *adeſſes.*

9. Guelf. 1. *Vtque ferus multoque.*

10. Al. *Spectaret.*

Num minus infestum, funebria munera, ferrum
Feminea teneo, non mea tela, manu? 20
O utinam, Macareu, quae nos commisit in unum,
Venisset leto serior hora meo!
Cur umquam plus me, frater, quam frater amasti?
Et tibi, non debet quod soror esse, fui?
Ipsa quoque incalui: qualemque audire solebam, 25
Nescio quem sensi corde repente Deum.
Fugerat ore color: macies adduxerat artus:
Sumebant minimos ora coacta cibos.
Nec somni faciles, et nox erat annua nobis:
Et gemitum nullo laesa dolore dabam. 30
Nec, cur haec facerem, poteram mihi reddere causam:
Nec noram, quid amans esset: at illud eram.
Prima malum nutrix animo praesensit anili:
Prima mihi nutrix, Aeoli, dixit, amas.
Erubui, gremioque pudor deiecit ocellos. 35
Haec satis in tacita signa fatentis erant.
Iamque tumescebant uitiati pondera uentris,
Aegraque furtiuum membra grauabat onus.
Quas mihi non herbas, quae non medicamina nutrix
Attulit, audaci suppositque manu? 40
Vt penitus nostris (hoc te celauimus unum)
Visceribus crescens excuteretur onus: Ah

19. *Num minus* Putean. Guelf. omnes et Helmst Plerique *Non minus*. Al. *Nec minus*.

21. Edd. Ald. Bersm et al. *nos coniunxit* contra MSS.

28. *Adduxerat* Guelf. 3. et Helmst. Vulgo *abduxerat*, et *obduxerat*, uti Guelf 4.

30. Guelf 4. *gemitus*.

42. Palat. Leid. et Guelf. 4. *Visceribus nostris*. *Ibid.* Francof. et Guelf. 3. *exueretur*.

Ah! nimium uiuax admotis reſtitit infans
Artibus, et tecto tutus ab hoſte fuit.
Iam nouies erat orta ſoror pulcherrima Phoebi, 45
Denaque luciferos Luna mouebat equos.
Neſcia quae faceret ſubitos mihi cauſa dolores,
Et rudis ad partus, et noua miles eram.
Nec tenui uocem. Quid, ait, tua crimina prodis?
Oraque clamantis conſcia preſſit anus. 50
Quid faciam infelix? gemitus dolor edere cogit;
Sed timor, et nutrix, et pudor ipſe, uetant.
Contineo gemitus, elapſaque uerba reprendo:
Et cogor lacrymas combibere ipſa meas.
Mors erat ante oculos; et opem Lucina negabat: 55
Et graue, ſi morerer, mors quoque crimen erat.
Cum ſuperincumbens, ſciſſa tunicaque, comaque,
Preſſa refouiſti pectora noſtra tuis.
Et mihi, Viue ſoror, ſoror o cariſſima, dixti,
Viue: nec unius corpore perde duos. 60
Spes bona det uires: fratri nam nupta futura es:
Illius, es de quo mater, et uxor eris. Mortua

43. Nauger. et Ciof. coni. *At nimium.*

44. *Tecto* Putean. Vulgo *tectus.* Guelf. 1. *tectis.*

46. Putean. *Nonaque luc. L premebat equos.* Duae Venetae antiquae in margo Berſm. et Micylli *uehebat equos.*

47. Guelf. 1. *Neſcio.*

53. *Contineo* tres libri Heinſ. Vulgo *Continuo. Ib.* Helmſt. *reprendo.*

56. Multi *ſi moriar*, in his Guelf. 2. et 1. a correct. Id. a manu pr. cum Putean. *ſi morior.*

59. Helmſt. *Viue precor.*

61. Quidam Heinſ. *Germano nupta fut. es.* Guelf. 2. *fratri tu*, 3. *fratris nam*, 4. *fratri ſis nuvta futura.*

62. Ita Leid. Vulgo *Illius, de quo mater es*, (Putean. Guelf. omnes et plerique al. *ma-*

Mortua (crede mihi) tamen ad tua uerba reuixi;
Et positum est uteri crimen onusque mei.
Quid tibi grataris? media sedet Aeolus aula: 65
Crimina sunt oculis surripienda patris.
Frugibus infantem, ramisque albentis oliuae,
Et leuibus uittis sedula celat anus:
Fictaque sacra facit, dicitque precantia uerba.
Dat populus sacris, dat pater ipse, uiam. 70
Iam prope limen erat: patrias uagitus ad aures
Venit, et indicio proditur ille suo.
Eripit infantem, mentitaque sacra reuelat
Aeolus. insana regia uoce sonat.
Vt mare fit tremulum, tenui cum stringitur aura; 75
Vt quatitur tepido fraxina uirga Noto;
Sic mea uibrari pallentia membra uideres.
Quassus ab imposito corpore lectus erat.
Irruit; et nostrum uulgat clamore pudorem:
Es uix a misero continet ore manus. 80
Ipsa nihil, praeter lacrymas, pudibunda profudi:
Torpuerat gelido lingua retenta metu.

Iamque

ter et) *uxor eris.*

64. Balliolensis *Depositumque uteri. Ibid.* Guelf. 2. *utero meo.*

67. *Frugibus* Putean. Caeteri *frondibus.*

68. Codd. Scriuer. *uelat anus.*

70. Alter Mentel. et Francof. *Dant pop.*

72. Guelf. 1. cum al. *ipse suo.*

74. Basil. *uoce tonat.*

76. Al *trepido noto.* Gronou. *rapido* Louan. cum tribus al. Heinf. *tremulo.*

77. Vnus Reg. *Sic mihi.*

82. Putean. et alter Mor. *gelida manu.*

Iamque dari paruum canibusque auibusque nepotem
Iusserat, in solis destituique locis.
Vagitus dedit ille miser; (sensisse putares) 85
Quaque suum poterat uoce rogabat auum.
Quid mihi tunc animi credas, Germane, fuisse;
(Nam potes ex animo colligere ipse tuo)
Cum mea me coram siluas inimicus in altas
Viscera montanis ferret edenda lupis? 90
Exierat thalamo: tunc demum pectora plangi
Contigit, inque meas unguibus ire genas.
Interea patrius, uultu moerente, satelles
Venit, et indignos edidit ore sonos:
Aeolus hunc ensem mittit tibi: (tradidit ensem) 95
Et iubet ex merito scire, quid iste uelit.
Scimus; et utemur uiolento fortiter ense:
Pectoribus condam dona paterna meis.
His mea muneribus, genitor, connubia donas?
Hac tua dote, pater, filia diues erit? 100
Tolle procul decepte faces, Hymenaee, maritas;
Et fuge turbato tecta nefanda pede.

Ferte

87. Guelf. omnes et Helmst. *credis.*
88. Bersm. *Tu potes. Ibid.* cod. Farnes. *concipere ipse.*
91. Guelf. 4. et a correct. 1. cum al. *tum demum.* Al. *tum* (Helmst. *cum*) *denique.* Deinde *plangi* Erfurt. et ed. Bersm. Vulgo *planxi.*
92. Al. *ire comas*, ut Guelf. 1. et 3.
93. Putean. *Interea patruus.*
94. Vnus Medic. et Helmstad. *prodidit ore.*
85. Leid. *Aeolus hunc, dixit, per me tibi tradidit ensem.*
101. Mentel. 1. *Tolle precor.*
102. Guelf. 4. et Helmst. *effuge.*

Ferte faces in me, quas fertis, Erinnyes atrae,
  Vt meus ex isto luceat igne rogus.
Nubite felices, Parca meliore, sorores: 105
  Admissi memores sed tamen este mei.
Quid puer admisit, tam paucis editus horis:
  Quo laesit facto, uix bene natus, auum?
Si potuit meruisse necem, meruisse putetur.
  Ah miser admisso plectitur ille meo! 110
Nate, dolor matris, rapidarum praeda ferarum,
  (Hei mihi!) natali dilacerate tuo:
Nate, parum fausti miserabile pignus amoris;
  Haec tibi prima dies, haec tibi summa fuit.
Non mihi te licuit lacrymis perfundere iustis: 115
  In tua non tonsas ferre sepulcra comas.
Non superincubui: non oscula frigida carpsi.
  Diripiunt auidae uiscera nostra ferae.
Ipsa quoque infantes cum uulnere prosequar umbras:
  Nec mater fuero dicta, nec orba diu. 120
Tu tamen, o frustra miserae sperate sorori,
  Sparsa, precor, nati collige membra tui:

104. Guelf. 1. et 2. *Et meus.*
106. Putean. Guelf. 1. et al. *Amissae mem.*
107. Cod. Moreti *proditus horis.*
109. Guelf. 1. *Si meruisse necem poterat*
111. Quidam codd. *rabidarum fer.*
115. He. *perfundere nostris.*
116. Al. *nec tonsas.* He. *nos tons.*
117. Arg. *frigida fixi*, al. *sumsi*, al. *iunxi.*
119. *Infantes* codd. optimi Gu. omnes cum al. *infantis. Ibid. Prosequar* P. et Gu. omnes cum al. melior. Vulgo *persequar.*

Et refer ad matrem, ſocioque impone ſepulcro:
Vrnaque nos habeat, quamlibet arcta, duos.
Viue memor noſtri, lacrymasque in funera funde: 125
Neue reformida corpus amantis amans.
[Tu (rogo) proiectae nimium mandata ſororis,
Perfer. mandatis perfruar ipſa patris.]

EPISTOLA XII.

MEDEA IASONI.

At tibi Colchorum (memini) regina uacaui,
Ars mea, cum peteres, ut tibi ferret opem.
Tunc, quae diſpenſant mortalia fila, Sorores
Debuerant fuſos euoluiſſe meos.
Tunc potui Medea mori bene. quicquid ab illo 5
Produxi uitae tempore, poena fuit.
Hei mihi! cur umquam iuuenilibus acta lacertis
Phryxeam petiit Pelias arbor ouem?
Cur umquam Colchi Magnetida uidimus Argo;
Turbaque Phaſiacam Graia bibiſtis aquam? 10

Cur

125. *Vulnera* exc. Douzae et Gu. 4. P. cum Gu. 3. et al. *uulnere*. Vulgo *funere*.

127. 28. Totum hoc diſtichon ſpurium uidetur Heinſ. et in Put. a manu ſecunda erat. Gu. 1. *dilectae nimium*. Go. *Mandatum perfice*. Nauger. P. et Gr. *perſequar*. Gu. 1. a gloſſat. *effice*, 2. *profer*. 3. *praeter* He. *proſequar*. Heuſing. ſic emendat: *Tu, rogo, dilectae nim. mand. ſor. Perfice: muneribus perfr. ipſa patris*.

EPIST. XII. u. 1. *At tibi* P. et Gu. 3. cum al. nonnullis. Vulgo *Vt tibi*.

3. P. Gu. 2. et al. *mortal. facta*. Vulgo *fata*, quod eſt in Gu. tribus et He.

6. P. Gu. et al. multi *produxi uitam*.

Cur mihi plus aequo flaui placuere capilli;
Et decor, et linguae gratia ficta tuae?
Aut (ſemel in noſtras quoniam noua puppis arenas
Venerat, audaces attuleratque uiros,)
Iſſet anhelatos non praemedicatus in ignes 15
Immemor Aeſonides, oraque adunca boum:
Semina iecisſet; totidem ſenſiſſet et hoſtes:
Vt caderet cultu cultor ab ipſe ſuo.
Quantum perfidiae tecum, ſcelerate, periſſet!
Demta forent capiti quam mala multa meo! 20
Eſt aliqua ingrato meritum exprobrare uoluptas:
Hac fruar: haec de te gaudia ſola feram.
Iuſſus inexpertam Colchos aduertere puppim,
Intraſti patriae regna beata meae.
Hoc illic Medea fui, noua nupta quod hic eſt. 25
Quam pater eſt illi, tam mihi diues erat.
Hic Ephyren bimarem; Scythia tenus ille niuoſa

13. *Aut* P. et al. Gu. omnes He. et al. *At ſemel.*

15 Gu. omnes et He. cum al. *non praemeditatus.*

17. Vulgo *totidem ſumſiſſet*, uti He. a manu pr. it. Gu. 2. et a correct. 1. P. *Semina ſenſiſſet totidemque et ſemina et* (a correct. *ſeminat*) *hoſtes.* Gu. 1. a manu pr. *totidem quod ſeminat hoſtes.* He. pro uar. lect. *totidem quot ſemina et hoſtes.* Meliores plerique *Semina ſenſiſſet* (uel *iecisſet*) *totidem quod ſeminat hoſtes*; quidam etiam *totidem ſenſiſſet et hoſtes.* Heinſ. reſcribit *Semina iecisſet, totidem iecisſet et hoſtes.*

27. 28. Quidam *Scythiam tenet ille niuoſam*, uel *Scythiae niuoſae.* Scr. *Scythia tenus ille niuoſa Omne latus.* Heinſ. coni. *Scythiae tenet ille niuoſae Omne latus*, uel *Hic Ephyrae bimaris, Scythiae tenet ille niuoſae Omne latus.*

Omne tenet, Ponti qua plaga laeua iacet.
Accipit hospitio iuuenes Aeëta Pelasgos,
Et premitis pictos corpora Graia toros. 30
Tunc ego te uidi; tunc coepi scire, quid esses.
Illa fuit mentis prima ruina meae.
Vt uidi, ut perii; nec notis ignibus arsi,
Ardet ut ad magnos pinea taeda Deos.
Et formosus eras, et me mea fata trahebant: 35
Abstulerant oculi lumina nostra tui.
Perfide, sensisti: quis enim bene celat amorem?
Eminet indicio prodita flamma suo.
Dicitur interea tibi lex; ut dura ferorum
Insolito premeres uomere colla boum. 40
[Martis erant tauri plus, quam per cornua, saeui;
Quorum terribilis spiritus ignis erat.]
Aere pedes solidi, praetentaque naribus aera:
Nigra per afflatus haec quoque facta suos.
Semina praeterea, populos genitura, iuberis 45
Spargere deuota lata per arua manu,
Qui peterent secum natis tua corpora telis.
Illa est agricolae messis iniqua suo.

Lumina

29. Gu. 1. et He. cum al. *iuuenes pater Aeta.*

30. Go. *pectora Graia.* V. *Graia turba.* Mor. 1. *Graia iuuenta.*

34. Gu. 3. *Vror, ut.*

38. Edd. quaedam *Enitet indic.*

39. *Dicitur* P. *Lex* emend. Heins. et sic etiam He. Vulgo *Dixerat interea tibi rex*, quomodo Gu. omnes.

40. B. *premeres pondere.*

41. Hoc distichon Ouidianae uenae non esse uidetur Heins.

43. Scr. et Pa. *naribus ora.*

46. Al. *laeta per.*

48. Al. *Illa erat*, sed *est* scripti. *Ibid*, Gr. *messis amara.*

Lumina cuſtodis, ſuccumbere neſcia ſomno,
Vltimus eſt aliqua decipere arte labor. 50
Dixerat Aeëtes, moeſti conſurgitis omnes,
Menſaque purpureos deſerit alta toros.
Quam tibi nunc longe regnum dotale Creüſae,
Et ſocer, et magni nata Creontis erant?
Triſtis abis: oculis abeuntem proſequor udis: 55
Et dixit tenui murmure lingua, Vale.
Vt poſitum tetigi thalamo male ſaucia lectum;
Acta eſt per lacrymas nox mihi, quanta fuit.
Ante oculos taurique truces ſegetesque nefandae;
Ante meos oculos peruigil anguis erat. 60
Hinc amor, hinc timor eſt. ipſum timor auget amorem.
Mane erat; et thalamo cara recepta ſoror,
Diſiectamque comas, auerſaque in ora iacentem
Inuenit, et lacrymis omnia plena meis.
Orat opem Minyis: petit altera, et altera habebit. 65
Aeſonio iuueni, quod rogat illa, damus.
Eſt nemus, et piceis, et frondibus ilicis atrum:
Vix illud radiis ſolis adire licet.

57. Gu. 1. a manu pr. et 2. *Et poſitum.*
58. Gu. 4. *Actaque per lacr.* Baſ. *in lacrymis.*
59. Duo Med. He. Gu. 1. et 2. *taurique meos.*
63. Gu. omnes cum multis al. *aduerſaque.*
65. P. Go. et Gu. 2. *alter petit alter habebit.* Nonnulli *petit altera et alter habebit.* Heinſ. coni *Orat opem Minyis ſoror altera, at altera fleuit.* Heuſ. e gloſſa Gu. 1. ſic interpungit *Orat opem Minyis. Petit altera, et altera, Habebit*, ut *Habebit* ſit uox promittentis.

Sunt in eo, fuerantque diu, delubra Dianae:
  Aurea barbarica ſtat Dea facta manu. 70
Noſtin' an exciderunt mecum loca? ueniimus illuc;
  Orſus es infido ſic prior ore loqui
Ius tibi et arbitrium noſtrae Fortuna ſalutis
  Tradidit: inque tua uitaque morsque manu.
Perdere poſſe ſat eſt, ſi quem iuuat ipſa poteſtas; 75
  Sed tibi ſeruatus gloria maior ero.
Per mala noſtra precor, quorum potes eſſe leuamen;
  Per genus et numen cuncta uidentis aui;
Per triplicis uultus, arcanaque ſacra, Dianae;
  Et ſi forte alios gens habet iſta Deos. 80
O uirgo, miſerere mei, miſerere meorum!
  Effice me meritis tempus in omne tuum.
Quod ſi forte uirum non dedignare Pelaſgum,
  (Sed mihi tam faciles unde, meosque Deos?)
Spiritus ante meus tenues uaneſcat in auras, 85
  Quam thalamo, niſi tu, nupta ſit ulla meo.

Con-

69. Al. *fuerant certe*, Gu. 1. *certae*, uel *cinctae*. Gu. 4. *ut fuerant certe*.

71. *Noſtin' an exiderunt* P. et Gu. 4. Vulgo *Neſcio an exciderint* Vnus Med. *Neſtis*, quinque *Noſcis*. He. *Noſcis an exciderant*. Gu. 1. *Noſcis? an exciderant animo loca*, 2. *Neſcis* (a corr. *Noſcis*) *an exierint mecum loca*, 3. *Neſcis an exciderint*.

72. Gu. 1. et 2. cum al. *Auſus es*.

75. Al. *iuuat*, et *iſta*.

78. P. *genus et nomen*.

79. *Triplicis* P. duo A. et Gu. 3. Vulgo *triplices*.

80. *Alios* repoſuit Heinſ. Scripti *aliquos*.

84. Multi *unde putabo deos*, uel *deos habeam*. Gu. 1. *arbitrer unde deos*.

85. *Vaneſcet* reponit Heuſ.

Conſcia ſit Iuno, ſacris praefecta maritis;
Et Dea, marmorea cuius in aede ſumus.
Haec animum (et quota pars haec ſunt?) mouere puellae
Simplicis; et dextrae dextera iuncta meae. 90
Vidi etiam lacrymas. an pars eſt fraudis in illis?
Sic cito ſum uerbis capta puella tuis.
Iungis et aeripedes inaduſto corpore tauros,
Et ſolidam iuſſo uomere findis humum.
Arua uenenatis, pro ſemine, dentibus imples; 95
Naſcitur, et gladios ſcutaque miles habet.
Ipſa ego, quae dederam medicamina, pallida ſedi,
Cum uidi ſubitos arma tenere uiros.
Donec terrigenae (facinus miſerabile) fratres
Inter ſe ſtrictas conſeruere manus. 100
Peruigil ecce draco, ſquammis crepitantibus horrens,
Sibilat; et torto pectore uerrit humum.
Dotis opes ubi tunc? ubi tunc tibi regia coniux?

e Gu. 1.
87. Arg. *ſcit Iuno.*
89. *Et quota pars haec ſunt* P. Plerique *quota pars poſſunt* (quidam *poſſent* uel *poterant*) *mouere*, uel *mouiſſe.* Al. *etiam mouêre.*
91. Li. *an pars et.*
92. R. *Sic ego.*
94. Gr. *Inſolitam. Ib.* Leid. *preſſo uomere.* He. cum al. *ſcindis hum.*
96. Vulgo *habens.*
98. He. *Cum uideo. Ibid.* V. *arma mouere.*
100. Vulgo *in ſe conſtrictas*, et ſic Gu. 2. P. et Gu. 3. *Inter conſtrictas.* Str. et He. *Inter ſe conſtrictas.*
101. Tres ſcripti *Serpens ecce uigil ſquammis.* Vnus V. *Inſomnis ſerpens.* P. et Gu. 1. *Inſopor ecce uigil*, unde Heinſ. facit *Inſuper ecce uigil.* E. pro uar. lect. *Inſopor ecce draco.*
102. He. *intorto. Ibid.* Quidam *uertit humum*, uel *uerſat.* Vnus Heinſ. *naſtat.*
103. *Opes ubi tunc? ubi tunc tibi* ex emendat. Heinſ.

Quique maris gemini diſtinet Iſthmos aquas?
Illa ego, quae tibi ſum nunc denique barbara facta, 105
Nunc tibi ſum pauper, nunc tibi uiſa nocens.
Flammea ſubduxi medicato lumina ſomno:
Et tibi, quae raperes, uellera tuta dedi.
Proditus eſt genitor: regnum patriamque reliqui:
Munus in exilio quodlibet eſſe tuli. 110
Virginitas facta eſt peregrini praeda latronis:
Optima, cum cara matre, relicta ſoror.
At non te fugiens ſine me, germane, reliqui.
Deficit hoc uno littera noſtra loco.
Quod facere auſa mea eſt, non audet ſcribere, dextra, 115
Sic ego, ſed tecum, dilaceranda fui.
Nec tamen extimui (quid enim poſt illa timerem?)
Credere me pelago femina, tamque nocens.
Numen ubi eſt? ubi Dî? meritas ſubeamus in alto,
Tu fraudis poenas, credulitatis ego. 120
Complexos utinam Symplegades eliſiſſent,
Noſtraque adhaererent oſſibus oſſa tuis!
Aut nos Scylla rapax canibus miſiſſet edendos!

(Debuit

Vulgo *opes ubi erant? ubi erat tua.* Plerique ſcripti *tibi reg. coniux.* Vnus Pal. *ubi tunc et regia.* Duo Med. *Dotis* opes *ubi nunc.*

108. Vnus Heinſ. *quae referas* Med. unus *uellera fulua.*

110. Vnus Pat. *Munus exilio. Quolibet* e coniect. Burm. pro *quodlibet.* He. *qualibet.* Al. *quod licet eſſe tuli*, uel *quo licet.* Heinſ. coni. *et minus exilio quidlibet eſſe tuli.*

113. Gu. 2. cum multis al. *At te non fug.*

118. *Tamque* Fr. Caeteri *iamque.*

121. *Complexos* duo Med. Vulgo *Compreſſos.*

(Debuit ingratis Scylla nocere uiris.)
Quaeque uomit fluctus totidem, totidemque reſorbet, 125
Nos quoque Trinacriae ſuppoſuiſſet aquae!
Soſpes ad Haemonias, uictorque, reuerteris urbes;
Ponitur ad patrios aurea lana Deos.
Quid referam Peliae natas, pietate nocentes,
Caeſaque uirginea membra paterna manu? 130
Vt culpent alii, tibi me laudare neceſſe eſt,
Pro quo ſum toties eſſe coacta nocens.
Auſus es ô, (iuſto deſunt ſua uerba dolori)
Auſus es, Aeſonia, dicere, cede domo.
Iuſſa domo ceſſi, natis comitata duobus; 135
Et, qui me ſequitur ſemper, amore tui.
Vt ſubito noſtras Hymen cantatus ad aures
Venit, et accenſo lampades igne micant,
Tibiaque effundit ſocialia carmina uobis,
At mihi funerea flebiliora tuba; 140
Pertimui; nec adhuc tantum ſcelus eſſe put abam:
Sed tamen in toto pectore frigus erat.
Turba ruunt; et, Hymen, clamant: Hymenaee, frequentant.
Quo propior uox eſt, hoc mihi peius erat.

Diuerſi

127. Ha. *reuert. arces.*
128. Quidam codd. *aurea praeda*, uel *barbara praeda.* Arg. *barbara lana.*
130. Gu. 1. *Laeſaque uirg.* 4. *Sciſſaque.*
139. *Effundit* P. Gu. 3. et ſex Heinſ. Caeteri *effudit*,
140. P. *Et mihi funeſta. Funeſta* etiam Gu. 3. et 4. cum He. *Ibid.* Gu. 4. *flebit lira.*
144. P. et Go. *uox haec.* Gu. 1. cum duobus Heinſ *haec uox.*

Diuerſi flebant ſerui, lacrymasque tegebant. 145
Quis uellet tanti nuncius eſſe mali?
Me quoque, quicquid erat, potius neſcire iuuabat:
Sed, tamquam ſcirem, mens mihi triſtis erat.
Cum minor e pueris, iuſſus ſtudioque uidendi,
Conſtitit ad geminae limina prima foris: 150
Hic mihi, Mater, abi; pompam pater, inquit, Iäſon
Ducet; et adiunctos aureus urguet equos.
Protinus abſciſſa planxi mea pectora ueſte:
Tuta nec a digitis ora fuere meis.
Ire animus mediae ſuadebat in agmina turbae, 155
Sertaque compoſitis demere rapta comis.
Vix me continui, quin ſic laniata capillos
Clamarem, Meus eſt, iniiceremque manus.
Laeſe pater, gaude: Colchi gaudete relicti;
Inferias, umbrae fratris, habete mei. 160
Deferor (amiſſis regno, patriaque, domoque)
Coniuge, qui nobis omnia ſolus erat.
Serpentes igitur potui, taurosque furentes;
Vnum non potui perdomuiſſe uirum?
Quaeque feros pepuli doctis medicatibus ignes, 165
Non

148. *Mens mihi* Baſ. etHe. Vulgo *mens mea.*

149. Multi codd. *iuſſu.* Quidam *uiſus*, *uiſu*, *luſu*, *miſſus.* Gr. *curſu.*

150. Gu. 1. *Aſtitit ad*, quod uerum putat Heuſ. *Ibid.* Ha. *ad dominae.*

151. *Hic* quatuor Heinſ. Vulgo *Hinc.* Vnus V. *Qui mihi.*

152. *Dueet* P. et Ha. pro *Ducit. Ibid.* R. et tres al. *adductos equos*, duo *auratos.*

165. *Pepuli* duo Med. et Sa pro diu. lect. it. He. et Gu. 1. et 2. Vulgo *repuli.* Excerpta Put. et Iur. cum al. nonnullis *rapui*, tres *domui.*

Non ualeo flammas effugere ipſa meas?
Ipſi me cantus, herbaeque, artesque relinquunt?
Nil Dea, nil Hecates ſacra potentis agunt?
Non mihi grata dies: noctes uigilantur amarae:
Nec tener in miſero pectore ſomnus adeſt. 170
Quae me non poſſum, potui ſopire draconem.
Vtilior cuiuis, quam mihi, cura mea eſt.
Quos ego ſeruaui, pellex amplectitur, artus:
Et noſtri fructus illa laboris habet.
Forſitan et, ſtultae dum te iactare maritae 175
Quaeris, et iniuſtis auribus apta loqui,
In faciem, moresque meos, noua crimina fingas.
Rideat, et uitiis laeta ſit illa meis.
Rideat, et Tyrio iaceat ſublimis in oſtro;
Flebit: et ardores uincet aduſta meos. 180
Dum ferrum flammaeque aderunt, ſuccusque ueneni,
Hoſtis Medeae nullus inultus erit.
Quod ſi forte preces praecordia ferrea tangunt;
Nunc animis audi uerba minora meis.
Tam tibi ſum ſupplex, quam tu mihi ſaepe fuiſti: 185
Nec moror ante tuos procubuiſſe pedes.

Si

170. P. cum multis caſtigatior. et Gu. 1. 2. 4. et He. *teneram miſ.p. ſ. habet.* Quinque *tenero miſeram pectore.* Duo ſcripti *Nec tacitam miſero pect. ſ. habet.* Tres *tacito miſeram.* Vnus A. *Nec teneram miſero p. ſ. alit.* Gu. 3. *Ne tacito miſeret pectore ſonus habet.*

177. *Fingas* P. Vulgo *fingis.* Gu. 1. *finges.*

179. Leid. *niteat ſubl.* Scr. *ſedeat.*

180. Gu. 2. cum al. nonnullis *ſentiet uſta meos.* Vo. *ſanciet.*

185. *Tam* et *quam* e Leid. Vulgo *Nam* et *quod.* P. *quam tu mihi.*

Si tibi ſum uilis; communes reſpice natos.
Saeuiet in partus dira nouerca meos.
Et nimium ſimiles tibi ſunt: et imagine tangor:
Et, quoties uideo, lumina noſtra madent. 190
Per ſuperos ora, per auitae lumina flammae,
Per meritum, et natos, pignora noſtra, duos:
Redde torum; pro quo tot res inſana reliqui.
Adde fidem dictis; auxiliumque refer.
Non ego te imploro contra taurosque uirosque; 195
Vtque tua ſerpens uicta quieſcat ope.
Te peto, quem merui, quem nobis ipſe dediſti;
Cum quo ſum pariter facta parente parens.
Dos ubi ſit, quaeris? campo numerauimus illo,
Qui tibi, laturo uellus, arandus erat. 200
Aureus ille aries, uillo ſpectabilis aureo,
Dos mea: quam, dicam ſi tibi, redde; neges.
Dos mea, tu ſoſpes: dos eſt mea, Graia iuuentus.
I nunc, Siſyphias, improbe, confer opes.
Quod uiuis; quod habes nuptam ſocerumque potentem; 205
Hoc ipſum, ingratus quod potes eſſe, meum eſt.
Quos equidem actutum! ſed quid praedicere poenam
Attinet? ingentes parturit ira minas.

Quo

191. Vnus R. it. edd. Ven. Ald. 1. et Berſm. *numina flammae.*

192. Al. *pignora redde.* Duo ſcripti *pign cara. Ib.* al. *tuos* pro *duos.*

199. Mor. *quaeras. Ibid.* Gu. 1. 2. 4. cum ſcriptis pleriſque *numeramus in illo.* Quatuor Heinſ. et Gu. 4. a corr. *numeremus in illo.*

202. Ball. *Dos mihi.* Gu. 1. *Dos tibi: quam dicam.*

203. Ha. *Dos mihi.*

204. Heinſ. coni. *His nunc,*

Quo feret ira, ſequar. facti fortaſſe pigebit.
Et piget infido conſuluiſſe uiro.
Viderit iſta Deus, qui nunc mea pectora uerſat:
Neſcio quid certe mens mea maius agit.

EPISTOLA XIII.

LAODAMIA PROTESILAO.

Mittit, et optat amans, quo mittitur, ire ſalutem,
Aemonis Aemonio Laodamia uiro.
Aulide te fama eſt uento retinente morari.
Ah! me cum fugeres, hic ubi uentus erat?
Tum freta debuerant ueſtris obſiſtere remis.
Illud erat ſaeuis utile tempus aquis.
Oſcula plura uiro, mandataque plura dediſſem:
Et ſunt quae uolui dicere plura tibi.
Raptus es hinc praeceps: et, qui tua uela uocaret,
Quem cuperent nautae, non ego, uentus erat.
Ventus erat nautis aptus, non aptus amanti.
Soluor ab amplexu, Proteſilaë, tuo;
Linguaque mandantis uerba imperfecta relinquit;
Vix illud potuit dicere triſte Vale.

Incubuit

Fr. *I nunc Hypſeas*, cum gloſſa, *a matre Creüſae.*
211. P. *Videris*, quo admiſſo Heinſ. corr. *uerſas.*
212. P. cum al. *agat.*
EPIST. XIII. u. 4. P. et octo al. *A me.*
5. He. *noſtris obſiſtere.*
7. Apr. *plura meo.*
8. Gu. 1. 3. 4. cum al. *multa tibi.*
13. Multi ſcripti, in his Gu. omnes, *mandantis* et *reliquit.*
14. Gu. 1. *Vix iſtud. Ibid.* Gu. omnes cum al. *potui.*

Incubuit Boreas, arreptaque uela tetendit; 15
Iamque meus longe Protesilaus erat.
Dum potui spectare uirum, spectare iuuabat:
Sumque tuos oculos usque secuta meis.
Vt te non poteram, poteram tua uela uidere:
Vela diu uultus detinuere meos. 20
At postquam nec te, nec uela fugacia uidi;
Et quod spectarem, nil, nisi Pontus, erat;
Lux quoque tecum abiit; tenebris exanguis obortis
Succiduo dicor procubuisse genu.
Vix socer Iphiclus, uix me grandaeuus Acastus, 25
Vix mater gelida moesta refecit aqua.
Officium fecere pium; sed inutile nobis.
Indignor miserae non licuisse mori.
Vt rediit animus, pariter rediere dolores;
Pectora legitimus casta momordit amor. 30
Nec mihi pectendos cura est praebere capillos:
Nec libet aurata corpora ueste tegi.
Vt quas pampinea tetigisse Bicorniger hasta
Creditur; huc illuc, quo furor egit, eo.
Conueniunt matres Phylleïdes, et mihi clamant, 35
Indue regales, Laodamia, sinus.

Scilicet

15. P. Gu. 1. et al. *abreptaque*. Bas. *afflataque*.
23. Gu. 2. cum al. *tenebrisque*.
26. Mor. et tres al. *membra refecit*.
29 *Vt rediit* P. Gu. 2. 3 et septem Heins. Vulgo *Vtque animus rediit*.
34. Gu. 1. et 3. cum al. *qua furor*.
35. *Phylleïdes* emend. Heins. ex P. qui *Phylaides*. Vulgo *Phylaceïdes*. Gu. 2. *Phylaceydos*.

Scilicet ipsa geram saturatas murice uestes:
Bella sub Iliacis moenibus ille gerat?
Ipsa comas pectar: galea caput ille prematur?
Ipsa nouas uestes, dura uir arma ferat? 40
Qua possum, squalore tuos imitata labores
Dicar: et haec belli tempora tristis agam.
Dux Pari Priamide, damno formose tuorum,
Tam fis hostis iners, quam malus hospes eras.
Aut te Taenariae faciem culpasse maritae, 45
Aut illi uellem displicuisse tuam.
Tu, qui pro rapta nimium, Menelaë, laboras,
Hei mihi, quam multis flebilis ultor eris!
Dî, precor, a nobis omen remouete sinistrum:
Et sua det reduci uir meus arma Ioui. 50
Sed timeo: quotiesque subit miserabile bellum,
More niuis, lacrymae, sole madentis, eunt.
Ilion et Tenedos, Simoisque, et Xanthus, et Ide,
Nomina sunt ipso pene timenda sono.

Nec

37. Bas. et Gr. pro diu. lect. *murice lanas*. Burm. coni. *laenas*.

38. Gu. 1. 2. 4. *geret*, 3. *gerit*.

39. *Pectar* alter Mor. et Gu. 1. Vulgo *pectam*. *Ibid.* He. et Gu. 3. et 4. cum al. *premetur*.

40. Gu. omnes *arma feret*. Nonnulli *gerat*. He. *geret*.

41. Gu. 2. et 4. it. He. cum plerisque *Quo possum*.

42. Gu. 4. *hoc belli*, 3. cum He. *hic belli*.

43. Gr. pro uar. lect. *formose uirorum*.

49. R. Pal. unus et D. *omen reuocate*.

50. D. *Vt sua*. *Ibid.* Gu. 4. *uir precor*.

51. Libri uett. praeter unum V. *quoties subiit*.

Nec rapere aufurus, nifi fe defendere poffet, 55
Hofpes erat: uires nouerat ille fuas.
Venerat (ut fama eft) multo fpectabilis auro,
Quique fuo Phrygias corpore ferret opes.
Claffe uirisque potens, per quae fera bella geruntur:
Et fequitur regni pars quotaquaeque fui? 60
His ego te uictam, confors Ledaea gemellis,
Suspicor: haec Danais poffe nocere puto.
Hectora nefcio quem timeo. Paris Hectora dixit
Ferrea fanguinea bella mouere manu.
Hectora, quifquis is eft, fi fum tibi cara, caueto. 65
Signatum memori pectore nomen habe.
Hunc ubi uitaris, alios uitare memento:
Et multos illic Hectoras effe puta.
Et facito dicas, quoties pugnare parabis,
Parcere me iuffit Laodamia fibi. 70
Si cadere Argolico fas eft fub milite Troiam,
Te quoque non ullum uulnus habente, cadat,
Pugnet, et aduerfos tendat Menelaus in hoftes:
Vt rapiat Paridi, quam Paris ante fibi.
Irruat; et caufa quem uincit, uincat et armis. 75
Hoftibus e mediis nupta petenda uiro eft.
Caufa tua eft difpar. tu tantum uiuere pugna,
Inque

60. Vulgo *quota quemque.* P. pro diu. lect. *quotacunque.* Sa. *quotaquaeque* uel *quotaquamque.*
61. He. *His quoque.*
69. *Facito dicas* Gr. Vulgo *ut dicas. Ib.* Scr. *bellare parabis.*
72. L. *Te quoque, fed nullum.*
74. 75. Hi uerfus abfunt a P. L. it. Gu. 1. et 3. *Quem uicit.* He.

Inque pios dominae posse redire sinus.
Parcite, Dardanidae, de tot, precor, hostibus uni:
Ne meus ex illo corpore sanguis eat.
Non est, quem deceat nudo concurrere ferro,
Saeuaque in oppositos pectora ferre uiros.
Fortius ille potest multo, quum pugnat amore.
Bella gerant alii; Protesilaus amet.
Nunc fateor; uolui reuocare; animusque ferebat;
Substitit auspicii lingua timore mali.
Cum foribus uelles ad Troiam exire paternis,
Pes tuus offenso limine signa dedit.
Vt uidi, ut gemui; tacitoque in pectore dixi:
Signa reuersuri sint, precor, ista uiri.
Haec tibi nunc refero, ne sis animosus in armis:
Fac meus in uentos hic timor omnis eat.
Sors quoque nescio quem fato designat iniquo,
Qui primus Danaûm Troada tangat humum.
Infelix, quae prima uirum lugebit ademtum!
Dí faciant, ne tu strenuus esse uelis!
Inter mille rates tua sit millesima puppis,
Iamque fatigatas ultima uerset aquas.

82. Gu. 4. *Duraque in.*

83. *Quum pugnat* e coni. Heins. Vulgo *qui pugn.* Gu. 3. *quam pugn.* P. *quam pugnat amare.*

85. Al. *Hunc fat.* contra scriptos.

86. Quinque libri *Sed stetit ausp.* unde Heins. coni. *destitit.* Scr. *Sed stetit auspiciis l. retenta malis.*

89. *Vt gemui* emend. H. Vulgo *ingemui.* Sex scripti *gemui.* Gu. 2. cum uno Pat. *Et uidi, et gemui.*

90. Vnus Pal. *recursuri sint.*

92. Exc. Voss. *Irritus in u. fac tim. o. e.*

Hoc quoque praemoneo: de naue nouissimus exi,
Non est, quo properes, terra paterna tibi. 100
Cum uenies, remoque moue ueloque carinam;
Inque tuo celerem litore siste gradum.
Siue latet Phoebus, seu terris altior exstat;
Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte, uenis.
Nocte tamen, quam luce, magis. nox grata puellis, 105
Quarum suppositus colla lacertus habet.
Aucupor in lecto mendaces coelibe somnos.
Dum careo ueris, gaudia falsa iuuant.
Sed tua cur nobis pallens occurrit imago?
Cur uenit a uerbis multa querela tuis? 110
Excutior somno, simulacraque noctis adoro;
Nulla caret fumo Thessalis ara meo.
Tura damus, lacrymasque super; qua sparsa relucet,
Vt solet affuso surgere flamma mero.
Quando ego, te reducem cupidis amplexa lacertis, 115
Languida laetitia soluar ab ipsa mea?
Quando erit, ut lecto mecum bene iunctus in uno
Militiae referas splendida facta tuae?
Quae mihi dum referes; quamuis audire iuuabit;
Multa

111. Tres Heins. *Excitor e somno.*

113. *Lacrymamque* codd. Scalig. Gu. 1. 3. 4. et He. pro *lacrymasque. Ibid. qua sparsa relucet* e coni. Heins. atque ita Gu. 3. et He. Vulgo *quae sp. relucent*, quomodo Gu. 1. sed uett. plerique *quae sparsa relucet.* Cod. Scalig. *qui ora relucet*, unde Dan. Heins. coni. *queis ara rel.* P. *quaesa relucet*, et a corr. *quis ara.*

114. Exc. Douzae cum multis ed. et scr. *a fuso.* Gu. 1. et 2. *afuso*, 3. cum He. *effuso.*

116. Fr. Gr. et septem al. *tristitia soluar.*

119. Gu. 1. *referas*, 2. *Dumque mihi referas. Ibid.* P. a

Multa tamen capies oſcula, multa dabis. 120
Semper in his apte narrantia uerba reſiſtunt.
Promtior eſt dulci lingua retenta mora.
Sed cum Troia ſubit, ſubeunt uentique, fretumque;
Spes bona ſollicito uicta timore cadit.
Hoc quoque, quod uenti prohibent exire carinas, 125
Me mouet: inuitis ire paratis aquis.
Quis uelit in patriam uento prohibente reuerti?
A patria pelago uela uetante datis.
Ipſe ſuam non praebet iter Neptunus ad urbem.
Quo ruitis? ueſtras quiſque redite domos. 130
Quo ruitis, Danai? uentos audite uetantes.
Non ſubiti caſus, numinis iſta mora eſt.
Quid petitur tanto, niſi turpis adultera, bello?
Dum licet, Inachiae uertite uela rates.
Sed quid ego reuoco haec? omen reuocantis abeſto, 135

manu pr. *iuuant*, unde Heinſ. coni. *iuuarit*.

120. Vulgo *rapies oſc.*

121. Al. *narrantis*, quomodo Gu. 4. *Narranti* Mor.

122. *Lingua retenta* tres Heinſ. Gu. 4. et margo Micylli. Vulgo *lingua referre.*

129-132. Hi uerſus in He. hoc ordine collocantur: 131. 130. 129. 132.

131. Sa. et He. *audite ſonantes* Quatuor *tonantes.*

135. Nonnulli *reuoco haec.* I. et Gu. 1. *Sed quid ago reuocans?* quod amplectitur Heuſ. Gu. 2. *Sed quid ego haec reuoco*, 3. *Si quid ego reuoco*, 4. *Sed quid ego reuoco hic.* Deinde quidam: *Sed quid ego reuoco? laeuum procul omen abeſto.* Al. *Sed quid ago reuocans? reuocantis nomen abeſto.* P. a manu ſoc. *Sed quid ego reuoco? reuocantis et omen abeſto.* He. *Sed qu. e. haec reuoco, dictis his omen abeſto.* Heinſ. coni. *Sed quid ego hos reuoco? reuocaminis omen abeſto*, uel *reuocatibus*, quia unus Med. *reuocantibus omen abeſto.*

Blandaque compoſitas aura ſecundet aquas.
Troaſin inuideo, quae ſi lacrymoſa ſuorum
Funera conſpicient, nec procul hoſtis erit;
Ipſa ſuis manibus forti noua nupta marito
Imponet galeam, barbaraque arma dabit. 140
Arma dabit: dumque arma dabit, ſimul oſcula ſumet,
(Hoc genus officii dulce duobus erit.)
Producetque uirum; dabit et mandata reuerti:
Et dicet: referas iſta, face, arma Ioui.
Ille, ferens dominae mandata recentia ſecum, 145
Pugnabit caute, reſpicietque domum.
Exuet haec reduci clypeum galeamque reſoluet,
Excipietque ſuo pectora laſſa ſinu.
Nos ſumus incertae: nos anxius omnia cogit,
Quae poſſunt fieri, facta putare timor. 150
Dum tamen arma geres diuerſo miles in orbe,
Quae referat uultus eſt mihi cera tuos.
Illi blanditias, illi tibi debita uerba
Dicimus: amplexus accipit illa meos.
Crede mihi; plus eſt, quam quod uideatur, imago. 155
Adde ſonum cerae; Proteſilaus erit.
Hanc ſpecto, teneoque ſinu, pro coniuge uero:
Et tamquam poſſit uerba referre, queror.

Per

137. *Troaſin* emend. Salmaſ. e ueſtigiis P. qui habet *Troas inuideo.* Vulgo perperam *Troades. Ib.* Gu. omnes et He. *quae ſic.*

147. *Haec reduci* P. Vulgo *et red.*

148. *Pectora* quatuor Heinſ. Vulgo *corpora.*

151. Gu. 2. et He. cum al. *geris*, 1. et 3 cum al. *geras.*

154. He. *illa tuos.*

Per reditus, corpusque tuum, mea numina, iuro;
Perque pares animi coniugiique faces. 160
Perque, quod ut uideam canis albere capillis,
Quod tecum possis ipse referre, caput;
Me tibi uenturam comitem, quocunque uocaris:
Siue, (quod heu timeo!) siue superstes eris.
Vltima mandato claudetur epistola paruo; 165
Si tibi cura mei, sit tibi cura tui.

EPISTOLA XIV.

HYPERMNESTRA LYNCEO.

Mittit Hypermnestra de tot modo fratribus uni,
Caetera nuptarum crimine turba iacet.
Clausa domo teneor, grauibusque coërcita uinclis.
Est mihi supplicii causa, fuisse piam.
Quod manus extimuit iugulo demittere ferrum, 5
Sum rea; laudarer, si scelus ausa forem.
Esse ream praestat, quam sic placuisse parenti.
Non piget immunes caedis habere manus.
Me pater igne licet, quem non uiolauimus, urat;
Quaeque aderant sacris, tendat in ora faces; 10
Aut illo iugulet, quem non bene tradidit, ense;

161. Excerpta Gallic. *Perque quod uideam*, unde Heins. coni. *Perque quod ô uideam.*
162. Vosl. *Vt tecum.* H. coni. *O tecum*, uel *Huc.*
165. Gu 4. *claudatur.*
166. Ita R. unus et unus Med. Vulgo *Sit tibi c. m. sit tibi c. tui.* P. utroque loco *Si* pro *sit.* Gu. 1. et 4. *Sit tibi c. m. sit mihi c. tui.*
EPIST. XIV. u. 3. Chartac. Heins. *domi.*
5. Scripti *dimittere.*

Vt qua non cecidit uir nece, nupta cadam:
Non tamen, ut dicant morientia, Poenitet, ora,
Efficiet; non es, quam piget esse piam.
Poeniteat sceleris Danaum, saeuasque sorores. 15
Hic solet euentus facta nefanda sequi.
Cor pauet admonitu temeratae sanguine noctis;
Et subitus dextrae praepedit ossa tremor.
Quam tu caede putes fungi potuisse mariti,
Scribere de facta non sibi caede timet. 20
Id tamen experiar. Modo facta crepuscula terris;
Vltima pars lucis, primaque noctis erat:
Ecimur Inachides magni sub tecta Tyranni;
Et socer armatas accipit aede nurus.
Vndique collucent praecinctae lampades auro. 25
Dantur in inuitos impia tura focos.
Vulgus, Hymen, Hymenaee, uocant: fugit ille uocantes.
Ipsa Iouis coniux cessit ab urbe sua.
Ecce mero dubii, comitum clamore frequentes,
Flore

12. Al. *nupta cadat.*

14. *Non es* e coni. Heins. Vulgo *est.* Sex scripti *Non sum.* *Ib.* Leid. *cui piget.*

17. Iun. *Mens fugit attonitu tem.*

18. Quatuor *dextrae concutit.* *Ib.* *orsa* codd. Nauger. Caeteri *ossa.* Gu. 4. et He. *ossa timor.*

19. P. *marito,* unde Heins. coni. *marita.*

22. P. Gu. 3. et sex Heins. *Vlt. pars noctis, primaque lucis erat.*

23. *Tyranni* R. et quatuor al. Vulgo *Pelasgi.*

24. *Aede* unus A. Vulgo *ipse* uel *ille.* Exc. Iur. *inde.*

26. B. *in antiquos.*

27. *Hymenaee* P. a manu pr. Vulgo perperam *Hymenaea.*

29. Vnus Heins. *comiti.* Gr. *clamore frementes.* Vlit. coni. *frequenti,* Burm. *sequente,* uel *fremente.*

Flore nouo madidas impediente comas, 30
In thalamos laeti, thalamos, ſua buſta, feruntur:
Strataque corporibus, funere digna, premunt.
Iamque cibo, uinoque graues, ſomnoque, iacebant;
Securumque quies alta per Argos erat:
Circum me gemitus morientum audire uidebar: 35
Et tamen audibam; quodque uerebar, erat.
Sanguis abit; mentemque calor, corpusque relinquit:
Inque nouo iacui frigida facta toro.
Vt leni Zephyro fragiles uibrantur ariſtae;
Frigida populeas ut quatit aura comas; 40
Aut ſic, aut etiam tremui magis. ipſe iacebas,
Quaeque tibi dederant uina, ſoporis erant.
Excuſſere metum uiolenti iuſſa parentis;
Erigor; et capio tela tremente manu.
Non ego falſa loquar. ter acutum ſuſtulit enſem, 45
Ter male ſublato recidit enſe manus.
[Admoui iugulo; ſine me tibi uera fateri;

31. Gu. 4. *laeti iuuenes ſua.*
32. Vnus Mor. *funera.* Baſ. *funeribus corpore digna.*
36. *Audibam* P. et He. Vulgo *audieram.* Gu. 2. cum Scr. *auditum*, 4. *audiui.* L. *auditum eſt.*
37. Vulgo *reliquit.*
39. *Vt leni* P. Gu. 1. et ſeptem al. Heinſ. Vulgo *Vtque leui. Ibid. fragiles* Iun. Me. Gu. 3. et He. Vulgo *graciles. Ib.* tres ſcripti *agitantur ar.*
42. Gu. omnes cum al. *dederam.*
46. *Recidit* emend. Heinſ. Vulgo *decidit.* Gu. 2. et 3. cum uno Pat. *cecidit*, 4. cum al. *concidit.*
47. 48. Hoc diſtichon a ſciolo confictum pronunciat Heinſ. et pro *Sed* u. 49. reponit *Et.* Verſ. 47. eſt in P. Gu. 1. ac 3. et al. quibusdam, pro quo uulgo legitur hic: *At rurſus monitis iuſſuque coacta parentis.*

Admoui iugulo tela paterna tuo.]
Sed timor et pietas crudelibus obſtitit auſis:
Caſtaque mandatum dextra refugit opus. 50
Purpureos laniata ſinus, laniata capillos,
Exiguo dixi talia uerba ſono:
Saeuus, Hypermneſtra, pater eſt tibi. iuſſa parentis
Effice. germanis ſit comes iſte ſuis.
Femina ſum, et uirgo; natura mitis et annis. 55
Non faciunt molles ad fera tela manus.
Quin age, dumque iacet, fortes imitare ſorores.
Credibile eſt caeſos omnibus eſſe uiros.
Si manus haec aliquam poſſet committere caedem,
Morte foret dominae ſanguinolenta ſuae. 60
Quo meruere necem, patruelia regna tenendo,
Quae tamen externis danda forent generis?
Finge uiros meruiſſe mori: quid fecimus ipſae?
Quo mihi commiſſo non licet eſſe piae?
Quid mihi cum ferro? quo bellica tela puellae? 65
Aptior eſt digitis lana colusque meis.
Haec ego: dumque queror, lacrymae ſua uerba ſequuntur,
Deque meis oculis in tua membra cadunt.
Dum petis amplexus, ſopitaque brachia iactas;

Pene

57. Gu. 3. *Dumque placet.* Ed. Gryph. a. 1554. *dumque licet.*
60. Mor. et Gu. 3. *domini ſui.*
61. *Quo* P. Al. *Quid, Haut, Aut, An,* uel *Non. Ibtd* Gu. 1. *regna timendo.*
62. Gr. *externis regna tenenda forent.* Mor. et duo al. *ext. accipienda forent.*
64. *Piae* P. Vulgo *piam.*
65. *Quo* P. et Arg. Vulgo *quid.*

Pene manus telo ſaucia facta tua eſt. 70
Iamque patrem, famulosque patris, lucemque, timebam.
Expulerunt ſomnos haec mea dicta tuos:
Surge age, Belide, de tot modo fratribus unus:
Nox tibi, ni properas, iſta perennis erit.
Territus exſurgis: fugit omnis inertia ſomni. 75
Adſpicis in timida fortia tela manu.
Quaerenti cauſam, Dum nox ſinit, effuge, dixi.
Dum nox atra ſinit, tu fugis: ipſa moror.
Mane erat: et Danaus generos ex caede iacentes
Dinumerat. Summae criminis unus abes. 80
Fert male cognatae iacturam mortis in uno;
Et queritur facti ſanguinis eſſe parum.
Abſtrahor a patriis pedibus; raptamque capillis
(Haec meruit pietas praemia) carcer habet.
Scilicet ex illo Iunonia permanet ira; 85
Quo bos ex homine eſt, ex boue facta Dea.
At ſatis eſt poenae teneram mugiſſe puellam:
Nec, modo formoſam, poſſe placere Ioui.
Adſtitit in ripa liquidi noua uacca parentis,
Cornuaque in patriis non ſua uidit aquis: 90
Conatoque queri mugitus edidit ore:

Terri-

72. *Expulerunt* P. Vulgo *Expulerant*.
74. Vulgo *properes*.
76. Gr. *in tremula*.
82. *Facti* praeſtantiores, etiam Gu. omnes et He. Al. *factum*.
83. Al. *patriis manibus*. Sc. Ha. et E. *laribus*.
87. Gr. *mugire*.
91. *Conatoque queri* unus R. et Gu. 1. Vulgo *Et conata queri*. Gu. 2. *Et conata loqui*.

Territaque eſt forma, territa uoce ſua.
Quid furis, infelix? quid te miraris in umbra?
Quid numeras factos ad noua membra pedes?
Illa Iouis magni pellex, metuenda ſorori, 95
Fronde leuas nimiam ceſpitibusque famem.
Fonte bibis, ſpectasque tuam ſtupefacta figuram:
Et, te ne feriant, quae geris, arma, times.
Quaeque modo, ut poſſis etiam Ioue digna uideri,
Diues eras; nuda nuda recumbis humo. 100
Per mare, per terras, cognataque flumina curris;
Dat mare, dant amnes, dat tibi terra uiam.
Quae tibi cauſa fugae? quid Iö freta longa pererras?
Non poteris uultus effugere ipſa tuos.
Inachi, quo properas? eadem ſequerisque fugisque. 105
Tu tibi dux comiti: tu comes ipſa duci.
Per ſeptem Nilus portus emiſſus in aequor,
Exuit inſanae pellicis ora boui.
Vltima quid referam, quorum mihi cana ſenectus
Auctor? dant anni, quod querar, ecce, mei. 110
Bella pater patruusque gerunt: regnoque domoque
Pellimur. eiectos ultimus orbis habet.

Ille

93. Gu. 4. cum al. *Quid fugis. Ib. umbra* P. alterMor. et Gu. 2. et 4. Vulgo *unda*.
97. D. *ſpectasque nouam.*
99. Al. *poſſes.*
100. Quidam ſcripti *dura humo*, aut *uda*, aut *gelida*, aut *ſolida.*
103. L. *uel quid freta.* Mor. *quae, dic, freta.*
107. Gu. 4. cum al. *demiſſus in.* He. *immiſſus.* Gr. pro uar. lect. *diffuſus.*
108. *Boui* L. Caeteri *bouis.* Gu. 1. a librar. *ara bouis*, a corr. *ora bouis*, atque hoc etiam in reliquis Gu.
112. Gu. 4. cum al. *eiectas.*

Ille ferox ſolus ſolio ſceptroque potitur:
  Cum ſene nos inopi turba uagamur inops.
De fratrum populo pars exiguiſſima reſtas; 115
  Quique dati leto, quaeque dedere, fleo.
Nam mihi quot fratres, totidem periere ſorores;
  Accipiat lacrymas utraque turba meas.
En ego, quod uiuis, poenae crucianda reſeruor;
  Quid fiet ſonti, cum rea laudis agar? 120
Et, conſanguineae quondam centeſima turbae,
  Infelix, uno fratre manente, cadam.
At tu, ſi qua piae, Lynceu, tibi cura ſororis,
  Quaeque tibi tribui munera, dignus habes;
Vel fer opem: uel dede neci: defunctaque uita 125
  Corpora furtiuis inſuper adde rogis.
Et ſepeli lacrymis perfuſa fidelibus oſſa,
  Scriptaque ſint titulo noſtra ſepulcra breui.
Exul Hypermneſtra, pretium pietatis iniquum,
  Quam mortem fratri depulit, ipſa tulit. 130
Scribere plura libet: ſed pondere laſſa catenae
  Eſt manus; et uires ſubtrahit ipſe timor.

EPISTOLA

113. Gu. 1. *ſolio ſolus.*
117. Gu. 1. cum quinque al. *Nam tibi.*
120. Septem *Quid fieret*, duo *fiat.*
123. *Lynceu* cod. Hercul. Vulgo *Line, eſt tibi*, et *Line tibi.*
126. Leid. *Corpora finitimis.*
128. Gu. omnes et He. cum plurimis *Sculptaque ſint.*
131. G. 1. a manu pr. *pondere preſſa.*

EPISTOLA XV.

SAPPHO PHAONI.

Ecquid, ut inſpecta eſt ſtudioſae littera dextrae,
Protinus eſt oculis cognita noſtra tuis?
An, niſi legiſſes auctoris nomina Sapphûs,
Hoc breue neſcires unde ueniret opus?
Forſitan et, quare mea ſint alterna, requiras, 5
Carmina; cum lyricis ſim magis apta modis.
Flendus amor meus eſt: elegeïa flebile carmen.
Non facit ad lacrymas barbitos ulla meas.
Vror, ut, indomitis ignem exercentibus Euris,
Fertilis accenſis meſſibus ardet ager. 10
Arua Phaon celebrat diuerſa Typhoïdos Aetnae;
Me calor Aetnaeo non minor igne coquit.
Nec mihi, diſpoſitis quae iungam carmina neruis,
Proueniunt, uacuae carmina mentis opus.
Nec me Pyrrhiades, Methymniadesue puellae, 15
Nec me Lesbiadum caetera turba iuuant.

Vilis

EPIST. XV. u. 1. *Ecquid ut* N. Vulgo *Num quid ubi. Inſpecta* Ma. Vulgo *aſpecta eſt.*

4. *Veniret* Sa. et Fr. Vulgo *moueret.* Gud. 1. 2. et Sc. *mouetur*, quod placet Heuſ.

5. *Requiras* unus Med. et Fr. Vulgo *requiris.* Sc. *requires.*

7. *Elegeïa* Ma. Gudd. et Sc. cum al. *elegi fleb.* Al. *elegi quoque.*

8. Al. *illa meas.*

11. Sc. *celebret.*

12. Ma. Gudd. et Sc. *igne tenet.*

15. 16. Ita N. et Aldinae. Al *Nec mihi Pyrino ſub. Mnaïſue puellae.* Domitius Cald. it. cod. Wittianus, Gudd. Sc. et al. *Nec mihi Pierides ſ. Dryadesque p.* (Gud. 1. et Sc. *Naiadesque*) *Nec me Theſpiadum c. t. iuuat.*

Vilis Anactorie, uilis mihi candida Cydno:
Non oculis grata est Atthis, ut ante, meis.
Atque aliae centum, quas non sine crimine amaui.
Improbe, multarum quod fuit, unus habes. 20
Est in te facies, sunt apti lusibus anni.
O facies oculis insidiosa meis!
Sume fidem et pharetram; fies manifestus Apollo.
Accedant capiti cornua; Bacchus eris.
Et Phoebus Daphnen, et Gnosida Bacchus amauit. 25
Nec norat lyricos illa, uel illa, modos.
At mihi Pegasides blandissima carmina dictant:
Iam canitur toto nomen in orbe meum.
Nec plus Alcaeus, consors patriaeque lyraeque,
Laudis habet: quamuis grandius ille sonet. 30
Si mihi difficilis formam natura negauit;
Ingenio formae damna rependo meae.
Sum breuis; at nomen, quod terras impleat omnes,
Est mihi: mensuram nominis ipsa fero.
Candida si non sum, placuit Cepheïa Perseo 35
Andromede, patriae fusca colore suae.
Et uariis albae iunguntur saepe columbae:
Et niger a uiridi turtur amatur aue.

Si,

17. Al. *Vilis Amythone.* Gudd. et Sc. cum al. *Amatorie.* Al. *Amintorie*, uel *Ametorie.*

19. Gudd. et Sc. cum plurimis al. *quas hic sine.*

23. Sc. *pharetras, et eris.*

30. R. unus Heins. et Gud. 1. *sonat.*

33. 34. Ita N. Vulgo: *Nec me despicias, si sum tibi corpore parua, Mensuramque breuis nominis ipsa fero,* Scr. *gero.*

35. Sc. *non sim.*

Si, nisi quae facie poterit te digna uideri,
Nulla futura tua est; nulla futura tua est. 40
At, me cum legeres, etiam formosa uidebar:
Vnam iurabas usque decere loqui.
Cantabam; memini; (meminerunt omnia amantes)
Oscula cantanti tu mihi rapta dabas.
Haec quoque laudabas: omnique a parte placebam. 45
Sed tum praecipue, cum fit Amoris opus.
Tunc te plus solito lasciuia nostra iuuabat,
Crebraque mobilitas, aptaque uerba ioco;
Quique, ubi iam amborum fuerat consumta uoluptas,
Plurimus in lasso corpore languor erat. 50
Nunc tibi Sicelides ueniunt, noua praeda, puellae.
Quid mihi cum Lesbo? Sicelis esse uolo.
At uos erronem tellure remittite nostrum,
Nisiades matres, Nisiadesque nurus.
Neu uos decipiant blandae mendacia linguae. 55
Quae dicit uobis, dixerat ante mihi.
Tu quoque, quae montes celebras, Erycina, Sicanos,
(Nam tua sum) uati consule, Diua, tuae.

An

39. Maz. et Pal. *quae facies.*
41. Gud. 2. *tibi iam formosa.*
48. Quidam *membra ioco.* Al. *uerba loco.*
49. *Quique* e coni. Heins. Scripti plurimi *Atque.* Ma. Gu. 1. et Sc. *At simul amborum.* Gud. 2. *At ubi iam.* Al. *Et qued, ubi. Ibid. consumta* Pal. Caeteri *confusa.*
53. Al, *O uos, Nec uos, Ne uos, Neu uos. Ibid.* Gudd. et Sc. cum al. *errorem.* Mox Gud. 2. cum al. *admittite nostr.* Sc. *remittite uestrum.*
54. Gudd. *Sicilides matres Sicilidesque.* Al. *Nisiades matres Sicelidesque.*
55. Gud. 1. *Ne uos,* 2. et Sc. *Nec.*
57. *Montes* N. Fr. Gudd, et Sc. Caeteri *immites.*

An grauis inceptum peragit Fortuna tenorem,
Et manet in curſu ſemper acerba ſuo? 60
Sex mihi natales ierant; cum lecta parentis
Ante diem lacrymas oſſa bibêre meas.
Arſit inops frater, captus meretricis amore;
Mixtaque cum turpi damna pudore tulit.
Factus inops, agili peragit freta caerula remo; 65
Quasque male amiſit, nunc male quaerit opes.
Me quoque, quod monui bene multa fideliter, odit.
Hoc mihi libertas, hoc pia lingua dedit.
Et tamquam deſint, quae me ſine fine fatigent,
Accumulat curas filia parua meas. 70
Vltima tu noſtris accedis cauſa querelis.
Non agitur uento noſtra carina ſuo.
Ecce, iacent collo ſparſi ſine lege capilli:
Nec premit articulos lucida gemma meos.
Veſte tegor uili: nullum eſt in crinibus aurum: 75
Non Arabo noſter rore capillus olet.
Cui color infelix, aut cui placuiſſe laborem?
Ille mei cultus unicus auctor abeſt.
Molle meum, leuibus cor eſt uiolabile telis:
Et

59. Li. *Fortuna laborem.*
63. Gudd. et Sc. cum uulg. *uictus meretr.* W. *uinctus.*
67. Gud. 2. *Et me quod.*
68. Sc. *mihi lingua.*
69. Gud. 1. *Vt numquam deſint.*
70. Gud. 2. *accumulas.*
73. Al. *collo poſiti.* R. *paſſi.*
76. N. et Aldd. *Arabum noſter dona.* Al. *Arabum n. rore.* Fr. *Arabum n. dona cap. habet.*
79. *Leuibusque* Fr. Vulgo *leuibus.*

Et ſemper cauſa eſt, cur ego ſemper amem. 80
Siue ita naſcenti legem dixere ſorores;
Nec data ſunt uitae fila ſeuera meae;
Siue abeunt ſtudia in mores, artesque magiſtrae;
Ingenium nobis molle Thalia facit.
Quid mirum, primae ſi me lanuginis aetas 85
Abſtulit, atque anni, quos uir amare poteſt?
Hunc ne pro Cephalo raperes, Aurora, timebam.
Et faceres: ſed te prima rapina tenet.
Hunc ſi conſpicias, quae conſpicis omnia, Phoebe;
Iuſſus erit ſomnos continuare Phaon. 90
Hunc Venus in coelum curru uexiſſet eburno;
Sed uidet et Marti poſſe placere ſuo.
O nec adhuc iuuenis, nec iam puer; utilis aetas!
O decus, atque aeui gloria magna tui!
Huc ades: inque ſinus, formoſe, relabere noſtros. 95
Non ut ames, oro, uerum ut amare ſinas.
Scribimus, et lacrymis oculi rorantur obortis.
Adſpice, quam ſit in hoc multa litura loco.
Si tam certus eras hinc ire, modeſtius iſſes;
Et modo dixiſſes: Lesbi puella, uale. 100
Non tecum lacrymas, non oſcula ſumma tuliſti:

Denique

82. *Nec* Fr. Vulgo *Et.*
83. *Magiſtrae* emend. H. Codd. *magiſtras.* Burm. coni. *artisque magiſtra Ingenium* caet. *Ib. facit* Fr. et W. Vulgo *dedit.*
89. Gudd. cum al. *conſpiciat, quae conſpicit.*
90. Sc. cum al. *eris.*
96. Gud. 1. cum plerisque ſcriptis *ſed quod amare ſinas.* Gud. 2. cum al. *ſed ut am.* Vnus *ſed te ut am.*
100. Al. *Si mihi dixiſſes.* Nonnulli *Si modo.*
101. Al. *oſcula noſtra.*

Denique non timui, quod dolitura fui.
Nil de te mecum eſt, niſi tantum iniuria: nec tu,
Admoneat quod te, pignus amantis habes.
Non mandata dedi: neque enim mandata dediſſem
Vlla, niſi, ut nolles immemor eſſe mei. 105
Per tibi, qui numquam longe diſcedat, Amorem,
Perque nouem iuro, numina noſtra, Deas;
Cum mihi nefcio quis, Fugiunt tua gaudia, dixit;
Nec me flere diu, nec potuiſſe loqui.
Et lacrymae deerant oculis, et lingua palato: 110
Adſtrictum gelido frigore pectus erat.
Poſtquam ſe dolor inuenit; nec pectora plangi,
Nec puduit ſciſſis exululare comis.
Non aliter, quam ſi gnati pia mater ademti
Portet ad exſtructos corpus inane rogos. 115
Gaudet, et e noſtro creſcit moerore Charaxus
Frater; et ante oculos itque reditque meos.
Vtque pudenda mei uideatur cauſa doloris;
Quid dolet haec? certe filia uiuit, ait. 120
Non ueniunt in idem pudor atque amor. omne uidebat

103. 104. Vulgo *nec te Admoneat* (uel *Admonuit*) *quod tu munus a. h.* V. et Ma. *nec te Admonui, quod tu munus a. h.*

107. Al. *diſcedit.* Sc. *diſcedet.*

108. Ma. *numina ſancta.*

111. Al. *uerba palato.*

113. Al. *dolor imminuit.*

Ibid. Gudd. et Sc. cum al. *mea pect. planxi.*

114. Al. *raptis comis*

116. Quidam codd. *ferret ad.*

117. Gudd. et Sc. *moerore Caraſis.*

119. R. *pudenda magis.*

120. Sc. *Quid dolor hic,*

Vulgus; eram lacero pectus aperta sinu.
Tu mihi cura, Phaon: te somnia nostra reducunt;
Somnia formoso candidiora die.
Illic te inuenio; quamquam regionibus absis; 125
Sed non longa satis gaudia somnus habet.
Saepe tuos nostra ceruice onerare lacertos,
Saepe tuae uideor supposuisse meos.
Blandior interdum, uerisque simillima uerba
Eloquor: et uigilant sensibus ora meis. 130
Oscula cognosco, quae tu committere linguae,
Aptaque consueras accipere, apta dare.
Vlteriora pudet narrare: sed omnia fiunt:
Et iuuat, et sine te non libet esse mihi.
At cum se Titan ostendit, et omnia secum; 135
Tam cito me somnos destituisse queror.
Antra nemusque peto; tamquam nemus antraque prosint.
Conscia deliciis illa fuere tuis.
Illuc mentis inops, ut quam furialis Erichtho
Impulit, in collo crine iacente, feror. 140
Antra uident oculi scabro pendentia topho,
Quae mihi Mygdonii marmoris instar erant.

Inuenio

129. Hoc distichon in Gud. Sc. et al. proxime sequenti postponitur.

131. Fr. *lingua.*

133. Gudd. et Sc. cum al. *Vlterius pudet hic.*

134. Gudd. et Sc. cum plerisque al. *non licet.* Fr. *et sicca non licet*, unde Burm. facit *siccae.*

138. Fr Gud. 2. et sex al. *fuere meis.*

139. Fr. *furialis Enyo.* Pal. et Franc. *Erinnis.*

140. Scripti multi, in his Gudd. et Sc. *Attulit in.* Fr. *Attigit.*

142. Sc. *Qui mihi erat.*

Inuenio ſiluam, quae ſaepe cubilia nobis
Praebuit, et multa texit opaca coma:
At non inuenio dominum ſiluaeque meumque. 145
Vile ſolum locus eſt: dos erat ille loci.
Agnoui preſſas noti mihi ceſpitis herbas:
De noſtro curuum pondere gramen erat.
Incubui; tetigique locum, qua parte fuiſti;
Grata prius lacrymas combibit herba meas. 150
Quin etiam rami poſitis lugere uidentur
Frondibus; et nullae dulce queruntur aues.
Sola uirum non ulta pie moeſtiſſima mater
Concinit Iſmarium Daulias ales Ityn.
Ales Ityn, Sappho deſertos cantat amores. 155
Hactenus: ut media caetera nocte ſilent.
Eſt nitidus, uitreoque magis perlucidus amni,
Fons ſacer: hunc multi numen habere putant.
Quem ſupra ramos expandit aquatica lotos,
Vna nemus: tenero ceſpite terra uiret. 160
Hic ego cum laſſos poſuiſſem fletibus artus,
Conſtitit ante oculos Naïas una meos.

144. Vulgo *preſſit opaca.* MS. Berſm. *multis preſſit op. comis.*

147. Vnus Heinſ. *Agn. pr. ueſtigia corporis, herbas.* Vnus R. *modo uiui ceſp.* Mer. *modo noti.*

155. Al. *miſeros decantat.*

156. MSS. quidam *et media.* Gud. 1. *in media.*

157. *Vitreoque amni* Maz. Al. ut Gudd. et Sc. *uitreoque omne.* N. *uitroque magis p. amnis.*

157. Sc. cum al. *ram. extendit.*

161. Sc. et al. *cum. feſſos. Ibid. fletibus* quatuor Heinſ. Vulgo *flebilis.*

162. Ita N. Plerique, in his Gudd. et Sc. *Formoſus puer eſt uiſus adeſſe mihi.* Al.

Conſtitit, et dixit, quoniam non ignibus aequis
Vreris, Ambracias terra petenda tibi.
Phoebus ab excelſo, quantum patet, adſpicit aequor: 165
Actiacum populi Leucadiumque uocant.
Hinc ſe Deucalion, Pyrrhae ſuccenſus amore,
Miſit, et illaeſo corpore preſſit aquas.
Nec mora: uerſus Amor tetigit lentiſſima Pyrrhae
Pectora; Deucalion igne leuatus erat. 170
Hanc legem locus ille tenet. pete protinus altam
Leucada; nec ſaxo deſiluiſſe time.
Vt monuit; cum uoce abiit. ego frigida ſurgo:
Nec grauidae lacrymas continuere genae.
Ibimus, ô Nymphe, monſtrataque ſaxa petemus. 175
Sit procul inſano uictus amore timor.
Quicquid erit, melius quam nunc erit. aura, ſubito:
Haec mea non magnum corpora pondus habent.
Tu quoque, mollis Amor, pennas ſuppone cadenti:
Ne ſim Leucadiae mortua crimen aquae. 180
Inde chelyn Phoebo, communia munera, ponam:

Et

Ante oculos uiſa eſt Naïs *adeſſe meos.*

163. Gud. 1. et Sc. cum pluribus al. *quae nunc non ign.* Berſm. *quid nunc non.*

164. *Ambracia* V. Gudd. et Sc. Al. *Ambrachiis*, *Ambrachiae*, *Ambrachis.*

166. *Actiacum* Scal. et Sa. Vulgo *Actaeum.*

169. N. *amor fugit lentiſſima merſi.* Al. *iuſſus am. tet. laetiſſima Pyrrhae*, uel *iuſtus amor*, uel *iuſſus amans*, quomodo Gud. 1. et Sc. Gud. 2. *uſus amans.*

173. Al. *territa ſurgo.* Sc. *pallida.*

174. Fr. *Nec lacrymas oculi contin. mei.*

177. Sc. *melior.*

178. *Haec mea* Sc. Vulgo *Et mea.*

Et ſub ea uerſus unus et alter erunt.
Grata lyram poſui tibi, Phoebe, poëtria Sappho:
Conuenit illa mihi, conuenit illa tibi.
Cur tamen Actiacas miſeram me mittis ad oras, 185
Cum profugum poſſis ipſe referre pedem?
Tu mihi Leucadia potes eſſe ſalubrior unda:
Et forma et meritis tu mihi Phoebus eris.
An potes, ô ſcopulis, undaque ferocior illa,
Si moriar, titulum mortis habere meae? 190
At quanto melius iungi mea pectora tecum,
Quam poterant ſaxis praecipitanda dari!
Haec ſunt illa, Phaon, quae tu laudare ſolebas;
Viſaque ſunt toties ingenioſa tibi.
Nunc uellem facunda forent. dolor artibus obſtat; 195
Ingeniumque meis ſubſtitit omne malis.
Non mihi reſpondent ueteres in carmina uires.
Plectra dolore tacent: muta dolore lyra eſt.
Lesbides aequoreae, nupturaque, nuptaque proles;

182. *Erunt* Sa. et Fr. Vulgo *erit.*
183. *Poſui* F. et unus Heinſ. Vulgo *poſuit.*
185. Gud. 1. *Cur mihi*, 2. cum al. *Cur nunc.* Li. *Cur modo ad.* Sa. *Cur precor.* Vnus Heinſ. *Cur ferus. Ibid.* quidam codd. *moeſtam me m.*
188. *Et forma et meritis* e coni. Heinſ. Vulgo *formae meritis.* R. *forma.*
189. Fr. *ferocior omni.* Maz. et W. *ulla.*
191. Al. *Ah quanto*, *Ah quantum*, *O quanto. Ib.* W. *mea corpora.*
194. Gud. 2. *ſunt oculis inuidioſa tuis.*
195. Gudd. cum al. *forem.*
196. Fr. *ſuccidit omne.* Sc. *ſuſtulit omne magis.*
198. Vnus Med. *dolore ſilent.* Margo Berſm. *iacent.*
199. Gud. 1. Sc. *nupturae nuptaque.*

Lesbides, Aeolia nomina dicta lyra; 200
Lesbides, infamem quae me feciſtis amatae;
Deſinite ad citharas turba uenire meas.
Abſtulit omne Phaon, quod uobis ante placebat.
(Me miſeram! dixi quam modo pene, meus!)
Efficite ut redeat: uates quoque ueſtra redibit. 205
Ingenio uires ille dat, ille rapit.
Ecquid ago precibus? pectusne agreſte mouetur?
An riget? et Zephyri uerba caduca ferunt?
Qui mea uerba ferunt, uellem tua uela referrent,
Hoc te, ſi ſaperes, lente, decebat opus. 210
Siue redis, puppique tuae uotiua parantur
Munera; quid laceras pectora noſtra mora?
Solue ratem. Venus orta mari, mare praeſtat amanti.
Aura dabit curſum; tu modo ſolue ratem.
Ipſe gubernabit reſidens in puppe Cupido: 215
Ipſe dabit tenera uela, legetque, manu.
Siue iuuat longe fugiſſe Pelaſgida Sappho;

(Non

200. Gud. 2. *numina.*
201. Gud. et Sc. *amare.*
204. Al. *quem modo*, al. *quae.*
207. Al. *Ecquid ego: Ecquid ego haec: Haec quid ego: Haec quid ego an.* Vnus *Haec ego quid.* Sa. *Haec quid ego? an precibus tibi pectus agr. m.*
210. Sc. *ſi faceres.*
211. Al. *paramus.* Gudd. *puppisque tua uot. paramus.*
Sc. totum hoc diſtichon omittit.
212. Fr. *quid crucias p. n. tuis.*
213. In Li. hoc et ſequens diſtichon deſiderantur. Gudd. et Sc. cum al. *praeſtat eunti.* Al. *ſternet* uel *ſternit am.*
214. In hoc uerſu Gud. 2. epiſtolam finit.
216. Nonnulli MSS. *regetque manu.*

(Non tamen inuenies, cur ego digna fuga.)
Hoc saltem miserae crudelis epistola dicat:
Vt mihi Leucadiae fata petantur aquae. 220

EPISTOLA XVI.
PARIS HELENAE.

Hanc tibi Priamides mitto, Ledaea, salutem;
Quae tribui sola te mihi dante potest.
Eloquar? an flammae non est opus indice notae;
Et plus, quam uellem, iam meus extat amor?
Ille quidem malim lateat; dum tempora dentur 5
Laetitiae mixtos non habitura metus.
Sed male dissimulo. quis enim celauerit ignem,
Lumine qui semper proditur ipse suo?
Si tamen expectas, uocem quoque rebus ut addam;
Vror. habes animi nuntia uerba mei. 10
Parce, precor, fasso: nec uultu caetera duro
Perlege, sed formae conueniente tuae.
Iamdudum gratum est, quod epistola nostra recepta
Spem facit, hoc recipi me quoque posse modo.
Quae rata sint, nec te frustra promiserit, opto, 15
Hoc mihi quae suasit, mater Amoris, iter.

219. Gud. 1 et Sc. cum al. *O saltem.*
220. R. *saxa petantur.*
EPIST. XVI. u. 9. Iun. et quatuor al. *expectes.* Leid. et duo al. *Sed tamen expectas.*
12. L. unus *Respice, sed.*
13. Vulgo *recepta est: Spem* caet. Sed a P. et quatuor al. abest τὸ *est* et distinctio.
15. *Sint* P. Vulgo *sit.*

Namque ego diuino monitu, ne nescia pecces,
Aduehor; et coepto non leue numen adest.
Praemia magna quidem, sed non indebita posco;
Pollicita est thalamo te Cytherea meo. 20
Hac duce Sigeo dubias a litore feci
Longa Phereclea per freta puppe uias.
Illa dedit faciles auras uentosque secundos.
In mare nimirum ius habet orta mari.
Perstet: et, ut pelagi, sic pectoris adiuuet aestum: 25
Deferat in portus et mea uota suos.
Attulimus flammas, non hic inuenimus, illas;
Hae mihi tam longae causa fuere uiae.
Nam neque tristis hiems, neque nos huc appulit error.
Taenaris est classi terra petita meae. 30
Nec me crede fretum merces portante carina
Findere. quas habeo, Dî tueantur, opes.
Nec uenio Graias, ueluti spectator, ad urbes.
Oppida sunt regni diuitiora mei.
Te peto; quam lecto pepigit Venus aurea nostro. 35
Te prius optaui, quam mihi nota fores.
Ante tuos animo uidi, quam lumine, uultus:
Prima fuit uultus nuntia fama tui.
Nec tamen est mirum, si, sicut oporteat, arcu,
Missi-

24. Pro *nimirum* Gu. 3. et 2 correct. 2. cum. al. *nil mirum.*
25. Gu. 3 *Praestet et*, 4. *Praestitit. Ibid.* al. *aestus.*
26. He. *uota tuos.*
33. Al. *ueni.*
39. Versus, qui proxime sequuntur, centum et quatuor (39-142.) desiderantur in Guelferbytanis, Helmst. atque in omnibus omnino scriptis codd. uno Palatino, eoque recentiori, excepto.

Missibilus telis eminus ictus, amo. 40
Sic placuit fatis: quae ne conuellere tentes,
Accipe cum uera dicta relata fide.
Matris adhuc utero, partu remorante, tenebar:
Iam grauidus iusto pondere uenter erat.
Illa sibi ingentem uisa est sub imagine somni 45
Flammiferam pleno reddere uentre facem.
Territa consurgit; metuendaque noctis opacae
Visa seni Priamo, uatibus ille, refert.
Arsuram Paridis uates canit Ilion igni.
Pectoris, ut nunc est, fax fuit illa mei. 50
Forma uigorque animi, quamuis de plebe uidebar,
Indicium tectae nobilitatis erant.
Est locus in mediae nemorosis uallibus Idae
Deuius, et piceis ilicibusque frequens:
Qui nec ouis placidae, nec amantis saxa capellae, 55
Nec patulo tardae carpitur ore bouis.
Hinc ego Dardaniae muros, excelsaque tecta,
Et freta prospiciens, arbore nixus eram.
Ecce pedum pulsu uisa est mihi terra moueri:
Vera loquar, ueri uix habitura fidem. 60
Constitit ante oculos, actus uelocibus alis,
Atlantis magni, Pleïonesque nepos.
Fas uidisse fuit; fas sit mihi uisa referre:

Inque

Scaliger etiam uersus 39-42. quod cum superioribus non satis apte cohaereant, ut spurios hinc summouendos existimat.

49. Ed. Ald. *Arsurum.*
60. *Veri* reposuit Heins. pro uulg. *uero.*
62. Al. *Atlantisque nepos.*

Inque Dei digitis aurea uirga fuit.
Tresque ſimul Diuae, Venus, et cum Pallade Iuno, 65
Graminibus teneros impoſuere pedes.
Obſtupui, gelidusque comas erexerat horror;
Cum mihi, Pone metum, nuntius ales ait.
Arbiter es formae: certamina ſiſte Dearum;
Vincere quae forma digna ſit una duas. 70
Neue recuſarem, uerbis Iouis imperat: et ſe
Protinus aetherea tollit in aſtra uia.
Mens mea conualuit, ſubitoque audacia uenit:
Nec timui uultu quamque notare meo.
Vincere erant omnes dignae: iudexque uerebar, 75
Non omnes cauſam uincere poſſe ſuam.
Sed tamen ex illis iam tunc magis una placebat:
Hanc eſſe ut ſcires, unde mouetur amor.
Tantaque uincendi cura eſt; ingentibus ardent
Iudicium donis ſollicitare meum. 80
Regna Iouis coniux, uirtutem filia iactat.
Ipſe, potens, dubito, fortis an, eſſe uelim.
Dulce Venus riſit, nec te, Pari, munera tangant
Vtraque, ſuſpenſi plena timoris, ait.
Nos dabimus, quod ames: et pulchrae filia Ledae 85
Ibit in amplexus, pulchrior ipſa, tuos.
Dixit: et ex aequo donis formaque probata,
Victorem coelo rettulit illa pedem.
Interea (credo, uerſis ad proſpera fatis)
Regius agnoſcor per rata ſigna puer. 90

Laeta

86. Edd. Ald. 1. Micylli et Berſm. *pulchrior illa.*

Laeta domus, nato per tempora longa recepto,
Addit et ad feſtos hunc quoque Troia diem.
Vtque ego te cupio, ſic me cupiere puellae;
Multarum uotum ſola tenere potes.
Nec tantum regum natae petiere ducumque, 95
Sed Nymphis etiam curaque amorque fui.
At mihi cunctarum ſubeunt faſtidia, poſtquam
Coniugii ſpes eſt, Tyndari, facta tui.
Te uigilans oculis, animo te nocte uidebam;
Lumina cum placido uicta ſopore iacent. 100
Quid facies praeſens, quae nondum uiſa placebas?
Ardebam, quamuis hinc procul ignis erat.
Nec potui debere mihi ſpem longius iſtam,
Caerulea peterem quin mea uota uia.
Troïa caeduntur Phrygia pineta ſecuri, 105
Quaeque erat aequoreis utilis arbor aquis:
Ardua proceris ſpoliantur Gargara ſiluis:
Innumerasque mihi longa dat Ida trabes.
Fundatura citas flectuntur robora naues:
Texitur et coſtis panda carina ſuis. 110
Addimus antennas, et uela ſequentia malos:
Accipit et pictos puppis adunca Deos.
Qua tamen ipſe uehor, comitata Cupidine paruo,
Sponſor coniugii ſtat Dea picta ſui.

92. Margo Micylli et Berſm. *Addidit ad. lb.* Pal. *feſtas.*

96. Poſt hunc Pal. et uett. edd. addunt hos uerſus haud dubie Ouidianos: *Quas ſuper Oenonem facies mutarer in Impo-orbem. Nec Priamo eſt ad te* (Heinſ. corr. *a te*) *dignior ulla nurus.* Priorem Heuſ. reſtitui poſſe putat hoc modo: *Quas ſuper Oenonae faciens mutabar in urbem.*

Impoſita eſt factae poſtquam manus ultima claſſi; 115
Protinus Aegaeis ire iubebar aquis.
Et pater et genetrix inhibent mea uota rogando,
Propoſitumque pia uoce morantur iter.
Et ſoror effuſis, ut erat, Caſſandra capillis,
Cum uellent noſtrae iam dare uela rates; 120
Quo ruis? exclamat; referes incendia tecum;
Quanta per has, neſcis, flamma petatur aquas.
Vera fuit uates, dictos inuenimus ignes:
Et ferus in molli pectore flagrat amor.
Portubus egredior; uentisque ferentibus uſus 125
Applicor in terras, Oebali Nympha, tuas.
Excipit hoſpitio uir me tuus. hoc quoque factum
Non ſine conſilio numinibusque Deûm.
Ille quidem oſtendit, quicquid Lacedaemone tota
Oſtendi dignum, conſpicuumque fuit. 130
Sed mihi laudatam cupienti cernere formam,
Lumina, nil aliud, quo caperentur, erat.
Vt uidi, obſtupui; praecordiaque intima ſenſi
Attonitus curis intumuiſſe nouis.
His ſimiles uultus, quantum reminiſcor, habebat, 135
Venit in arbitrium cum Cytherea meum.
Si tu ueniſſes pariter certamen in illud;
In dubium Veneris palma futura fuit.
Magna quidem de te rumor praeconia fecit,

Nulla-

116. Priſcae editt. *iubebat*, unde Heinſ. coni. *lubebat*, uel *iuuabat*.

134. Al. *intonuiſſe nouis*. Heinſ. coni. *indoluiſſe*, uel *intepuiſſe*.

Nullaque de facie nescia terra tua est, 140
Nec tibi par usquam Phrygia, nec Solis ab ortu
Inter formosas altera nomen habet.
Credis et hoc nobis? minor est tua gloria uero:
Famaque de forma pene maligna tua est.
Plus hic inuenio, quam quod promiserit illa: 145
Et tua materiâ gloria uicta suâ est.
Ergo arsit merito, qui nouerat omnia, Theseus:
Et uisa es tanto digna rapina uiro:
More tuae gentis nitida dum nuda palaestra
Ludis; et es nudis femina mixta uiris. 150
Quod rapuit, laudo: miror, quod reddidit umquam.
Tam bona constanter praeda tenenda fuit.
Ante recessisset caput hoc ceruice cruenta,
Quam tu de thalamis abstraherere meis.
Tene manus umquam nostrae dimittere uellent? 155
Tene meo paterer uiuus abire sinu?
Si reddenda fores, aliquid tamen ante tulissem
Nec Venus ex toto nostra fuisset iners.

Vel

141. *Phrygia* emend Heins. Vulgo *Phrygiam.* Quaedam editt. e coni. Nauger. *Phrygiae.*

143. Tres scripti *Credis et haec.* B. *Cr. ad haec.* Al. *Crede sed hoc.*

145. Leid. *inueniat*, forte, *inuenias. Ibid. Promiserit* tres Heins. et Gu. 4. Reliqui *promiserat.*

148. Al. *uisa est.*

150. Gu. 1. *mixta puella.*

151. Gu. 1. *Quod laudo, rapuit*, ita quidem, ut haec connectantur cum praecedenti disticho, commate post *uiris* posito.

154. Gu. 2. *extraherere meis.*

157. O. *inde tulissem.*

Vel mihi uirginitas eſſet libata; uel illud,
Quod poterat ſalua uirginitate rapi. 160
Da modo te; quae ſit Paridi conſtantia, noſces.
Flamma rogi flammas finiet una meas.
Praepoſui regnis ego te; quae maxima quondam
Pollicita eſt nobis nupta ſororque Iouis.
Dumque tuo poſſem circumdare brachia collo, 165
Contemta eſt uirtus, Pallade dante, mihi:
Nec piget; aut umquam ſtulte legiſſe uidebor:
Permanet in uoto mens mea firma ſuo.
Spem modo ne noſtram fieri patiare caducam;
Te precor, ô tanto digna labore peti. 170
Non ego coniugium generoſae degener opto:
Nec mea (crede mihi) turpiter uxor eris.
Pliada, ſi quaeres, in noſtra gente, Iouemque
Inuenies:

159. Gu. 4. et He. cum al. *Vel tua. Ib.* Gu. 2. *foret libata.*

160. He. *Quod potuit. Ib.* Ha. *uirg. dari*, Gu. 4. *capi.* D. *Quo potui ſ. uirg. frui.*

161. *Paridi* B. Vulgo *Paridis.* Heinſ. legit *Paridi quae ſit*, atque hoc iam exhibet ed. Gryph. a. 1554. Gu. 2. *mihi quae ſit.*

166. Poſt hunc uerſum Gu. 2. 4. He. et al. intrudunt hoc diſtichon, quod a melioribus abeſt: *Cum Venus et Iuno Pallasque in uallibus Idae Corpora iudicio ſuppoſuere meo.* Pro quo in cod. Douzae ſequebatur aliud: *Primaque cum regnum, belli daret altera laudem, Tertia, coniugii laude frueris, ait.*

167. P. edd. priſcae et Berſm *haud umquam ſtulte. Ib. legiſſe* P. et quinque al. Vulgo *elegiſſe.* Mor. et duo al. *fatebor* pro *uidebor.*

168. L. *Et manet in u. m. m. certa ſuo.* He. *ſpes mea firma.*

170. *Te precor* unus V. Vulgo *Deprecor.*

173. *Quaeres* P. et Gu. 1. Vulgo *quaeras.* Gu. 2. et 3. *quaeris.*

Inuenies: medios ut taceamus auos.
Sceptra parens Asiae, qua nulla beatior ora, 175
Finibus immensis uix obeunda, tenet.
Innumeras urbes, atque aurea tecta uidebis:
Quaeque suos dicas templa decere Deos.
Ilion aspicies, firmataque turribus altis
Moenia, Phoebeae structa canore lyrae. 180
Quid tibi de turba narrem numeroque uirorum?
Vix populum tellus sustinet illa suum.
Occurrent denso tibi Troades agmine matres:
Nec capient Phrygias atria nostra nurus.
O quoties dices, Quam pauper Achaïa nostra est? 185
Vna domus quasuis urbis habebit opes.
Nec mihi fas fuerit Sparten contemnere uestram.
In qua tu nata es, terra beata mihi est.
Parca sed est Sparte: tu cultu diuite digna es.
Ad talem formam non facit iste locus. 190
Hanc faciem largis sine fine paratibus uti,
Deliciisque decet luxuriare nouis.
Cum uideas cultum nostra de gente uirorum;
Qualem Dardanidas credis habere nurus?
Da modo te facilem: nec dedignare maritum, 195
Rure

178. He. *dices.*
180. O. *facta can.*
183. Leid. et Sc *ordine matres.*
185. O. *Ah quoties.*
186. *Quasuis* Go. Caeteri *quaeuis.* Fr. tamen *quamuis.* He. *quauis.*
193. *Cultum* tres Heins. et Gu. 3. Vulgo *cultus.*
194. *Qualem* meliores. Al. *Quales. Ib.* Gu. 1. 2. 3. cum al. *Dardanias.*

Rure Therapnaeo nata puella, Phrygem.
Phryx erat, et noſtro genitus de ſanguine, qui nunc
Cum Dîs potandas nectare miſcet aquas.
Phryx erat Aurorae coniux. tamen abſtulit illum
Extremum noctis quae Dea finit iter. 200
Phryx etiam Anchiſes, uolucrum cui mater Amorum
Gaudet in Idaeis concubiſſe iugis.
Nec, puto, eollatis forma Menelaus et annis
Iudice te, nobis anteferendus erit.
Non dabimus certe ſocerum tibi, clara fugantem 205
Lumina; qui trepidos a dape uertat equos.
Nec pater eſt Priamo ſoceri de caede cruentus;
Et qui Myrtoas crimine ſignet aquas.
Nec proauo Stygia noſtro captantur in unda
Poma, nec in mediis quaeritur humor aquis. 210
Quid tamen hoc refert, ſi te tenet ortus ab illis?
Cogitur huic domui Iuppiter eſſe ſocer.
Heu ſacinus! totis indignus noctibus ille
Te tenet; amplexu perfruiturque tuo.
At mihi conſpiceris poſita uix denique menſa. 215
Multaque, quae laedant, hoc quoque tempus habet.
Hoſti-

196. Quidam codd. *Theramnaeo.*
198. Gu. 3. 4. et He. cum al. *potando.*
201. Gu. 2. cum quibusdam al. *Phryx erat.*
203. Quidam codd. et ed. uett. *collatus. Ibid. et annis* P. et al. quidam. Vulgo et *armis.*
206. L. Pat. et Gu. 4. *Sidera; qui.*
208. Gu. 1. 3. *ſignat.* Gu. 4. *ſanguine ſignet.* He. *ſanguine tinget.*
211. Multi *haec refero,* uel *referam.*

Hoſtibus eueniant conuiuia taſia noſtris,
  Experior poſito qualia ſaepe mero.
Poenitet hoſpitii, cum, me ſpectante, lacertos
  Impoſuit collo ruſticus iſte tuo. 220
Rumpor, et inuideo (quid enim tamen omnia narrem:)
  Membra ſuperiecta cum tua ueſte fouet.
Oſcula cum uero coram non dura daretis;
  Ante oculos poſui pocula ſumta meos.
Lumina demitto, cum te tenet arctius ille: 225
  Creſcit et inuito lentus in ore cibus.
Saepe dedi gemitus: et te, laſciua, notaui
  In gemitu riſum non tenuiſſe meo.
Saepe mero uolui flammam compeſcere: at illa
  Creuit; et ebrietas ignis in igne fuit. 230
Multaque ne uideam, uerſa ceruice recumbo;
  Sed reuocas oculos protinus ipſa meos.
Quid faciam dubito. dolor eſt meus illa uidere;
  Sed dolor a facie maior abeſſe tua.
Qua licet et poſſum, luctor celare furorem: 135
  Sed tamen apparet diſſimulatus amor.
Nec tibi uerba damus: ſentis mea uulnera, ſentis.

220. Plerique codd. *Imponit collo*, uti Gu. omnes et He. *Ibid. iſte* P. Gu. 3. et He. Vulgo *ille*.

221. *Quid enim tamen* Ar. Vulgo *quid nunc tamen*. Quidam *quid nam tamen*, *quid non tamen* (quomodo Gu. 3. et 4.), *quid tamen omnia*, *quid enim non*. Gu. 1. cum exc Iur. *quid ne tamen*, unde Heinſ. coni. *quid ni*. Gu. 2. *quod tamen*.

229. Gu. 1. 2. 4. cum prius uulgatis *Saepe meam*.

231. Leid. *flexa ceruice*.

235. He. *ut poſſum*. *Ib.* quidam ſcripti et ed. *nitor celare*.

Atque utinam ſoli ſint ea nota tibi!
Ah quoties, lacrymis uenientibus, ora reflexi,
Ne cauſam fletus quaereret ille mei! 240
Ah quoties iuuenum narraui potus amores,
Ad uultus referens ſingula uerba tuos!
Indiciumque mei ficto ſub nomine feci!
Ille ego, ſi neſcis, uerus amator eram.
Quin etiam, ut poſſem uerbis petulantius uti, 245
Non ſemel ebrietas eſt ſimulata mihi.
Prodita ſunt (memini) tunica tua pectora laxa,
Atque oculis aditum nuda dedere meis;
Pectora uel puris niuibus, uel lacte, tuamque
Complexo matrem candidiora loue. 250
Dum ſtupeo uiſis, (nam pocula forte tenebam)
Tortilis e digitis excidit anſa meis.
Oſcula ſi natae dederas; ego protinus illa
Hermiones tenero laetus ab ore tuli.
Et modo cantabam ueteres reſupinus amores: 255
Et modo per nutum ſigna tegenda dabam.
Et comitum primas, Clymenenque, Aethramque, tuarum
Auſus ſum blandis nuper adire ſonis.
Quae mihi non aliud, quam formidare, locutae,

Orantis

241 Gu. 1. 2. et 4. cum al. plerisque *quoties aliquem narr. p. amorem.* Gu. 3. *iuuenum amorem.*

245. Al. *petulantibus.*

250. Voſſ. *candidiora cygno.*

252. Omnes Gu. et He. *a digitis. Ib.* duo MSS *decidit.*

256. Exc. Gallicana *ſigna legenda.*

258. Gu. 1. 2. 3. cum P. et al. *Auſus cum blandis.*

259. Gu. 1. cum al. *nil aliud.*

Orantis medias deseruere preces. 260
Dî facerent, magni pretium certaminis esses;
Teque suo uictor posset habere toro.
Vt tulit Hippomenes Schoeneida, praemia cursus,
Venit ut in Phrygios Hippodamia sinus;
Vt ferus Alcides Acheloïa cornua fregit, 265
Dum petit amplexus, Deïanira, tuos.
Nostra per has leges audacia fortior isset:
Teque mei scires esse laboris opus.
Nunc mihi nil superest, nisi te, formosa, precari;
Amplectique tuos, si patiare, pedes. 270
O decus, ô praesens geminorum gloria fratrum;
O Ioue digna uiro, ni Ioue nata fores!
Aut ego Sigêos repetam te coniuge portus:
Aut ego Taenaria contegar exul humo.
Non mea sunt summa leuiter destricta sagitta 275
Pectora: descendit uulnus ad ossa meum.
Hoc mihi, (nam repeto) fore ut a coeleste sagitta

260. B. et Voss. *destituere prec.*

262. He. et Gu. 2. *habere sinu*, quod placet Heusing. si u 264. rescribas *in Phrygios toros.*

263. Post hunc uersum Gu. 2. et 4. it. He. cum al. intrudunt duo subditicios: *Quae propero cursu uicerat ante procos. Sic et tu Phrygias uenias, regina, per urbes.* Alii, altero omisso, priorem tantum exhibent pro eo, qui uulgo legitur *Venit ut in Phrygios* caet.

267. *Audacia fortior* Voss. Vulgo *fortiter.* Gu. 1. 3. et 4. cum al. *uictoria fortiter.*

274. Gu. omnes cum uulg. *Aut hic,*

275. *Destricta* rescripsit Burm. Vulgo *districta.*

277. Gu. 2. et 4. cum multis al. *nam recolo.*

Figar, erat uerax uaticinata ſoror.
Parce datum fatis, Helene, contemnere amorem:
Sic habeas faciles in tua uota Deos. 280
Multa quidem ſubeunt: ſed coram ut plura loquamur,
Excipe me lecto, nocte ſilente, tuo.
An pudet, et metuis Venerem temerare maritam,
Caſtaque legitimi fallere iura tori?
Ah nimium ſimplex, Helene, ne ruſtica dicam. 285
Hanc faciem culpa poſſe carere putas!
Aut faciem mutes, aut ſis non dura, neceſſe eſt.
Lis eſt cum forma magna pudicitiae.
Iuppiter his gaudet, gaudet Venus aurea furtis.
Haec tibi nempe patrem furta dedere Iouem. 290
Vix fieri, ſi ſint uires in ſemine auorum,
Et Iouis et Ledae filia, caſta potes.
Caſta tamen tum ſis, cum te mea Troia tenebit:
Et tua ſim, quaeſo, crimina ſolus ego.
Nunc ea peccemus, quae corrigat hora iugalis: 295
Si modo promiſit non mihi uana Venus.
Sed tibi et hoc ſuadet rebus, non uoce, maritus:
Neue tui furtis hoſpitis obſtet, abeſt.
Non habuit tempus, quo Creſſia regna uideret,
Aptius.

278. D. *uerum uaticinata.*
283. Al. *an metuis.* Multi ed. et ſcripti *Aut pudet, aut met. Ibid.* He. *temer. pudicam.*
284. Mor. *ſoluere iura.* Multi *iura uiri.*
291. *Si ſunt* P. et tres alii. Vulgo *ſint. Ibid.* Gu. 1. et 4. cum plerisque al. *ſemine amorum*, 2. et B. *amoris.*
295. *Corrigat* Sc. et Mor. Al. *corriget*, uel *corrigit.*
298. *Tui* R. Caeteri *ſui.*

Aptius. o mira calliditate uirum! 300
Iuit, et Idaei, mando tibi, dixit iturus,
Curam pro nobis hoſpitis, uxor, agas.
Negligis abſentis (teſtor) mandata mariti:
Cura tibi non eſt hoſpitis ulla tui.
Hunccine tu ſperes hominem ſine pectore dotes 305
Poſſe ſatis formae, Tyndari, noſſe tuae?
Falleris: ignorat. nec, ſi bona ſumma putaret,
Quae tenet, externo crederet illa uiro.
Vt te nec mea uox; nec te meus incitet ardor;
Cogimur ipſius commoditate frui. 310
Aut erimus ſtulti, ſic ut ſuperemus et ipſum,
Si tam ſecurum tempus abibit iners.
Pene ſuis ad te manibus deducit amantem.
Vtere non uafri ſimplicitate uiri.
Sola iaces uiduo tam longa nocte cubili; 315
In uiduo iaceo ſolus et ipſe toro.
Te mihi, meque tibi communia gaudia iungant.

301. Al. *Exit et Idaei.* Sa. *Ibat.* Gu. 2. cum He. *Ipſe abiit.* P. mendoſe *Eſſet et Idaei*, Gu. 1. *Eſſet ut.*

302. Quinque libri *uxor habe.*

303. Plurimi ſcripti *mandata Tyranni.*

305. *Speres* L. Vulgo *ſperas.*

307. Al. *nam ſi. Ibid. bona ſumma* exc. Gallic. et edit. Colin. pro *bona magna.*

308. He. cum al. *ille uiro.* Be. et L. *Crederet externo, quae tenet ille, uiro.*

310. Gr. *abſentis commoditate uiri.*

311. He. *ſi ſic ſuperemus.*

313. Al. *Pene ſuis man. ad te deduxit amantem.*

314. *Non uafri* Me. et P. pro diu. lect. Vulgo *mandantis.* Gu. 2. et 4. *mandatis.* B. *non cauti.*

Candidior medio nox erit illa die.
Tunc ego iurabo quaeuis tibi numina; meque
Adſtringam uerbis in ſacra iura tuis. 320
Tunc ego, ſi non eſt fallax fiducia noſtri,
Efficiam praeſens, ut mea regna petas.
Si pudet, et metuis, ne me uideare ſecuta;
Ipſe reus ſine te criminis huius agar.
Nam ſequar Aegidae factum, fratrumque tuorum. 325
Exemplo tangi non propiore potes.
Te rapuit Theſeus; geminas Leucippidas illi:
Quartus in exemplis annumerabor ego.
Troïa claſſis adeſt armis inſtructa, uirisque.
Iam facient celeres remus et aura uias. 330
Ibis Dardanias ingens regina per urbes:
Teque nouam credet uulgus adeſſe Deam.
Quaque feres greſſus, adolebunt cinnama flammae,
Caeſaque ſanguineam uictima planget humum:
Dona pater fratresque, et cum genitrice ſorores, 335
Iliadesque omnes, totaque Troia, dabunt.
Hei mihi! pars a me uix dicitur ulla futuri.
Plura feres, quam quae littera noſtra refert.
Nec tu rapta time, ne nos fera bella ſequantur;

Con-

320. Scripti plerique *in tua iura, tua iuſſa*, uel *tua uerba. Ibid. uerbis tuis* quinque Heinſ. Vulgo *meis*.

323. Vulgo *aut metuis*, ut Gu. 2. 3. 4. et He.

324. *Agar* Voſſ. cum uno Med. Vulgo *ero*,

328. Sex Heinſ. *enumerabor*.

330. R. et Gr. *faciant*. Vnus Be. Gu. 1. a corr. et He. *faciunt*.

334. Gu. 4. *tanget humum*, et pro diu. lect. *tinget*, quomodo etiam Mor. et duo alii.

Concitet et uires Graecia magna suas. 340
Tot prius abductis, dic, quae repetita per arma est?
Crede mihi, uanos res habet ista metus.
Nomine ceperunt Aquilonis Erechthida Thraces:
Et tuta a bello Bistonis ora fuit.
Phasida puppe noua uexit Pagasaeus Iason: 345
Laesa nec est Colcha Thessala terra manu.
Te quoque qui rapuit, rapuit Minoïda Theseus:
Nulla tamen Minos Cretas ad arma uocat.
Terror in his ipso maior solet esse periclo:
Quaeque timere libet, pertimuisse pudet. 350
Finge tamen, si uis, ingens consurgere bellum:
Et mihi sunt uires: et mea tela nocent.
Nec minor est Asiae, quam uestrae copia terrae:
Illa uiris diues, diues abundat equis.
Nec plus Atrides animi Menelaus habebit, 355
Quam Paris; aut armis anteferendus erit.
Pene puer caesis abducta armenta recepi
Hostibus: et causam nominis inde tuli.
Pene puer uario iuuenes certamine uici;
In quibus Ilioneus, Deïphobusque fuit. 360
Neue putes, non me, nisi cominus, esse timendum:

340. Gu. 4. cum Gr. Be. et quinque al. *Graecia tota.*
341. *Dic quae* alter Be. Vulgo *ecquae.* Quidam *quae est, et quae est, quaeque est.* He. et ed. Berlin. *Quaenam est.*
345. *Pagasaeus* P. et Sa. Vulgo *Pegasaeus.*
346. Bas. *Thessalis ora.*
351. Bas *concurrere bellum.*
352. Duo libri *tela ualent.*
359. Leid. *puer ualido.*
361. Gu. 1. *Neue putes, Paridem, nisi comminus, esse timendum.*

Figitur in iuſſo noſtra ſagitta loco.
Num potes haec illi primae dare facta iuuentae?
Inſtruere Atriden num potes arte mea?
Omnia ſi dederis; numquid dabis Hectora fratrem? 365
Vnus is innumeri militis inſtar habet.
Quid ualeam, neſcis; et te mea robora fallunt.
Ignoras, cui ſis nupta futura uiro.
Aut igitur nullo belli repetêre tumultu:
Aut cedent Marti Dorica caſtra meo. 370
Nec tamen indigner pro tanta ſumere ferrum
Coniuge; certamen praemia magna mouent.
Tu quoque, ſi de te totus contenderit orbis,
Nomen ab aeterna poſteritate feres.
Spe modo non timida, Dis hinc egreſſa ſecundis, 375
Exige cum plena munera pacta fide.

EPISTOLA XVII.

HELENA PARIDI.

Nunc oculos tua cum uiolarit epiſtola noſtros;
Non reſcribendi gloria uiſa leuis. Auſus

362. Gu. 4. *in uiſo.*
363. *Num* e coniect. Heinſ. Scripti *Non.*
364. *Num potes* P. pro diu. lect. Vulgo *non potes.*
365. Gu. 4. cum plerisque *numquam dabis.*
366. *Habet* ſex Heinſ. et Gu. 1. Vulgo *erit.*
371. Gu. 2. 3. 4. et He. *indignor. Ibid.* Gu. 2. et 1. a gloſſat. it. He. cum al. *ſumere bellum.* B. *Nec tamen indignum eſt pro t. ſ. bellum.*
372. Gu. 1. a librar. *magna manent.*

EPIST. XVII. P. margini adſcriptos habebat hos uerſus initio Epiſtolae: *Si mihi, quae legi, Pari, non legiſſe liceret, Seruarem numeros, ſicut et ante, probae.*

u. 1. Med. unus et prima ed. *Cum tua nunc oculos.*
2. Quidam codd. *Non mihi ſcribendi.* Al. *Non reſcri-*

Ausus es, hospitii temeratis, aduena, sacris,
  Legitimam nuptae sollicitare fidem?
Scilicet idcirco uentosa per aequora uectum 5
  Excepit portu Taenaris ora suo?
Nec tibi, diuersa quamuis e gente uenires,
  Oppositas habuit regia nostra fores;
Esset ut officii merces iniuria tanti?
  Qui sic intrabas, hospes, an hostis eras? 10
Nec dubito, quin haec, cum sit tam iusta, uocetur
  Rustica. iudicio, nostra querela, tuo.
Rustica sim sane; dum non oblita pudoris?
  Dumque tenor uitae sit sine labe meae.
Si non est ficto uultus mihi tristis in ore; 15
  Nec sedeo duris torua superciliis;
Fama tamen clara est: et adhuc sine crimine uixi:
  Et laudem de me nullus adulter habet.
Quo magis admiror, quae sit fiducia coepti;
  Spemque tori dederit quae tibi causa mei. 20
An, quia uim nobis Neptunius attulit heros:
  Rapta semel, uideor bis quoque digna rapi?
Crimen erat nostrum, si delenita fuissem.
  Cum sim rapta, meum quid, nisi nolle, fuit?
Non tamen e facto fructum tulit ille petitum: 25
Ex-

benti. Be *Nunc rescribenti.*
6 Go. *Tyndaris.* Be *Trinacris.*
16. P. pro diu. lect. et sex alii *Nec uideor. Ibid.* al. *toruis dura sup.* Gu. 4. *toruis dira.*
17. Duo codd. *rara est. Ib.* P. pro diu. lect. Gu. 2 3. et He. *s. crimine lusi.*
19. Al. *coepto.*
21. Gu. 1. et 4. *intulit.*
23. *Delenita* scribit Burm. atque ita Gu. 1. Vulgo *delinita.*

Excepto, redii passa, timore, nihil.
Oscula luctanti tantummodo pauca proteruus
Abstulit: ulterius nil habet ille mei.
Quae tua nequitia est, non his contenta fuisset.
Dî melius: similis non fuit ille tui. 30
Reddidit intactam; minuitque modestia crimen:
Et iuuenem facti poenituisse patet.
Thesea poenituit, Paris ut succederet illi;
Ne quando nomen non sit in ore meum?
Nec tamen irascor: (quis enim irascatur amanti?) 35
Si modo, quem praefers, non simulatur amor.
Hoc quoque enim dubito. non quod fiducia desit,
Aut mea sit facies non bene nota mihi:
Sed quia credulitas damno solet esse puellis;
Verbaque dicuntur uestra carere fide. 40
At peccant aliae; matronaque rara pudica est.
Quid prohibet raris nomen inesse meum?
Nam mea quod uisa est tibi mater idonea, cuius
Exemplo flecti me quoque posse putes:
Matris in admisso, falsa sub imagine lusae, 45
Error inest: pluma tectus adulter erat.

Nil

27. Gu. 2. 4. et He. cum al. *luctando*.
32. Be. *poenit. liquet*.
35. *Irascatur* a coni. Heins. pro *irascetur* quod in Scr. Vulgo *succenset*.
37. Quidam *Hoc etenim*. Gu. 2. *Haec etenim*. Al. *Hoc etiam*. Nonnulli *Hoc quoque nam*. *Ibid. non quo* Med. et Ar. Vulgo *non quod*.
42. *Quid* corr. Heins. Vulgo *Quis*. P. *Qui*.
44. Patr. Iun. et Leid. *tangi me*. *Ib.* Gu. 2. et a corr. 1. it. He. *putas*.

Nil ego, ſi peccem, poſſum neſciſſe, nec ullus
Error, qui facti crimen obumbret, erit.
Illa bene errauit, uitiumque auctore redemit.
Felix in culpa quo Ioue dicar ego? 50
Quod genus, et proauos, et regia nomina iactas:
Clara ſatis domus haec nobilitate ſua eſt.
Iupiter ut ſoceri proauus taceatur, et omne
Tantalidae Pelopis Tyndareïque decus;
Dat mihi Leda Iouem, cyeno decepta, parentem; 55
Quae falſam gremio credula fouit auem.
I nunc, et Phrygiae late primordia gentis,
Cumque ſuo Priamum Laomedonte refer.
Quos ego ſuſpicio; ſed, qui tibi gloria magna eſt,
Quintus, is a noſtro nomine primus erit. 60
Sceptra tuae quamuis rear eſſe potentia Troiae,
Non tamen haec illis eſſe minora puto.
Si iam diuitiis locus hic numeroque uirorum
Vincitur: at certe barbara terra tua eſt.
Munera tanta quidem promittit epiſtola diues; 65
Vt poſſint ipſas illa mouere Deas.
Sed ſi iam fines uellem tranſire pudoris;

Tu

47. Vulgo *poſſum*. Ar. *poſſem*.

49. Margo Micylli et Colin. *auctore leuauit*.

51. Gu. 1. 2. 4. et He. cum plerisque al. *Et genus*. Al. *Quid genus*.

54. *Decus* P. pro dim. lect. Vulgo *genus*. Be. *Tyndaridisque decus*. Gu. 1. ac 3. *Tyndaridaeque genus*.

57. Al. *clarae primordia*.

58. *Priamum Laomedonte* P. Leid. et Gu. 1. Vulgo *Priamo Laomedonta*.

60. Gu. 2. et 4. it. He. cum uulg. *noſtro ſanguine*.

61. Gu. 1. cum P. *potentia terrae*.

Tu melior culpae causa futurus eras.
Aut ego perpetuo famam sine labe tenebo;
Aut ego te potius, quam tua dona, sequar. 70
Vtque ea non sperno; sic acceptissima semper
Munera sunt, auctor quae pretiosa facit.
Plus multo est, quod amas; quod sum tibi causa laboris,
Quod per tam longas spes tua uenit aquas.
Illa quoque, apposita quae nunc facis, improbe, mensa, 75
(Quamuis experiar dissimulare) noto.
Cum modo me spectas oculis, lasciue, proteruis;
Quos uix instantes lumina nostra ferunt:
Et modo suspiras: modo pocula proxima nobis
Sumis; quaque bibi, tu quoque parte bibis. 80
Ah quoties digitis, quoties ego tecta notaui
Signa supercilio pene loquente dari!
Et saepe extimui, ne uir meus illa uideret:
Non satis occultis erubuique notis.
Saepe uel exiguo, uel nullo murmure, dixi, 85
Nil pudet hunc, nec uox haec mea falsa fuit.
Orbe quoque in mensae legi sub nomine nostro,
Quod deducta mero littera fecit, AMO.

Credere

68. Gu. 2. cum plurimis *Tu maior.*
69. Al. *perpetuam.*
71. Gu. 1. *spernam. Ibid.* Go. *accept. quondam*, h. e. aliquando, nonnunquam.
73. He. *causa doloris.*
74. Fr. *spes tibi.*
77. Al. *Tu modo.* Gu. 4. *Quomodo. Ib.* Gu. 2. *me expectas.*
80. Gu. 1. et 2. *quaque bibo.*
85. *Nullo* P. Caeteri *longo.* Be. *paruo.*
86. Mor. *haec mihi falsa.* Med. *uana fuit.*

Credere me tamen hoc oculo renuente negaui.
Hei mihi! iam didici, ſic quoque poſſe loqui. 90
His ego blanditiis, ſi peccatura fuiſſem,
Flecterer: his poterant pectora noſtra capi.
Eſt quoque (confiteor) facies tibi rara: poteſtque
Velle ſub amplexus ire puella tuos.
Altera uel potius felix ſine crimine fiat, 95
Quam cadat externo noſter amore pudor.
Diſce meo exemplo, formoſis poſſe carere.
Eſt uirtus placitis abſtinuiſſe bonis.
Quam multos credas iuuenes optare, quod optas,
Qui ſapiant? oculos an Paris unus habes? 100
Non tu plus cernis, ſed plus temerarius audes:
Nec tibi plus cordis, ſed magis oris, ineſt.
Tunc ego te uellem celeri ueniſſe carina,
Cum mea uirginitas mille petita procis.
Si te uidiſſem, primus de mille fuiſſes. 105
Iudicio ueniam uir dabit ipſe meo.
Ad poſſeſſa uenis praeceptaque gaudia ſerus.
Spes tua lenta fuit: quod petis, alter habet.

Vt

89. D. cum al. multis *Crede mihi, tamen hoc.* Idem *renuente notaui.*

90. Gu. 4. *nam didici. Ib.* P. et R. *ſic ego.*

93. Gu. 2. *tibi clara.*

95. *Vel potius* P. R. et Gu. 1. Vulgo *ſed potius.* Gu. 2. *Altera iam felix uxor ſine.*

99. *Credas* duo Heinſ. Vulgo *credis. Ibid.* al. *optaſſe.*

100. Gu. 2. et 4. cum al. *ſapiunt. Ib.* unus V. *an Pari ſolus.*

102. Gu. omnes cum al. *minus oris. Ineſt* duo Heinſ. Vulgo *adeſt.* Gu. 4. cum quatuor Heinſ. *habes.*

107. Gu. 1. et 4. cum al *praereptaque.* He. *perceptaque.*

108. Iun. et Med. *lenta uenit. Ib.* Mor. et unus Be. *quam petis.*

Vt tamen optarem fieri tibi Troïa coniux,
Inuitam ſic me nec Menelaus habet. 110
Deſine molle, precor, uerbis couellere pectus:
Neue mihi, quam te dicis amare, noce.
Sed ſine, quam tribuit ſortem Fortuna, tueri:
Nec ſpolium noſtri turpe pudoris habe.
At Venus hoc pacta eſt: et in altae uallibus Idae 115
Tres tibi ſe nudas exhibuere Deae:
Vnaque cum regnum, belli daret altera laudem;
Tyndaridos coniux, tertia dixit, eris.
Credere uix equidem coeleſtia corpora poſſum
Arbitrio formam ſuppoſuiſſe tuo. 120
Vtque ſit hoc uerum; certe pars altera ficta eſt,
Iudicii pretium qua data dicor ego.
Non eſt tanta mihi fiducia corporis, ut me
Maxima, teſte Dea, dona fuiſſe putem.
Contenta eſt oculis hominum mea forma probari: 125
Laudatrix Venus eſt inuidioſa mihi.
Sed nihil infirmo: faueo quoque laudibus iſtis:
Nam mea uox quare, quod cupit, eſſe neget?

Nec

109. Gu. 1. *Vt nunc opt.*
110. Vulgo *non Menelaus.*
111. Al. *uerbis diuellere,* alii *compeſcere*; quidam *corrumpere, contundere, compellere.* Gu. 1. *mihi uellere.*
113. Gu. 1. ante correct. et 4. cum al. *ſortem natura.*
115. L. et B. unus *altis uallibus.*
116. Alter Mor, *nudas exposuere.*
119. Al. *coeleſtia numina.* Excerpta Voſſ. *coel. pectora.*
126. Gu. 3 et 4. cum multis al. *inſidioſa mihi.* Vnus B. *inſidiata.*
127. Multi libri *infirmor.* V. 2. et 1. in marg. L. unus et Ha. *inficior.* Pal. *inſinuo.* Duo *offendo.* D. *Sed non iraſcor.*

Nec tu ſuccenſe, nimium mihi creditus aegre.
Tarda ſolet magnis rebus ineſſe fides. 130
Prima mea eſt igitur Veneri placuiſſe uoluptas:
Proxima, me uiſam praemia ſumma tibi:
Nec te Palladios, nec te Iunonis honores
Auditis Helenae praepoſuiſſe bonis.
Ergo ego ſum uirtus? ego ſum tibi nobile regnum? 135
Ferrea ſim, ſi non hoc ego pectus amem.
Ferrea, crede mihi, non ſum: ſed amare recuſo
Illum, quem fieri uix puto poſſe meum.
Quid bibulum curuo proſcindere litus aratro,
Spemque ſequi coner, quam locus ipſe neget? 140
Sum rudis ad Veneris furtum: nullaque fidelem
(Dî mihi ſint teſtes) luſimus arte uirum.
Nunc quoque, quod tacito mando mea uerba libello,
Fungitur officio littera noſtra nouo.
Felices, quibus uſus adeſt! ego, neſcia rerum, 145
Difficilem culpae ſuſpicor eſſe uiam.
Ipſe malo metus eſt. iam nunc confundor, et omnes
In noſtris oculos uultibus eſſe reor.
Nec reor hoc falſo. ſenſi mala murmura uulgi:
Et quasdam uoces retulit Aethra mihi. 150
At tu diſſimula: niſi ſi deſiſtere mauis.

Sed

132. Gu 2. *praemia magna.*
137. Gu. 2. 4. et He. cum al. *amare recuſo.*
139. O. et plures alii *profindere litus.*
142. Al. *ſunt teſtes.*
143. Gu. 2. *Hoc quoque.*
147. Be *Ipſa uirum metuo.*
151. Alii *niſi tu, niſi te, ſi non, niſi me, niſi iam,* et ſimilia.

Sed cur desistas? dissimulare potes.
Lude, sed oculte. maior, non maxima, nobis
Est data libertas, quod Menelaus abest.
Ille quidem procul est, ita re cogente, profectus. 155
Magna fuit subitae iustaque causa uiae;
Aut mihi sic uisum est. ego, cum dubitaret, au iret,
Quam primum, dixi, fac rediturus eas.
Omine laetatus dedit oscula: Resque, domusque,
Et tibi sit curae Troïus hospes, ait. 160
Vix tenui risum. quem dum compescere luctor,
Nil illi potui dicere, praeter, Erit.
Vela quidem Creten uentis dedit ille secundis:
Sed tu non ideo cuncta licere puta.
Sic meus hinc uir abest, ut me custodiat absens. 165
An nescis longas Regibus esse manus?
Fama quoque est oneri. nam quo constantius ore
Laudamur uestro, iustius ille timet.
Quae iuuat, ut nunc est, eadem mihi gloria damno est:
Et melius famae uerba dedisse foret. 170
Nec, quod abest, hic me tecum mirare relictam:
Moribus et uitae credidit ille meae,
De facie metuit, uitae confidit: et illum
Securum probitas, forma timere facit.

Tem-

152. Vnus Mor. it ed. Bersm. et Colin. *dissim. licet.*

155. Al. *est in Cressia regna profectus.* L. *est Creteïa regna prof.* Be. Go. et V. *longa regione profectus.*

157. *Aut* P. et Leid. Vulgo *At. Ib.* al. *sic iussum est.*

164. P. et Gu. 1. *non adeo.*

168. Gu. 1. cum al. quibusdam *fortius ille.*

Tempora ne pereant ultro data praecipis; utque 175
Simplicis utamur commoditate uiri.
Et libet, et timeo; nec adhuc exacta uoluntas
Est satis; in dubio pectora nostra labant.
Et uir abest nobis; et tu sine coniuge dormis;
Inque uicem tua me, te mea forma, capit: 180
Et longae noctes: et iam sermone coimus:
Et tu (me miseram!) blandus: et una domus.
Et peream, si non inuitant omnia culpam.
Nescio quo tardor sed tamen ipsa metu.
Quam male persuades, utinam bene cogere possis! 185
Vi mea rusticitas excutienda fuit.
Vtilis interdum est ipsis iniuria passis.
Sic certe felix esse coacta uelim.
Dum nouus est, potius coepto pugnemus amori:
Flamma recens parua sparsa resedit aqua. 190
Certus in hospitibus non est amor. errat, ut ipsi:
Cumque nihil speres firmius esse, fuit.
Hypsipyle testis, testis Minoïa uirgo est;
In non exhibitis utraque lusa toris.

177. Gu. 3. 4. et He. cum al. *exacta uoluptas*.

183. Gr. *Vt peream. Ibid.* Gu. 2. cum al. *inuitent*.

185. *Quam male* D. R. unus et Ball. a manu prima. Caeteri *Quod male*. Ar. *Quod bene. Ibid.* Gu. 1. 2. et 4. *posses*.

186. *Vi mea* emend. Heins. Vulgo *Sic mea r. e. foret*. P. B. et Ar. *Vt mea -- fuit*. Gu. 1. et 4. cum plerisque al. *Vt mea -- foret*. Gu. 2. *Et mea -- foret*, 3. *Tu mea -- fuit*.

188. Gu. 1. et 2. *coacta forem*, 4. cum al. *ipsa coacta forem*.

190. Gu. 2. *sparsa recedit*.

192. Gu. 2. *speret. Ib. Fuit* P. et Gu. 3. Vulgo *fugit*.

194. Gu. 4. cum al. *utraque iuncta*. Excerpta Scalig. et quatuor Heins. *utraque pacta*. Nonnulli *utraque uicta*, ut

Tu quoque, dilectam multos, infide, per annos, 195
Diceris Oenonen destituisse tuam.
Nec tamen ipse negas; et nobis omnia de te
Quaerere, si nescis, maxima cura fuit.
Adde quod, ut cupias constans in amore manere,
Non potes. expedient iam tua uela Phryges. 200
Dum loqueris mecum, dum nox sperata paratur,
Qui ferat in patriam, iam tibi uentus erit.
Cursibus in mediis nouitatis plena relinques
Gaudia: cum uentis noster abibit amor.
An sequar, ut suades; laudataque Pergama uisam; 205
Pronurus et magni Laomedontis ero?
Non ita contemno uolucris praeconia Famae.
Vt probris terras impleat illa meis.
Quid de me Sparte poterit, quid Achaïa tota,
Quid gentes Asiae, quid tua Troia loqui? 210
Quid Priamus de me, Priami quid sentiet uxor;
Totque tui fratres, Dardanidesque nurus?
Tu quoque, qui poteris tibi me sperare fidelem,
Et non exemplis anxius esse tuis?

Qui-

Gu. 2. et He. Alii, in his P. Ar. Gu. 1. et 3. *iusta.*

196. Gu. 2. 4. et He. cum al. *deseruisse tuam.* Gu. 3 *praeposuisse.*

197. Gu. 2. *Hoc non ipse.*

200. Gu. 4. cum al. *expedient. Ib.* He. *sua uela.*

202. Gu. 2. *uentus adest.*

203. Gu. 1. *relinquis.*

208. Gu. 2. *Vt terram opprobriis. Ibid.* Be. *illa meas.*

210. Gu. 2. 3. et 4. cum al. *gentes aliae. Ib.* nonnulli *totaque Troia.*

211. Sex Heins. *sentiat.* Me. et exc. Douzae *censeat.*

213. Gu. omnes et He. cum ed. quibusdam *fore me.*

Quicunque Iliacos intrauerit aduena portus, 215
Is tibi ſolliciti cauſa timoris erit.
Ipſe mihi quoties iratus, Adultera, dices!
Oblitus noſtro crimen ineſſe tuum.
Delicti fies idem reprehenſor et auctor.
Terra, precor, uultus obruat ante meos. 220
At fruar Iliacis opibus cultuque beato:
Donaque promiſſis uberiora feram.
Purpura nempe mihi pretioſaque texta dabuntur:
Congeſtoque auri pondere diues ero.
Da ueniam faſſae; non ſunt tua munera tanti. 225
Neſcio quo tellus me tenet iſta modo.
Quis mihi, ſi laedar, Phrygiis ſuccurrat in oris?
Vnde petam fratris, unde parentis opem?
Omnia Medeae fallax promiſit Iaſon;
Pulſa eſt Aeſonia num minus illa domo? 230
Non erat Aeëtes, ad quem deſpecta rediret:
Non Ipſea parens, Chalciopeque ſoror.
Tale nihil timeo; ſed nec Medea timebat.
Fallitur augurio ſpes bona ſaepe ſuo.

215. R. a manu pr. *aduena muros.*
223. Gu. 4. *namque mihi.*
224. Quatuor codd. *congeſtique.*
226. P. Gu. 1. et 3. aliique haud pauci *tenet ipſa.*
227. Vulgo *ſuccurret.*
228. Gu. 1. cum al. meli. *fratres*, 2. *fratrum.*
230. *Num minus* P. et Gu. 1. Vulgo *non minus.*
231. L. *depulſa rediret.* Mor. *deiecta.*
232. P. a manu pr. *Non Ipſia.* Al. *Yſſea*, *Yexea*, *Impea*, *Illaea*, *Gipſea*, et ſimilia. Gu. 1. cum al. *Non erat ipſe.* Heinſ. uult *Idya.*

Omnibus inuenies, quae nunc iactantur in alto, 235
Nauibus a portu lene fuisse fretum.
Fax quoque me terret, quam se peperisse cruentam
Ante diem partus est tua uisa parens.
Et uatum timeo monitus, quos igne Pelasgo
Ilion arsuram praemonuisse ferunt. 240
Vtque fauet Cytherea tibi, quia uicit, habetque
Parta per arbitrium bina tropaea tuum;
Sic illas uereor, quae, si tua gloria uera est,
Iudice te causam non tenuere duae.
Nec dubito, quin, te si prosequar, arma parentur. 245
Ibit per gladios (hei mihi!) noster amor.
An fera Centauris indicere bella coëgit
Atracis Haemonios Hippodamia uiros?
Tu fore tam iusta lentum Menelaon in ira,
Et geminos fratres, Tyndareumque putas? 250
Quod bene te iactes, et fortia facta loquaris,
A uerbis facies dissidet ista suis.
Apta magis Veneri, quam sint tua corpora Marti.
Bella gerant fortes: tu, Pari, semper ama.
Hectora,

236. Al. *in portu.* Be. *e portu.* Voss. *ad portum.*

240. *Arsuram* Intimelianus. Vulgo *arsurum.*

243. Al. *illas timeo.*

244. Gu. 4. cum multis al. *tenuere deae.*

245. Gu. 1. 3. et 4. *persequar.*

249. P. *An fore.* Deinde idem *Menelaon in ulta.*

251. G. 2. 3. 4. et a correct. 1. cum plurimis *iactas. Ibid.* quidam *facta recenses.*

252. *Suis* P. Gu. 3. et al. nonnulli. Vulgo *tuis.*

253. Vulgo *quam sunt. Ib.* L. *tua pectora*

254. Sc. *Arma gerant.* R. et Mor. *Bella gerant alii.* Gu. 3. *gerent.*

Hectora, quem laudas, pro te pugnare iubeto; 255
Militia eſt operis altera digna tui.
His ego, ſi ſaperem, paulloque audacior eſſem,
Vterer. utetur, ſi qua puella ſapit.
Aut ego, depoſito, faciam fortaſſe, pudore;
Et dabo coniunctas tempore uicta manus. 260
Quod petis, ut furtim praeſentes plura loquamur;
Scimus quid captes, colloquiumque uoces.
Sed nimium properas; et adhuc tua meſſis in herba eſt.
Haec mora ſit uoto forſan amica tuo.
Hactenus. arcanum furtiuae conſcia mentis 265
Littera, iam laſſo pollice, ſiſtat opus.
Caetera per ſocias Clymenen Aethramque loquamur,
Quae mihi ſunt comites conſiliumque duae.

EPISTOLA XVIII.

LEANDER HERONI.

Mittit Abydenus, quam mallet ferre, ſalutem,
Si cadat ira maris, Seſta puella, tibi.

256. Vulgo *tuis*.

259. Gu. 3. *Aut ego quod faciam poſito fortaſſe pud.* Quidam *fortaſſe timore.*

260. Quidam codd. *dabo conuictas.* Al. *conuinctas.* L. *Aut dabo et uictas.*

261. *Plura* prima edit. et tres ſcripti. Vulgo *iſta.*

264. Gu. 2. 3. 4. *mora fit.*

267. Margo Berſm. *loquemur.*

268. Gr. O. et unus Heinſ. *conſcilium*, pro *concilium.*

EPIST. XVIII. u. 2. *Ira* Ald. 2. et al. editt. it. Gu. omnes. Vulgo *unda.* Pro primis duobus uerſibus excerpta Douzae exhibebant hoſce: *Quam cuperem ſolitas, Hero, tibi ferre per undas, Accipe Leandri, dum ueni, ipſe, manum.* Me. alter et hos et illos agnoſcit. In Dou.

Si mihi Dî faciles, et ſunt in amore ſecundi;
Inuitis oculis haec mea uerba leges.
Sed non ſunt faciles: nam cur mea uota morentur; 5
Currere me nota non patiantur aqua?
Ipſa uides coelum pice uigrius; et freta uentis
Turbida, perque cauas uix obeunda rates.
Vnus, et hic audax, a quo tibi littera noſtra
Redditur, e portu nauita mouit iter. 10
Adſcenſurus eram: niſi quod dum uincula prorae
Solueret, in ſpeculis omnis Abydos erat.
Non poteram celare meos, uelut ante, parentes:
Quemque tegi uolumus, non latuiſſet, amor.
Protinus haec ſcribens, Felix, i, littera, dixi: 15
Iam tibi formoſam porriget illa manum.
Forſitan admotis dominae tangêre labellis;
Rumpere dum niueo uincula dente uolet.
Talibus exiguo dictis mihi murmure uerbis,

Caetera

zae exc. praeterea ſubiicitur alterum diſtichon: *Aptior illa quidem placido dat uerbera ponto; Eſt tamen et ſenſus apta miniſtra mei.*

3. Libri quinque *Sint mihi*; tum alii multi *et ſint in am.* quidam *uel ſint*, aut, *uel ſunt*, uel, *ut ſunt*, uel, *qui ſunt*. B. *Sic mihi Dî f.*

4. Gr. et duo al. *mea ſcripta.*

5. Vulgo *morantur.* Sc. *mea uela morentur.*

6. Mor. *mota aqua. Ibid. Patiantur*, unus R. *Nec patiantur* Petau. Gu. 3. et He. *nec patiuntur.* Vulgo *non patiuntur.*

7. Be. *Nonne uides.*

8. Vulgo *uix adeunda*, quomodo Gu. 3. et 4.

10. Gu. 2. *Traditur, a portu. Ibid.* uulgo *fecit iter.* Alter Me. *ſoluit iter.*

17. *Dominae* libri Mor. et Me. Vulgo *etiam.*

18. Gu. 4. in marg. *dente parat.*

Caetera cum charta dextra locuta mea eſt. 20
At quanto mallem, quam ſcriberet, illa nataret,
Meque per aſſuetas ſedula ferret aquas.
Aptior illa quidem placido dare uerbera ponto.
Eſt tamen et ſenſus apta miniſtra mei.
Septima nox agitur, ſpatium mihi longius anno, 25
Sollicitum raucis ut mare feruet aquis.
His ego ſi uidi mulcentem pectora ſomnum
Noctibus, inſani ſit mora longa freti.
Rupe ſedens aliqua ſpecto tua litora triſtis:
Et quo non poſſum corpore, mente feror. 30
Lumina quin etiam ſumma uigilantia turre
Aut uidet, aut acies noſtra uidere putat.
Ter mihi depoſita eſt in ſicca ueſtis arena.
Ter graue tentaui carpere nudus iter.
Obſtitit inceptis tumidum iuuenilibus aequor: 35
Merſit et aduerſis ora natantis aquis.
At tu de rapidis, immanſuetiſſime, uentis,
Quid mecum certa proelia mente geris?
In me, ſi neſcis, Borea, non aequora, ſaeuis.
Quid faceres, eſſet ni tibi notus amor? 40
Tam gelidus cum ſis, non te tamen, improbe, quondam
Ignibus Actaeis incaluiſſe negas.

21. Al. *Ah quanto.*
26. Arund. Gu. 4. et 1. a gloſſ. *quo mare.* Gu. 2. 3. it. He. cum al. *quod mare.*
33. Ba. *nuda arena.*
35. Gu. 3. *timidum iuuenalibus.*
41. P. *quod ſis, num te.*
42. He. *neges.*

Gaudia rapturo ſi quis tibi claudere uellet
  Aërios aditus, quo paterere modo?
Parce, precor; facilemque moue moderatius auram; 45
  Imperet Hippotades ſic tibi triſte nihil.
Vana peto, precibusque meis obmurmurat ipſe:
  Quasque quatit, nulla parte coërcet aquas.
Nunc daret audaces utinam mihi Daedalus alas!
  Icarium quamuis hic prope litus adeſt. 50
Quicquid erit, patiar: liceat modo corpus in auras
  Tollere; quod dubia ſaepe pependit aqua.
Interea, dum cuncta negant uentique fretumque,
  Mente agito furti tempora prima mei.
Nox erat incipiens (namque eſt meminiſſe uoluptas) 55
  Cum foribus patriis egrediebar amans.
Nec mora, depoſito pariter cum ueſte timore,
  Iactabam liquido brachia lenta mari.
Luna fere tremulum praebebat lumen eunti,
  Vt comes in noſtras officioſa uias. 60
Hanc ego ſuſpiciens, Faueas, Dea candida, dixi;
  Et ſubeant animo Latmia ſaxa tuo.

Non

43. Gr. *Gaudia laturo. Ib.* uett. edd. *rumpere uellet.*
44. F. *Aërios portus.*
45. Vulgo *moderantius.*
47. R. et duo al. *Vana precor.*
50. Quatuor Heinſ. *hinc prope.* Cod. Berſm. *hoc prope litus adeſt.* Gu. 3. *hinc prope l. abeſt.*
53. Voſſ. *uota negant.*
54. He. *temp. parua.*
57. Baſ. *ueſte pudore.* Sc. *poſito cum mente pudore.*
59. Al *Luna mihi.*
60. Ball. *in uaſtas.*
61. Al. *o candida.*
62. L. et tres al. *animos tuos.*

Non ſinat Endymion te pectoris eſſe ſeueri.
Flecte, precor, uultus ad mea furta tuos.
Tu, Dea, mortalem coelo delapſa petebas. 65
Vera loqui liceat; quam ſequor, ipſa Dea eſt;
Neu referam mores coeleſti pectore dignos;
Forma niſi in ueras non cadit illa Deas.
A Veneris facie non eſt prior ulla, tuaque.
Neue meis credas uocibus, ipſa uides. 70
Quanto, cum fulges radiis argentea puris,
Concedunt flammis ſidera cuncta tuis;
Tanto formoſis formoſior omnibus illa eſt;
Si dubitas, coecum, Cynthia, lumen habes.
Haec ego, uel certe non his diuerſa, locutus, 75
Per mihi cedentes nocte ferebar aquas.
Vnda repercuſſae radiabat imagine Lunae,
Et nitor in tacita nocte diurnus erat;
Nullaque uox noſtras, nullum ueniebat ad aures,
Praeter dimotae corpore murmur aquae. 80
Alcyones ſolae, memores Ceycis amati,
Neſcio quid uiſae ſunt mihi dulce queri.
Iamque fatigatis humero ſub utroque lacertis,
Fortiter in ſummas erigor altus aquas.

Vt

63. *Sinat* duo ſcripti et prima ed. Vulgo *finit*.
64. Be. *ad mea uota*.
68. Vnus Par. *non cadat*.
70. Vulgo *ipſa uide*.
71. *Quanto* Iun. et Gu. 4. Vulgo *Quantum*. Be. *Quanto tu fulg*.
79. Ita unus R. Vulgo *Nullaque uox uſquam noſtras ueniebat*. P. et multi alii *Nullaque uox uſquam*, (Gu. 2. *umquam*) *nullum uen*.
84. Duo libri *Fortior in*.

Vt procul adſpexi lumen, Meus ignis in illo eſt; 85
Illa meum, dixi, litora numen habent.
Et ſubito laſſis uires rediere lacertis:
Viſaque, quam fuerat, mollior unda mihi.
Frigora ne poſſim gelidi ſentire profundi,
Qui calet in cupido pectore, praeſtat amor. 90
Quo magis accedo, propioraque litora fiunt,
Quoque minus reſtat; plus libet ire mihi,
Cum uero poſſum cerni quoque; protinus addis
Spectatrix animos, ut ualeamque, facis.
Nunc etiam nando dominae placuiſſe laboro, 95
Atque oculis iacto brachia noſtra tuis.
Te tua uix prohibet nutrix deſcendere in altum:
Hoc quoque enim uidi: nec mihi uerba dabas.
Nec tamen effecit, quamuis retinebat euntem,
Ne fieret prima pes tuus udus aqua. 100
Excipis amplexu, feliciaque oſcula iungis:
Oſcula (Dî magni!) trans mare digna peti.
Deque tuis demtos humeris mihi tradis amictus:
Et madidam ſiccas aequoris imbre comam.
Caetera nox, et nos, et turris conſcia nouit, 105
Quodque mihi lumen per uada monſtrat iter.

Nec

86. Gu. omnes cum al. *lumen habent.*
87. Duo libri *Vt ſubito.* Mor. *Tum ſubito. Ibid.* Gu. 1. et 2. *ſubito lapſis.*
90. Gu. 4. *in tepido pectore perſtat.*
95. *Nunc* P. Gu. 3. et duo al. Vulgo *Tunc.*
96. L. *brachia lenta.*
101. Gu. 3. *amplexum.*
102. *Dî magni* P. Sa. et Gu. 3. Vulgo *Dîs magnis.*
105. Iun. Be. et. exc. Douzae *nutrix conſcia.*
106. Be. *per freta.*

Nec magis illius numerari gaudia noctis,
  Hellespontiaci quam matris alga potest.
Quo breuius spatium nobis ad furta dabatur,
  Hoc magis est cautum, ne foret illud iners. 110
Iamque, fugatura Tithoni coniuge noctem,
  Praeuius Aurorae Lucifer ortus erat:
Oscula congerimus properata, sine ordine, raptim,
  Et querimur paruas noctibus esse moras.
Atque ita cunctatus, monitu nutricis amaro, 115
  Frigida deserta litora turre peto.
Digredimur flentes: repetoque ego Virginis aequor,
  Respiciens dominam, dum licet, usque meam.
Si qua fides uero est; ueniens huc esse natator;
  Cum redeo, uideor naufragus esse mihi. 120
Hoc quoque si credas; ad te uia prona uidetur:
  A te cum redeo, cliuus inertis aquae.
Inuitus repeto patriam: quis credere possit?
  Inuitus certe nunc moror urbe mea.
Hei mihi! cur animo iuncti secernimur undis? 125
  Vnaque mens, tellus non habet una duos?
Vel tua me Sestos, uel te mea sumat Abydos:

Tam

107. Gu. omnes *Non magis.*

108. Margo Micylli et Bersm. *maris unda.*

110. Sa. Li. et Scr. *est captum.*

115. Pal. Gu. 1. et 2. *ita contactus.* P. *monitum.* Gu. 2. et 3. *monitus.* Iidem cum al. quibusdam *amarae.*

118. L. *Respic. animam.*

119. Gu. 1. *huc ante natator.*

121. Duo Heins. et Gu. 2. 3. et 4. *si credis.*

125. Gu. omnes et He. cum multis al. *animis. Ibid.* Gu. 1. *seiungimur undis*, quod uerum putat Heusing.

Tam tua terra mihi, quam tibi noſtra placet.
Cur ego confundor, quoties confunditur aequor?
Cur mihi cauſa leuis, uentus, obeſſe poteſt? 130
Iam noſtros curui norunt Delphines amores:
Ignotum nec me piſcibus eſſe reor.
Iam patet attritus ſolitarum limes aquarum;
Non aliter, multa quam uia preſſa rota.
Quod mihi non eſſet, niſi ſic iterare, querebar: 135
At nunc per uentos hoc quoque deeſſe queror.
Fluctibus immodicis Athamantidos aequora canent,
Vixque manet portu tuta carina ſuo.
Hoc mare, cum primum de Virgine nomina merſa,
Quae tenet, eſt nactum, tale fuiſſe puto. 140
Et ſatis amiſſa locus hic infamis ab Helle eſt:
Vtque mihi parcat, crimine nomen habet.
Inuideo Phryxo; quem per freta triſtia tutum
Aurea lanigero uellere uexit ouis.
Nec tamen officium pecoris nauisue requiro: 145
Dummodo, quas findam corpore, dentur aquae.
Arte egeo nulla: fiat modo copia nandi,

Idem

130. Leid. *Tam mihi.*

134. He. *nota quam. Ibid.* Iun. *uia trita.*

135. Mor. 1. *iter ante querebar*, 2. *iterata.* Gu. 2. *iterate.* Quatuor Heinſ. *intrare.* Pat. *iter a te.* R. *ita rare.* Fr. *iter ire.*

141. Vulgo *Eſt ſatis a. l. h. i. ab Helle.* Vnus Med. *At ſatis.*

142. L. unus *mihi pateat. Ibid. crimine nomen* quinque Heinſ. et He. cum prima ed. Vulgo *nomine crimen.*

147. Quatuor Heinſ. *Pax ſit nulla maris: fiat modo.* Totidem *Parte querar nulla*, nonnulli *queror.* Duo *Parte moror nulla.* Prima ed. *Arce queror nulla.* Gu. 2. et 3. cum ſeptem Heinſ. *Parte* (Gu. 2.

Idem, nauigium, nauita, uector, ero.
Nec ſequar aut Helicen, aut, qua Tyros utitur, Arcton:
Publica non curat ſidera noſter amor. 150
Andromedan alius ſpectet, claramue Coronam,
Quaeque micat gelido Parrhaſis Vrſa polo.
At mihi, quod Perſeus et cum Ioue Liber amarunt,
Indicium dubiae non placet eſſe uiae.
Eſt aliud lumen, multo mihi certius iſtis; 155
Non erit in tenebris quo duce noſter amor.
Hoc ego dum ſpectem, Colchos, et in ultima Ponti,
Quaque uiam fecit Theſſala pinus, eam:
Et iuueuem poſſim ſuperare Palaemona nando,
Miraque quem ſubito reddidit herba Deum. 160
Saepe per aſſiduos languent mihi brachia motus,
Vixque per immenſas feſſa trahuntur aquas.
His ego cum dixi, Pretium non uile laboris,
Iam dominae uobis colla tenenda dabo:
Protinus illa ualent, atque ad ſua praemia tendunt; 165
Vt

Parce) *egeo nulla. Ibid.* multi *detur modo.* Alter R. et Be. *detur mihi.* Gu. 4. *dum ſit modo.*

148. Vnus R. et L. *Idem nauigii. Ib.* prima ed. et cod. Be. *rector ero.*

149. Al. *ſequor.*

151. Gu. 4. *ſpectet alius claramque micenam*, in marg. *coronam.*

153. Quatuor Heinſ. *quam Perſ.* Me. alter *quas.*

155. Quidam *aliud numen.*

156. P. et Gu. 3 *Non erat.* Alter Mor. *errat tenebris.*

157. *Et in ultima* P. Quinque *ad ultima* Gu. 3 *Et ultima.* Vulgo *atque ultima.*

158. Vulgo *Theſſala puppis.* Gu. 1. *Ib. nauis.* Gu. 3. *pinus eo.*

161. *Mihi* Leid. et He. Vulgo *mea.*

165. Gu. 2. cum exc. Douzae et Ball. *ad ſua gaudia*, Sa. *munera.*

Vt celer Elêo carcere missus equus.
Ipse meos igitur seruo, quibus uror, amores:
Teque, magis coelo digna puella, sequor.
Digna quidem coelo, sed adhuc tellure morare:
Aut dic, ad Superos et mihi qua sit iter. 170
Hic es, et exiguum misero contingis amanti:
Cumque mea fiunt turbida mente freta.
Quid mihi, quod lato non separor aequore, prodest?
Num minus hoc nobis tam breuis obstat aqua?
Num malim, dubito, toto procul orbe remotus 175
Cum domina longe spem quoque habere mea.
Quo propius nunc es, flamma propiore calesco:
Et res non semper, spes mihi semper adest.
Pene manu, quod amo, (tanta est uicinia) tango:
Saepe sed (heu!) lacrymas hoc mihi pene mouet. 180
Velle quid est aliud fugientia prendere poma,
Spemque suo refugi fluminis ore sequi?
Ergo ego te numquam, nisi cum uolet unda, tenebo?
Et

169. Al. *moraris, moreris, morari.*

170. Vulgo *hinc mihi* Exc. D. *Aut hinc ad superos dic mihi.*

171. Al. *Hinc est quod raro misero*, quomodo Gu. 2. 4. et He. P. *Hic est exigue.* Sex libri *Hic es, et exiguo.* Gu. 3. *Hinc est exigue misero.*

174. *Num* P. Vulgo *Non minus haec. Hoc* recepit Heins. ex uno Med. et fragm. Farnes. in quibus *Non minus hoc.* Gu. 1. 3. et 4. *Num minus haec.*

176. Mor. *A domina Ib.* Gu. 1. 2. et 4. cum plurimis al. *meam.*

177. Al. *Quo propior.*

178. L. *Vt res.*

180. Al. *pene facit.* Gu. 2. *heu clamas hoc mihi pena monet*, 3. et 4. *quae mihi pena mouet.*

182. L. et duo al. *profugi flum.* Fr. *reflui.*

Et me felicem nulla uidebit hiems?
Cumque minus firmum nil ſit, quam uentus et unda, 185
In uentis et aqua ſpes mea ſemper erit?
Aeſtus adhuc tamen eſt. quid cum mihi laeſerit aequor
Plias, et Arctophylax, Oleniumque pecus!
Aut ego non noui, quam ſit temerarius; aut me
In freta non cautum tunc quoque mittet Amor. 190
Neue putes id me, quod abeſt, promittere tempus:
Pignora polliciti non tibi tarda dabo.
Sit tumidum paucis etiam nunc noctibus aequor;
Ire per inuitas experiemur aquas.
Aut mihi continget felix audacia ſaluo: 195
Aut mors ſolliciti finis amoris erit.
Optabo tamen, ut partes expellar in illas;
Et teneant portus naufraga membra tuos.
Flebis enim, tactuque meum dignabere corpus:
Et, Mortis, dices, huic ego cauſa fui. 200
Scilicet interitus offenderis omine noſtri:
Litteraque inuiſa eſt hac mea parte tibi.
Deſino; parce queri. ſed et ut mare finiat iram,

Acce-

189. *Quam ſit* Sc. et unus F. Vulgo *ſim.*
190. Mor. *cautum turbida mittet.*
195. Alter Mor. *contigerit.*
197. Vnus Pat. et Gu. 2. *Et tamen optabout* Tres al. Heinſ. *Optabo tantum partes.*
200. Mor. *morti.*
203. *Deſino; parce* coni. Heinſ. e P. qui habet *Deſino parte*, quomodo et Gu. 1. Vulgo *Deſine parte.* Prima ed. et tres ſcripti *Deſine, parce, Ibid.* Mor. et unus Heinſ. *ſed quod mare.* Ed. prima et nonnulli codd. *ſed ut hoc mare.* Be. unus *ſed ut hanc.* Gu. 1. a corr. *ſed ut mare. Ibid.* alter Me. *deſinat iram.*

Accedant, quaeso, fac tua uota meis.
Pace breui nobis opus est; dum transferor isto: 205
Cum tua contigero litora, perstet hiems.
Illic est aptum nostrae nauale carinae:
Et melius nulla stat mea puppis aqua.
Illic me claudat Boreas; ubi dulce morari;
Tunc piger ad nandum, tunc ego cautus ero. 210
Nec faciam surdis conuicia fluctibus ulla:
Triste nataturo nec querar esse fretum.
Me pariter uenti teneant, pariterque lacerti;
Per causas istic impediarque duas.
Cum patietur hiems, remis ego corporis utar. 215
Lumen in adspectu tu modo semper habe.
Interea pro me pernoctet epistola tecum;
Quam, precor, ut minima prosequar ipse mora.

EPISTOLA XIX.

HERO LEANDRO.

Quam mihi misisti uerbis, Leandre, salutem,
Vt possim missam rebus habere; ueni.

Longa

205. Quidam *transfretor. Ibid. isto* P. et Fr. Vulgo *istuc* Quidam *istoc, isthac, illuc.*

206. He. *tua contingam. Ibid.* unus Heins. *perflet hiems.*

207. P. et Gu. omnes cum multis al. *istic est.*

208. Gu. 3. *flet.*

213. *Pariterque* quatuor Heins. Vulgo *tenerique.*

214. Vnus L. *detinearque duas.*

216. Sc. *in adspectum.*

218. *Prosequar* P. Gu. 2. et He. cum al. Vulgo *persequar.*

EPIST. XIX. u. 7. Duo libri *corpus tenerum, sic mens.*

Longa mora eſt nobis omnis, quae gaudia differt.
Da ueniam faſſae; non patienter amo.
Vrimur igne pari: ſed ſum tibi uiribus impar. 5
Fortius ingenium ſuſpicor eſſe uiris.
Vt corpus, teneris ita mens infirma puellis.
Deficiam; parui temporis adde moram.
Vos, modo uenando, modo rus geniale colendo,
Ponitis in uaria tempora longa mora. 10
Aut fora uos retinent, aut unctae dona palaeſtrae:
Flectitis aut freno colla ſequacis equi.
Nunc uolucrem laqueo, nunc piſcem ducitis hamo.
Diluitur poſito ſerior hora mero.
His mihi ſubmotae, uel ſi minus acriter urar, 15
Quod faciam, ſupereſt, praeter amare, nihil.
Quod ſupereſt, facio: teque, ô mea ſola uoluptas,
Plus quoque, quam reddi quod mihi poſſit, amo.
Aut ego cum cara de te nutrice ſuſurro;
Quaeque tuum, miror, cauſa moretur iter: 20
Aut mare poſpiciens, odioſo concita uento
Corripio uerbis aequora pene tuis:
Aut ubi ſaeuitiae paullum grauis unda remiſit:

10. Vnus Heinſ. *uarias moras.*
12. *Sequacis* P. Gu. 1. et 3. cum al. non paucis. Vulgo *fugacis.*
13. Gu. 2. *uolucres* et *piſces.*
15. *Submotae* P. Ar. et Gu. 1. Vulgo *ſubmotis.*
17. Prima ed. et tres ſcripti *mi ſola,* ἐρχυϊκῶς pro *mea.*
18. *Reddi* P. Baſ. Gu. 1. 3. et He. Vulgo *credi.*
19. He. *genetrice ſuſurro.*
21. Exc. Douzae et nouem codd. *Aut freta.*
22. Al. *aequora ſaepe meis.* Be. *nempe meis.*
23. He. cum aliis *ſaeuitiam.* Al. *ſaeuitiem.*

Posse quidem, sed te nolle uenire, queror:
Dumque queror, lacrimae per amantia lumina manant, 25
Pollice quas tremulo conscia siccat anus.
Saepe tui, specto, si sint in litore passus:
Impositas tamquam seruet arena notas.
Vtque rogem de te, et scribam tibi, siquis Abydo
Venerit, aut, quaero, si quis Abydon eat. 30
Quid referam, quoties dem uestibus oscula, quas tu
Hellespontiaca ponis iturus aqua?
Sic ubi lux acta est, et noctis amicior hora
Exhibuit pulso sidera clara die;
Protinus in summa uigilantia lumina turre 35
Ponimus, adsuetae signa notamque uiae.
Tortaque uersato ducentes stamina fuso,
Feminea tardas fallimus arte moras.
Quid loquar interea tam longo tempore, quaeris?
Nil, nisi Leandri nomen, in ore meo est. 40
Iamne putes exisse domo mea gaudia, nutrix?
An uigilant omnes? et timet ille suos?

Iamne

26. Ha. et L. *Cretica siccat.*

27. Vnus Mor. *quasi sint.*

29. In sex libris deest *et.* Vnus A. *Vt scribam.* Gu. 2. *Vtue rogem de te uel ut scribam tibi.*

31. *Dem* sex Heins. et Gu. 1. et 2. Vulgo *do.* Quidam codd. *de* uitiose pro *dem.*

32. F. et O. *Hellespontiacas aquas.*

33. Gu. 3 cum P. et al *facta est.*

35. P. et Mor. *in summo tecto.*

36. Leid. *signa notanda.* Vndecim MSS. *signa notata.* Gu. 2. et prima ed. *signaque nota.* Li. *notaque signa.* Duae edd. Ven. et margo Micyili et Bersm. *signa notasque.*

41. Al. *putas.*

42. Quidam *ille patrem,* ut He,

Iamne ſuas humeris illum deponere ueſtes;
Pallade iam pingui tinguere membra putes?
Annuit illa fere: non noſtra quod oſcula curet; 45
Sed mouet obrepens ſomnus anile caput.
Poſtque morae minimum, Iam certe nauigat, inquam;
Lentaque dimotis brachia iactat aquis.
Paucaque cum tacta perfeci ſtamina tela,
An medio poſſis, quaerimus, eſſe freto. 50
Et modo proſpicimus: timida modo uoce precamur,
Vt tibi det faciles utilis aura uias.
Auribus interdum uoces captamus, et omnem
Aduentus ſtrepitum credimus eſſe tui.
Sic ubi deceptae pars eſt mihi maxima noctis 55
Acta; ſubit furtim lumina feſſa ſopor.
Forſitan inuitus, mecum tamen, improbe, dormis:
Et, quamquam non uis ipſe uenire, uenis.
Nam modo te uideor prope me ſpectare natantem:
Brachia nunc humeris humida ferre meis. 60
Nunc dare, quae ſoleo, madidis, uelamina membris:
Pectora nunc iuncto ueſtra fouere ſinu.

44. Vnus Mor. *tangere membra. Ibid.* al *putes.*
45. Gu. 2. et He. cum al. *illa fore.*
47. P. et al. plurimi codd. et ed. Berſm. *morae nimium.*
49. Gu. 2. *contacta. Ibid. tela* exc. Iur. unus A. et Go. Vulgo *terra.*
52. Gu. 4. *uentus et aura.*
53. P. *incertas uoces.*
55. Exc. Douzae *Ergo ubi.*
59. Vulgo *prope iam.* Duo libri *prope te. Ib.* Gu. 2. *iam ſperare nat.*
62. Mor. *nunc madido.* Exc. Douzae *nunc noto.* Gu. 2. *coniuncto. Ibid. ueſtra* Sc. Iun. et Exc. Douzae. Vulgo *noſtra.*

Multaque praeterea, linguae reticenda modeſtae;
Quae feciſſe iuuat, facta referre pudet.
Me miſeram! breuis eſt haec, et non uera uoluptas: 65
Nam tu cum ſomno ſemper abire ſoles.
Firmius ô cupidi tandem coëamus amantes:
Nec careant uera gaudia noſtra fide.
Cur ego tot uiduas exegi frigida noctes?
Cur toties a me, lente natator, abes? 70
Eſt mare (confiteor) nondum tractabile nanti:
Nocte ſed heſterna lenior aura fuit.
Cur ea praeterita eſt? cur non uentura timebas?
Tam bona cur periit, nec tibi rapta, uia eſt?
Protinus ut ſimilis detur tibi copia curſus; 75
Hoc melior certe, quo prior, illa fuit.
At cito mutata eſt iactati forma profundi:
Tempore, cum properas, ſaepe minore uenis.
Hic, puto, deprenſus nil, quod querereris, haberes;
Meque tibi amplexo nulla noceret hiems. 80
Certe ego tum uentos audirem lenta tonantes:
Et numquam placidas eſſe precarer aquas.

Quid

63. *Linguae modeſtae* duo Heinſ. Vulgo *lingua modeſta.*
68. Vulgo *Ne careant.*
70. P. lente *morator*, uel *natator.* Mor. *uiator.*
71. L. *nondum tranabile.* Boſ. *penetrabile. Ib.* Gu. 1. *tractabile nautis.*
72. Duo Heinſ. *mollior aura.*
73. Quatuor Heinſ. *praeteriit. Ib.* Gu. 3. *uentura uidebas.*
74. *Rapta* P. He. et al. Vulgo *capta.*
75. Leid. Exc. Douzae et Gu. 2. *copia nandi.*
77. Leid. *mutarit.*
80. Gu. 2. *nocebit.*
81. *Lenta* P. Leid. et He. Vulgo *lacta. Ib. tonantes* Scr. et He. Vulgo *ſonantes.*

Quid tamen euenit, cur ſis metuentior undae?
Contemtumque prius nunc uereare fretum?
Nam memini, cum te ſaeuum ueniente minaxque 85
Non minus, aut multo non minus, aequor erat.
Cum tibi clamabam, Sic tu temerarius eſto,
Ne miſerae uirtus ſit tua flenda mihi.
Vnde nouus timor hic? quoque illa audacia fugit?
Magnus ubi eſt ſpretis ille natator aquis? 90
Sis tamen hoc potius, quam quod prius eſſe ſolebas:
Et facias placidum per mare tutus iter.
Dum modo ſis idem: dum ſic, ut ſcribis, amemur:
Flammaque non fiat frigidus illa cinis.
Non ego tam uentos timeo, mea uota morantes, 95
Quam, ſimilis uento ne tuus erret amor:
Ne non ſim tanti, ſuperentque pericula cauſam:
Et uidear merces eſſe labore minor.
Interdum metuo, patria ne laedar, et impar
Ducar Abydeno Threſſa puella toro. 100
Ferre tamen poſſum patientius omnia; quam ſi
Otia, neſcio qua pellice captus, agas:
In tua ſi ueniant alieni colla lacerti:
Sitque nouus noſtri finis amoris amor.

89. Scr. *timor nothus hic.*
91. Leid. *hic potius* (ſic et Gu. 2.) *quam qui.*
97. He. *Et non.* Gu. 2. *Vt non.* Al. *Et non ſint.*
100. *Ducar* exc. Voſſ. Vulgo *Dicar. Ibid. Threſſa* P. Vulgo *Seſta.* Vnus Med. et Gu. 3. *Creſa.* Ar. Baſ. et Gu. 1. *Creſſa Ib. toro* P. et al. mel. Vulgo *uiro.*
102. Gu. 3. *agis.*
103. Mor. *quam ueniant.* Gu. 1. 2. 3. *ſi ueniunt.*

Ah potius peream, quam crimine uulnerer iſto: 105
Fataque ſint culpa noſtra priora tua!
Nec quia uenturi dederis mihi ſigna doloris,
Haec loquor; aut fama ſollicitata noua.
Omnia ſed uereor: (quis enim ſecurus amauit?)
Cogit et abſentes plura timere locus. 110
Felices illas, ſua quas praeſentia noſſe
Crimina uera iubet, falſa timere uetat!
Nos tam uana mouet, quam facta iniuria fallit:
Incitat et morſus error uterque pares.
O utinam uenias! aut ut uentusue, paterue, 115
Cauſaque ſit certae femina nulla morae.
Quod ſi quam ſciero; moriar (mihi crede) dolendo.
Iamdudum peccas, ſi mea fata petis.
Sed neque peccabis, fruſtraque ego terreor iſtis:
Quoque minus uenias, inuida pugnat hiems. 120
Me miſeram! quanto planguntur litora fluctu!
Et latet obſcura condita nube dies!
Forſitan ad pontum mater pia uenerit Helles,
Merſaque roratis nata fleatur aquis:

An

109 Gu. 2. *amabit.*
110. Al. *multa tim.* Gu. 3. *ipſe.*
111. Alter L. *Felices alias.*
112. Gu. 2. et 3. cum al. *uera iuuat*, 4 *facit.*
113 Multi e ſcriptis *tam uera mouet.* Al. *falſa mouet, quam ficta.*
116. Al. *Cauſa ſit aut certe*, uti ed. Gryph. a. 1554., uel *Cauſaque ſit tantae*, uel *Cauſa ſit aut tantae.*
117. P. *ſi reſciero.*
121. F. *franguntur litora.* A. *feriuntur.*
122. Cod. Berſm. *Vt latet.*
124. He. cum pluribus al. *Merſaque turbatis.*

An mare, ab inuiso priuignae nomine dictum, 125
Vexat in aequoream uerta nouerca Deam?
Non fuet, ut nunc est, teneris locus iste puellis.
Hic Helle perit; hac ego laedor aqua.
At tibi flammarum memori, Neptune, tuarum
Nullus erat uentis impediendus amor: 130
Si neque Amymone, nec laudatissima forma
Criminis est Tyro fabula uana tui:
Lucidaque Alcyone, Circeque et Alymone nata,
Et nondum nexis angue Medusa comis;
Flauaque Laodice, coeloque recepta Celaeno, 135
Et quarum memini nomina lecta mihi.
Has certe pluresque canunt, Neptune, poëtae,
Molle latus lateri composuisse tuo.
Cur igitur, toties uires expertus amoris,
Adsuetum nobis turbine claudis iter? 140
Parce ferox; latoque mari tua proelia misce.
Seducit terras haec breuis unda duas.
Te decet aut magnas magnum iactare carinas;
Aut etiam totis classibus esse trucem.
Turpe Deo pelagi, iuuenem terrere natantem: 145

125. *An* P. Vulgo *Aut*.
133. Pro *Circe* plerique codd. *Ceyce*, *Ceyceque*, *Ceiceque*, Gu. 1. *Celiceque*. Pro *Alymone* scripti *Auenone*, *Aueone*, *Amimone*, et infinita alia corrupta. Vide Heins. qui ex Hygino Fab. CLVII. restituit *Calyceque Hecataeone nata*.
138. Gu. 1. 2. 4. cum al. *conseruisse tuo*. Quidam *supposuisse* et *continuasse*.
140. Duo Heins. *turbide claudis*.
141. Gu. 2 *lateque*.
142. Gu. 3. *hic breuis*.
145. Mor. unus *turbare nat*.

Gloriaque eſt ſtagno quolibet iſta minor.
Nobilis ille quidem eſt, et clarus origine: ſed non
A tibi ſuſpecto ducit Vlixe genus.
Da ueniam, ſeruaque duos. natat ille: ſed îsdem
Corpus Leandri, ſpes mea, pendet aquis. 150
Sternuit et lumen: (poſito nam ſcribimus illo.)
Sternuit; et nobis proſpera ſigna dedit.
Ecce merum nutrix fauſtos inſtillat in ignes:
Crasque erimus plures, inquit, et ipſa bibit.
Effice nos plures, euicta per aequora lapſus, 155
O penitus toto corde recepte mihi.
In tua caſtra redi, ſocii deſertor Amoris.
Ponuntur medio cur mea membra toro?
Quod timeas, non eſt. auſo Venus ipſa fauebit:
Sternet et aequoreas, aequore nata, uias. 160
Ire libet tumidas ipſi mihi ſaepe per undas:
Sed ſolet hoc maribus tutius eſſe fretum.
Nam cur, hoc uectis Phryxo Phryxique ſorore,
Sola dedit uaſtis femina nomen aquis?
Forſitan ad reditum metuas ne tempora deſint, 165
Aut

148. Gu 2. cum al. *duxit*.
151. *Sternuit* P. Plurimi, ut Gu. 1. 2 4. hic et u. ſequ. perperam *Stertuit*. Al *Interea lumen*. Gu. 3. *Interea et lum*.
153 Gu 2. cum al. *diſtillat*. Al *deſtillat*. Gu. 4. *ſtillauit*.
154. Al. *Cras erimus*.
155. Li. *erupta per*. A. *errata*. F. *pacata*. L. *extrema*. Be. *inuita*. Alii aliter.
158. Leid. duo Berſm. et edd. quaedam *uiduo toro*.
161. *Tumidas* unus R. Caeteri *medias*.
163. P. *hac uectis*. Gu. 1. *huc*, 3 *hic*.
165. *Metuas* P. et R. Vul-

Aut gemini nequeas ferre laboris onus.
At nos diuersi medium coëamus in aequor:
Obuiaque in summis oscula demus aquis!
Atque ita quisque suas iterum redeamus ad urbes.
Exiguum, sed plus, quam nihil, illud erit. 170
Vel pudor hic utinam, qui nos clam cogit amare,
Vel timidus famae cedere uellet amor!
Nunc male res iunctae, calor et reuerentia, pugnant.
Quid sequar in dubio est. haec decet; ille iuuat.
Vt semel intrauit Colchos Pagasaeus Iason; 175
Impositam celeri Phasida puppe tulit.
Vt semel Idaeus Lacedaemona uenit adulter;
Cum praeda rediit protinus ille sua.
Ta, quam saepe petis quod amas, tam saepe relinquis:
Et quoties graue fit puppibus ire, natas. 180
Sic tamen, ô iuuenis, tumidarum uictor aquarum,
Sic facito spernas, ut uereare, fretum.
Arte laboratae uincuntur ab aequore puppes:
Tu tua plus remis brachia posse putes?

Quod

go *metuis*. *Ibid.* Gu. 2. cum al. *ne robora des*. Gu. 4. *ut robora*.

166. Al. *Et nequeas gemini*.

167. Gr. et ed. Berlm. *Aut nos*.

169. Al. *in urbes*. Duo *ad arces*. B. *ad oras*.

171. Gu. omnes *tam cogit*.

173. Exc. Douzae *Venus et reuer*. Gr. *pudor et reu*.

174. Gu. 3. *in dubium est*. R. *in pugna est*. P. *Quod sequitur dubium est*.

177. Go. *uidit adulter*. Be. *petiit Laced. adulter*.

180. Al. *graue sit*.

181. He. *Tu tamen*.

183. Gu. 1. 2. et 4. cum al. *merguntur ab*, 3. *mergantur*. D. *merguntur in*. Me. *franguntur*. *Ibid.* Sc. seu Gu. 4. *in aequore pisces*, unde Heins. coni. *pristes*. Gu. 1. 2. 3. *aequore naues*.

Quod cupis, hoc nautae metuunt, Leandre, natare. 185
Exitus hic fractis puppibus esse solet.
Me miseram! cupio non persuadere; quod hortor:
Sisque, precor, monitis fortior ipse meis.
Dum modo peruenias, excussaque saepe per undas
Iniicias humeris brachia lassa meis. 190
Sed mihi, caeruleas quoties obuertor ad undas,
Nescio quae pauidum frigora pectus habent.
Nec minus hesternae confundor imagine noctis,
Quamuis est sacris illa piata meis.
Namque sub Aurora, iam dormitante lucerna, 195
(Somnia quo cerni tempore uera solent)
Stamina de digitis cecidere, sopore remissis:
Collaque puluino nostra ferenda dedi.
Hic ego uentosas nantem delphina per undas
Cernere non dubia sum mihi uisa fide. 200
Quem, postquam bibulis illisit fluctus arenis;
Vnda simul miserum uitaque deseruit.
Quicquid id est, timeo. nec tu mea somnia ride:
Nec nisi tranquillo brachia crede mari.

Si

186. R. *fractis nauibus.*
187. Gu. 3. cum al. *quod opto.*
191. Gu. 3. cum al. *obuersor ad*, 2. *in.*
192. Al. *Nescio quid pauidum frigore pectus habet.* Al. *Nescio quod pauidum pectora frigus habent*, uel *habet.* Me. alter *Nescio quae timidum frigora pect. habent.* Ar. *pauidum pectore fr. habet.*
194. Gu. 2. *Quamuis sit.* *Ib.* Gu. 2. *illa placida*, 3. *placata.*
195. Vnus Heins. et Exc. Douzae *iam deficiente.*
199. He. *Hinc ego.*
201. Edd. priscae Ald. 1. Colin. et Bersm. *iniecit fluctus.* Vnus Ser. *illusit.*
204. D. et B. *tende mari.* B. pro uar. lect. *redde.*

Si tibi non parcis, dilectae parce puellae: 205
Quae numquam, nisi te sospite, sospes erit.
Spes tamen est fractis uicinae pacis in undis.
Tum placidas tuto pectore finde uias.
Interea, nanti quoniam freta peruia non sunt,
Leniat inuisas littera missa moras. 210

EPISTOLA XX.

ACONTIVS CYDIPPAE.

Pone metum: nihil hic iterum iurabis amanti.
Promissam satis est te semel esse mihi.
Perlege: discedat sic corpore languor ab isto,
Qui meus est, ulla parte dolente, dolor.
Quid pudor ora subit? nam, sicut in aede Dianae, 5
Suspi-

206. Exc. Douzae Iun. Leid. et septem al. *sine te sosp. Ib.* P. Gu. 1. et tres al. ex mel. *sospes ero.*

208. Gu. 1. 2. 4. et He. cum al. *Tu plac.* Quidam *Tunc. Ibid.* Sc. *placitas uias. Ibid.* Gu. 3. et 4. et He. cum plerisque al. *toto pect. Ib.* Cod. Bersm. *scinde uias.*

210. Gu. 2. *Leniet. Ibid.* Sa. *Len. immensas. Ibid.* al. *littera nostra.* R. *littera uisa.*

EPIST. XX. In priscis edd. et MSS. nonnullis epistola haec orditur ab hoc disticho: *Accipe* (Leid. *Excipe*), *Cydippe, despecti* (Voss. *suspecti*) *nomen* (Go. *carmen*) *Aconti, Illius in pomo qui tibi uerba dedit.*

2. Gu. 1. *Periuram satis.*

4. L. *una parte.* A. et Fr. *magna.* Be. *illa*, quod probat Heus. Gu. 2. *nulla. Ibid. dolente dolor* tres Heins. et alter Me. pro diu. lect. Vulgo *dolere dolor.* Gu. 2. 3. 4 cum P. et al. *dolore.* Exc. Douzae et ed. Gryph. a. 1546. *dolente tui.*

5. Gu. omnes et He. cum multis al. *ante subit.*

Suſpicor ingenuas erubuiſſe genas.
Coniugium pactamque fidem, non crimina, poſco:
Debitus ut coniux, non ut adulter, amo.
Verba licet repetas, quae demtus ab arbore fetus
Pertulit ad caſtas, me iaciente, manus; 10
Inuenies illic id te ſpondere, quod opto,
Te potius, uirgo, quam meminiſſe Deam.
Nunc quoque idem timeo: ſed idem tamen acrius illud
Aſſumſit uires; auctaque flamma mora eſt.
Quique fuit numquam paruus; nunc tempore longo, 15
Et ſpe, quam dederas tu mihi, creuit amor.
Spem mihi tu dederas: meus hic tibi credidit ardor.
Non potes hoc factum teſte negare Dea.
Adfuit, et praeſens, ut erant, tua uerba notauit:
Et uiſa eſt mota dicta probaſſe coma. 20
Deceptam dicas noſtra te fraude licebit:
Dum fraudis noſtrae cauſa feratur amor.

Fraus

6. Be. *ambiguas erub.*
9. Gu. 2. *arbore fructus.*
11. Al. *te ſpondiſſe.* Al. *iuraſſe.* Poſt hunc uerſum quidam MSS. et editi inſerunt hos duo: *Ni tibi cum uerbis excidit illa fides. Id metui, diuae diffuſa eſt ira decebat.*
14. Mor. *metu eſt.*
15. *Nunc* Mor. et unus A. Al. *nec, uel, tam, ne, non.* Vnus Heinſ. *nec temp. paruo.*
16. Gu. 1. et He. cum al. *Ex ſpe*, 3. cum al. *Et ſpem.* Al. *Et ſpes.* Leid. *Is ſpe. Ib.* Gu. 1. in marg. 2. et 4. *creſcit amor.*
18. Poſt hunc uerſum in nonnullis ſequuntur duo adulterini: *Me tibi nupturam, felix erat omen, Aconti, Iuro, quam colimus, numina magna Deae.*
19. *Erant* P. et Pat. Vulgo *erat.*
20. *Probaſſe* Gr. O. et Leid. Vulgo *tuliſſe.* Gu. 2. et He. cum multis al. *notaſſo.*

Fraus mea quid petiit, nisi quo tibi iungerer uni?
Id me, quod quereris, conciliare potest.
Non ego natura, nec sum tam callidus usu: 25
Solertem tu me, (crede) puella, facis.
Te mihi compositis (siquid tamen egimus) a me
Adstrinxit uerbis ingeniosus Amor.
Dictatis ab eo feci sponsalia uerbis:
Consultoque fui iuris Amore uafer. 30
Sit fraus huic nomen facto, dicarque dolosus:
(Si tamen est, quod ames uelle tenere, dolus.)
En iterum scribo, mittoque rogantia uerba.
Altera fraus haec est: quodque queraris, habes.
Si noceo quod amo; fateor, sine fine nocebo; 35
Teque petam: caueas tu licet ipsa peti.
Per gladios alii placitas rapuere puellas:
Scripta mihi caute littera crimen erit?
Dî faciant, possim plures imponere nodos!
Vt tua sit nulla libera parte fides. 40
Mille doli restant: cliuo sudamus in imo.
Ardor inexpertum nil sinet esse meus.

Sit

23 *Nisi quo* a coni. Heins. Scripti plerique *nisi quod*. Al. *nisi uti*.

24. Multi scripti *potes*.

25. Quidam *callidus arte*. Ar. *astu*.

27. *A me*. P. Vulgo *arte*. Gu. 3. cum duobus Heins. *ante*.

29. Be. *misi spons*.

36. Ar. *Teque peto*. *Ibid.* L. *nolis tu*. *Ib. Ipsa peti* quatuor Heins. Vulgo *ipse petam* Gu. 1 *ipsa petam*. Duo Heins. *usque petam*.

37. Gu. omnes *placidas*.

39. Gu. 3. *posse plures*. *Ib.* Mor. *tibi ponere nodos*.

41. Gu. 2. et 4. it He. cum al. *Mille modi*. *Ibid.* al. *sud. in ipso*. Gu. 3. et 4 *in uno*.

42. Gu. omnes *finit*.

Sit dubium, possisne capi; captabere certe.
  Exitus in Dis est: sed capiere tamen
Vt partem effugias, non omnia retia falles: 45
  Quae tibi, quam credis, plura tetendit Amor.
Si non proficiant artes, ueniemus ad arma;
  Inque tui cupido rapta ferere sinu.
Non sum, qui soleam Paridis reprehendere factum:
  Nec quemquam, qui, ut possit ut esse, fuit. 50
Nos quoque: sed taceo. mors huius poena rapinae
  Vt sit, erit, quam te non habuisse, minor.
Aut esses formosa minus, peterere modeste.
  Audaces facie cogimur esse tua.
Tu facis hoc, oculique tui; quibus ignea cedunt 55
  Sidera; qui flammae causa fuere meae.
Hoc flaui faciunt crines, et eburnea ceruix;
  Quaeque, precor, ueniant in mea colla manus:
Et decor, et uultus sine rusticitate pudentes;
  Et, Thetidi quales uix rear esse, pedes. 60
Caetera si possem laudare, beatior essem:
  Nec dubito, totum quin sibi par sit opus.
Hac ego compulsus, non est mirabile, forma,

Si

44. Go. *in dubio est.*
47. Gu. 1. *proficiunt*, 2. et 4. cum al. *proficient. Ib.* R. et unus Heins. *ad enses.*
48. P. *cupidus*, uel *Inque meo cupido*, quomodo et decem al. et prima edit. Gu. 2. 4. et a gloss. 1. cum al. *mei cupido.* Me. alter *mei cupidi.*
50. Gu. 1, et 3. *posset.*
53. Al. *Si esses tu.* O. et Li. *Aut si esses.* Mor. *O esses.*
58. Gu. 2. et 4. cum al. *Quasque.*
60. Gu. omnes et He. *Thetidis. Ibid.* Gu. 1. et 4. *reor.*
62 *Sibi par* Go. et Mor. 1. pro diu. lect. Vulgo *tua pars.* Prima ed *tibi pars.* Quatuor MSS. *tibi par.*

Si pugnus uolui uocis habere tuae.
Denique, dum captam tu te cogare fateri, 65
Insidiis esto capta puella meis.
Intuidam patiar: passo sua praemia dentur.
Cur suus a tanto crimine fructus abest?
Hesionen Telamon, Briseïda cepit Achilles:
Vtraque victorem uicta secuta suum. 70
Quamlibet accuses, et sis irata licebit;
Irata liceat dum mihi posse frui.
Idem, qui facimus, factam tenuabimus iram:
Copia placandae sit modo parua tui.
Ante tuos flentem liceat consistere uultus: 75
Et liceat lacrymis addere uerba suis.
Vtque solent famuli, cum uerbera saeua uerentur,
Tendere submissas ad tua crura manus.
Ignoras tua iura; uoca; cur arguor absens?
Iam dudum dominae more uenire iube. 80
Ipsa meos scindas licet imperiosa capillos,
Oraque sint digitis liuida facta tuis:
Omnia perpetiar: tantum fortasse timebo,

Corpore

67. Gu. duo *patior*. *Ibid.* Exc. Douzae *mea praemia*.
70. *Victa* Go. et unus A. Vulgo *nempe*. *Ibid. suum* prima ed. *Med.* 1. He. et Gu. 2. ac 4. Al. *uirum*.
74. Gu. omnes cum P. et al. *placandi*. He. *placando*.
75. L. *uultus l. c flenti*. Be. *oculos l. c. flentem*. Gu. 3. *flentes*.
76 L. *Sed liceat*. *Ib. suis* P. L. Mor. 2 Gu. 1. et He. Vulgo *meis* Gu. 3. *tuis*.
78. Al. *in tua*, et *sub tua*.
82. Gu. 3 et 4. cum al. *liuida nostra*, 1. *aspera nostra*. Duo Heins. *aspera facta*.

Corpore laedatur ne manus ista meo.
Sed neque compedibus, nec me compesce catenis: 85
Seruabor firmo uinctus amore tui.
Cum bene se, quantumque uolet, satiauerit ira;
Ipsa tibi dices, quam patienter amat!
Ipsa tibi dices, ubi uideris omnia ferre;
Tam bene qui seruit, seruiat iste mihi. 90
Nunc reus infelix absens agor: et mea, cum sit
Optima, non ullo causa tuente perit.
Hoc quoque, quod ius est, sit scriptum iniuria nostrum:
Quod de me solo nempe queraris, habes.
Non meruit falli mecum quoque Delia. si non 95
Vis mihi promissum reddere, redde Deae.
Adfuit, et uidit, cum tu decepta rubebas:
Et uocem memori condidit aure tuam.
Omina re careant. nihil est uiolentius illa,
Cum sua, quod nolim, numina laesa uidet. 100
[Testis erat Calydonis aper. nam scimus, ut illo
Sit

86. D. *amore tibi*. Iun. *amore tuo*.
90. Gu. 4. *ille mihi*.
91. Gu. 2. *Cur reus*.
93. Al. *Hoc, quod amor iussit, scriptum est iniuria nostra* Plerique, ut Gu. 2. et 4. *Hoc quoque, quod iussit, scriptum est iniuria nostri*, uel *nostra*, uel *nostrum* Quidam *Hoc quoque quod uis sit*. L. Hoc quod *opus iussit*. Me. 2. *Hoc quoque iussit amor, scriptum est iniuria nostri*. Gu. 1. *Hoc quoque, quod tu uis, sit scriptum iniuria nostra*.
94. *Solo* P. et Gu. 1. Vulgo *solum*. Gu. 2. *de me hoc solum*.
100. *Quod nolim* P. Gu. 1. a corr. et quinque Heins. Vulgo *quae non uult*. Gu. 1. a librar. *quae nolim*. Quidam *quod non uult*, *quod nollem*, *quod nolit*, et similia.
101. Hoc distichon adulterinum uidetur Heins. Sa. et

Sit magis in natum ſaeua reperta parens.]
Teſtis et Actaeon, quondam fera creditus illis,
Ipſe dedit leto cum quibus ante feras.
Quaeque ſuperba parens, ſaxo per corpus oborto, 105
Nunc quoque Mygdonia flebilis extat humo.
Hei mihi, Cydippe! timeo tibi dicere uerum;
Ne uidear cauſa falſa monere mea:
Dicendum tamen eſt: hoc eſt, (mihi crede) quod aegra
Ipſo nubendi tempore ſaepe iaces. 110
Conſulit ipſa tibi; neu ſis periura laborat:
Et ſaluam ſalua te cupit eſſe fide.
Inde fit, ut, quoties exiſtere perfida tentas,
Peccatum toties corrigat illa tuum.
Parce mouere feros animoſae Virginis arcus; 115
Mitis adhuc fieri, ſi patiare, poteſt.
Parce, precor, teneros corrumpere febribus artus;
Seruetur facies iſta fruenda mihi.
Seruentur uultus ad noſtra incendia nati:
Quique ſubeſt niueo laetus in ore rubor. 120

al. nonnulli *ſic ſaeuus ut illo.* Al. *ſic ſcimus*, uel *ſi ſcimus*, Ar. *ſcit ſaeuus ut illa.* Gu. 2. *Teſtis erat calidoneus: nam aper ſcimus ut illo.* Gu. 3. *Teſtis erit calidoniis aper ſieſeus* . . . . Heuſing. reſcribit: *Teſtis erit Calydonis aper, ſus ſaeuus, ut illo Sit magis* caet.

103. *quoniam fera.*

106. *Extat* O. L. et Exc. D. Caeteri *adſtat.*

108. Gu. 1. 4. et He. cum al. *mouere mea.*

113. Al. *quoties obſiſtere, inſiſtere, conſiſtere, reſiſtere.* Exc. Iur. *hanc fallere.*

115. Gu. 2. et 4. *mouere. ferox.*

120. *Laetus* quatuor Heinſ. Al. *lenis, leuis, laeuis.* Leid. *lenius. Ib.* Gu. 4. *in ore pudor.*

Hoſtibus e ſi quis, ne fias noſtra, repugnat;
Sic ſit, ut, inualida te, ſolet eſſe mihi.
Torqueor ex aequo, uel te nubente, uel aegra:
Dicere nec poſſum, quid minus ipſe uelim.
Maceror interdum, quod ſim tibi cauſa dolendi: 125
Teque mea laedi calliditate puto:
Inque caput haec noſtrum dominae periuria, quaeſo,
Eueniant: poena tuta ſit illa mea.
Ne tamen ignorem, quid agas; ad limina crebro
Anxius, huc illuc, diſſimulanter eo. 130
Subſequor ancillam furtim, famulumue requirens,
Profuerint ſomni quid tibi, quidue cibi.
Me miſerum! quod non medicorum iuſſa miniſtro,
Effingoque manus, inſideoque toro.
Et rurſus miſerum! quod, me procul inde remoto, 135
Quem minime uellem, forſitan alter adeſt.
Ille manus iſtas effingit, et aſſidet aegrae,
Inuiſus Superis, cum Superisque mihi.
Dumque ſuo tentat ſalientem pollice uenam;
Candida per cauſam brachia ſaepe tenet: 140

Contre-

121. *Hoſtibus e* Baſ. Gu. 4. cum duobus Heinſ. *Hoſtibus ex.* Vulgo *Hoſtibus et.*

124. Gu. 2. 3. et 4. cum al. *eſſe uelim*

125. Gu. 2. *quod ſum*, 3. *quia ſim. Ibid.* al. *cauſa doloris.*

127. *Haec noſtrum* Go. Vulgo *Inque caput noſtrum.* Al. ut Gu. 3. *In caput et noſtrum.* Vnus F. *In caput hoc n.*

131. Gu. 2. et 4. cum al. *requiro.*

134. Gu. 4. cum al. *Adſtringoque manus. Ib.* unus R. *aſſideoque.*

135. *Remoto* P. Gu. 4. et tres al. Vulgo *remoui.*

136. Gu. 1. *alter obeſt.*

137. Gu. 4. et He. cum al. *iſtas adſtringit.*

Contrectatque sinus, et fortitan oscula iungit.
Officio merces plenior ista suo est.
Quis tibi permisit nostras praecerpere messes?
Ad sepem alterius quis tibi fecit iter?
Iste sinus meus est: mea turpiter oscula sumis. 145
A mihi promisso corpore tolle manus.
Improbe, tolle manus. quam tangis, nostra futura est.
Postmodo si facias istud, adulter eris.
Elige de uacuis, quam non sibi uindicet alter.
Si nescis, dominum res habet ista tuum. 150
Nec mihi credideris: recitetur formula pacti.
Neu falsam dicas esse; face ipsa legat.
Alterius thalamo, tibi nos, tibi dicimus, exi.
Quid facis hic? exi; non uacat iste torus.
Nam quod habes et tu humani uerba altera pacti; 155
Non erit idcirco par tua causa meae.
Haec mihi se pepigit: pater hanc tibi, primus ab illa:
Sed propior certe, quam pater, ipsa sibi est.
Promisit pater hanc; haec adiurauit amanti,

143. *Praecerpere* P. Gu. 1. et al. nonnulli. Vulgo *decerpere*. Tres Heins. *praecipere*. Multi *percipere*. Str. *percidere*. Mor. 2. *praecidere*.

144. *Sepem* unus Med. et prima ed. Vulgo *spes*. Gu. 2. cum Pat. et Arund. *spem*.

148. Gu. 1. 3. et 4. *facies*.

151. O. et quatuor al. *littera pacti*.

152. He. *dicas*, *fas legat ipsa tibi*.

154. Gu. 2. *Quid facis? hinc exi*. *Ib.* Be. et Iun. *iste locus*.

156. Fr. *Non uenit*. Gu. 2. *Non est*.

158. Mor. *Sed prior est certe*.

159. *Adiurauit* edit. nonnullae. Vulgo *et iurauit*. R. *sed et haec iur*. Gu. 3. *sed haec iur*.

Ille homines, haec eſt teſtificata Deam. 160
Hic metuit mendax, timet haec periura uocari.
Num dubites, hic ſit maior, an ille metus?
Denique, ut amborum conferre pericula poſſis,
Reſpice ad euentus: haec cubat, ille ualet.
Nos quoque diſſimili certamina mente ſubimus; 165
Nec ſpes par nobis, nec timor aequus adeſt.
Tu petis ex tuto: grauior mihi morte repulſa eſt:
Idque ego iam, quod tu forſan amabis, amo.
Si tibi iuſtitiae, ſi recti cura fuiſſet;
Cedere debueras ignibus ipſe meis. 170
Nunc quoniam ferus hic pro cauſa pugnat iniqua;
Ad quid, Cydippe, littera noſtra redit?
Hic facit, ut iaceas, et ſis ſuſpecta Dianae.
Hunc tu, ſi ſapias, limen adire uetes.
Hoc faciente, ſubis tam ſaeua pericula uitae. 175
Atque utinam pro te, qui mouet illa, cadat!
Quem ſi repuleris, nec, quem Dea damnat, amaris;
Et tu continuo, certe ego ſaluus ero.
Siſte metum, uirgo, ſtabili potiere ſalute.

Fac

161. Be. *Ille timet mendax, t. hac p. u. Timet haec* duo Heinſ. Vulgo *haec et.* Edd. priſcae et Berſm. *ſed et haec.* O. *haec periurata.*

162. Gu. 3. 4. et He. *dubitas.*

166. Iun. Be. et al. nonnulli *timor unus.*

168. Gu. 2. *Atque ego.*

172. Ed. princeps *Ad te.* Gu. duo *At quod.*

174. Gu. 2. et 4. *ueta.*

176. Gu. 2. 4. et a corr. 1. cum al. *ille cadat.* D. *iſta cad.* Leid. *arma, cadat.*

177. Mor. *ſi reſpueris.*

179. Sex codd. *Pone metum.*

Fac modo pollicitis conſcia templa colas. 180
Nec boue mactato coeleſtia numina gaudent;
Sed, quae praeſtanda eſt et ſine teſte, fide.
Vt ualeant aliae, ferrum patiantur et ignes:
Fert aliis triſtem ſuccus amarus opem.
Nil opus eſt iſtis; tantum periuria uita: 185
Teque ſimul ſerua, meque, datamque fidem.
Praeteritae ueniam dabit ignorantia culpae:
Exciderint animo foedera lecta tuo.
Admonita es modo uoce mea, modo caſſibus iſtis;
Quos, quoties tentas fallere, ferre ſoles. 190
His quoque uitatis, in partu nempe rogabis,
Vt tibi luciferas afferat illa manus.
Audiet; et, repetens quae ſint audita, requiret
Ipſa, tibi de quo coniuge partus eat.
Promittes uotum; ſcit te promittere falſo. 195
Iurabis; ſcit te fallere poſſe Deos.
Non agitur de me: cura maiore laboro.
Anxia ſunt uitae pectora noſtra tuae.

183. *Patiantur* Iun. et Str. Vulgo *patiuntur*. Tres Heinſ. *patientur*.

184. A. unus et Go. *medicam opem*.

188. *Exciderint* tres Heinſ. Vulgo *exciderant*. *Ib.* al. *foedera noſtra*.

189. *Caſſibus* R. et Mor. Vulgo *caſibus*.

191. Al. *nempe uocabis*.

192. Gu. 3. cum al. melior. *offerat*, 2. cum al. *efferat*.

193. *Audiet et* prima edit. Gu. 1. et 2. cum al. *Audiet haec*, 3. *hanc*, 4. *hoc*. *Ibid.* R. *haec recolens*.

195. Iun. *falſum*. Al. *falſa*.

197. Gu. 2. *cura meliore*.

198. Leid. Be. et Gu. 3. *uita tua*.

Cur modo te dubiam pauidi fleuere parentes,
Ignaros culpae, quos facis esse tuae? 200
Et cur ignorent? matri licet omnia narres;
Nil tua, Cydippe, facta ruboris habent.
Ordine fac referas, ut sis mihi cognita primum,
Sacra pharetratae dum facis ipsa Deae.
Vt, te conspecta, subito (si forte notasti) 205
Restiterim fixis in tua membra genis:
Vt, te dum nimium miror, (nota certa furoris)
Deciderint humero pallia lapsa meo.
Postmodo nescio qua uenisse uolubile malum,
Verba ferens doctis insidiosa notis. 210
Quod quia sit lectum sancta praesente Diana,
Esse tuam uinctam, numine teste, fidem.
Ne tamen ignoret quae sit sententia scripto,
Lecta tibi quondam nunc quoque uerba refer.
Nube, precor, dicet, cui te bona numina iungunt: 215
Quem fore iurasti, sit gener ille mihi.
Quisquis is est, placeat; quoniam placet ante Dianae.

Talis

199. Al. *te dubii pauidam.*
200. Gu. 4. *Ignotos culpae.* *Ib.* Exc. Iur. Me. et unus Med. *cur licet esse.* Duo alii *quos licet.*
201. Al. *ignorant.*
202. Al. *facta pudoris.*
204. Gu. 3 *facit ipsa.*
207. Vulgo *Et te dum.*
208. Exc. Iur. *Residerint.* Gu. 3. et 4. *Decidcrant.* *Ib.* Gu. 2 *humeris meis.* Quidam codd. *pallia laxa.*
209. Gu. 1. *dictis notis.*
211. Gu. 4. *Quodque sit ut lectum.*
212 Exc. Iur. *Esse reor.*
213. Gu. 1. *ignorent*, 2. *Sed tamen ignora*, 3. *Nec tamen ignora.* *Ib. quae sit s. scripto.* Exc. Iur. Vulgo *scripti sententia quae sit.*
214. Ed. princeps et unus Med. *uerba lege.*

Talis erit mater, si modo mater erit.
Sic tamen et quaerat, qui sim quantusque iubeto:
Inueniet nobis consuluisse Deam. 220
Insula, Coryciis quondam celeberrima Nymphis,
Cingitur Aegeo, nomine Cea, mari.
Illa mihi patria est. nec, si generosa probaris
Nomina, despectis arguor ortus auis.
Sunt et opes nobis: sunt et sine crimine mores: 225
Amplius utque mihi, me tibi iungit amor.
Appeteres tunem uel non iurata maritum:
Iuratae uel non talis habendus erat.
Haec tibi me in somnis iaculatrix scribere Phoebe,
Haec tibi me uigilem scribere iussit Amor. 230
E quibus alterius mihi iam nocuere sagittae:
Alterius noceant ne tibi tela, caue.
Iuncta talus nostra est: miserere meique, tuique.
Quid dubitas unam ferre duobus opem?
Quod si contigerit, cum iam data signa sonabunt, 235
Tinctaque uotiuo sanguine Delos erit;
Aurea ponetur mali felicis imago,

219. Al. *Si tamen.* Gu. 1. et 3 *Sed tamen.* Nonnulli *Sed tamen inquirat.* Tres Heinf. *Sic tamen inquirat.* Ar. *Si tamen et quaerit. Ibid. qui sim quantusque* Exc. Iur. Vulgo *quis sim qualisque.* Pro *iubeto* uulgo *uideto*, uti Gu. omnes.

220. Gu. 2, 3. 4. *Inuen. nobis.*

223. Gu. 1. ac 3 *probatis.*

227. Be. *Adspectes tatem.*

230. *Vigilem* chartac. Scr. et alter Me. a manu pr. Vulgo *uigilans.*

235. Tres Heinf. *tibi cum data.* L. *tibi cognita signa.* B. *tibi cum data tura sumabunt.*

236. Be. *nociuo sangu.*

237. Gu. 2. *ponatur.*

Cauſaque uerſiculis ſcripta duobus erit:
Effigie pomi teſtatur Acontius huius,
Quae fuerint in eo ſcripta, fuiſſe rata. 240
Longior infirmum ne laſſet epiſtola corpus,
Clauſaque conſueto ſit ſibi fine; Vale.

EPISTOLA XXI.

CYDIPPE ACONTIO.

Pertimui, ſcriptumque tuum ſine murmure legi,
Iuraret ne quos inſcia lingua Deos.
Et, puto, captaſſes iterum: niſi, ut ipſe fateris,
Promiſſam ſcires me ſatis eſſe ſemel.
Nec lectura fui: ſed, ſi tibi dura fuiſſem, 5
Aucta foret ſaeuae forſitan ira Deae.
Omnia cum faciam, cum dem pia tura Dianae;
Illa tamen iuſta plus tibi parte fauet.
Vtque cupis credi, memori te uindicat ira.
Talis in Hippolyto uix fuit illa ſuo. 10
At melius Virgo fauiſſet uirginis annis;
Quos ueteor paucos ne uelit eſſe mihi.

Languor

240. Gu. 2. cum al. *fuerant.*

242. B. et Li. *Clauſula conſueto. Ibid. ſibi* emend. Heinſ. Vulgo *tibi.*

EPIST. XXI. Quaedam exemplaria initio huius Epiſt. obtrudunt hoc diſtichon: *Littera peruenit tua, quo conſueuit, Aconti, Et paene eſt oculis inſidiata meis.*

3. Gu. 2. *Vt puto. Ib.* Gu. 4. *niſi ut ante ferebas.*

7. L. et Re. *pia uota.*

9 O. a manu pr. *ſe uindicat.*

12. Codd. Guelferbytani omnes, excepto tertio, it. Helmſtad cum plerisque aliis exemplaribus uetuſtis, poſt hunc uerſum deficiunt.

Languor enim, cauſis non apparentibus, haeret.
Adiuuor et nulla feſſa medentis ope.
Quam tibi nunc gracilem uix haec reſcribere, quamque 15
Pallida uix cubito membra leuare putas?
Nunc timor accedit, ne quis, niſi conſcia nutrix,
Colloquii nobis ſentiat eſſe uices.
Ante fores ſedet haec: quid agamque rogantibus intus,
Vt poſſim tuto ſcribere, Dormit, ait. 20
Mox ubi, ſecreti longi cauſa optima, ſomnus
Credibilis tarda deſinit eſſe mora,
Iamque uenire uidet, quos non admittere durum eſt;
Exſcreat; et ficta dat mihi ſigna nota.
Sicut eram, properans uerba imperfecta relinquo: 25
Et tegitur trepido littera cauta ſinu.
Inde meos digitos iterum repetita fatigat.
Quantus ſit nobis, adſpicis ipſe, labor.
Qua, peream, ſi dignus eras, ut uera loquamur:
Sed melior iuſto, quamque mereris, ego. 30
Ergo te propter toties incerta ſalutis
Commentis poenas doque dedique tuis?
Haec nobis formae te laudatore ſuperbae
Contingit merces? et placuiſſe nocet.

Si

19. *Intus* emend. Heinſ. Vulgo *rogantibus inter*, quod pro *interrogantibus* ceperunt. Gu. 3 *int*.

21. *Longi* Med. et ed. priſca. Vulgo *longe*.

28. *Sit* cod. Heinſ. Arundel. et Gu. 3. Vulgo *ſis*

29. Scripti *Quae peream*. Gu. 3. *Que*.

30. *Ego* a coni. Nauger. et Heinſ. MSS. *ero*.

34. Gu. 3. *continget*.

Si tibi deformis, quod mallem, uiſa fuiſſem; 35
Culpatum nulla corpus egeret ope.
Nunc laudata gemo: nunc me certamine ueſtro
Proditis; et proprio uulneror ipſa bono.
Dum neque tu cedis, nec ſe putat ille ſecundum;
Tu uotis obſtas illius, ille tuis. 40
Ipſa, uelut nauis, iactor; quam certus in altum
Propellit Boreas, aeſtus et unda refert.
Cumque dies caris optata parentibus inſtat,
Immodicus pariter corporis ardor ineſt:
Et mihi coniugii tempus crudelis ad ipſum 45
Perſephone noſtras pulſat acerba fores.
Iam pudet: et timeo, quamuis mihi conſcia non ſim,
Offenſos uidear ne meruiſſe Deos.
Accidere hoc aliquis caſu contendit: et alter
Acceptum Superis hunc negat eſſe uirum. 50
Neue nihil credas in te quoque dicere famam,
Facta ueneficiis pars putat iſta tuis.
Cauſa latet: mala noſtra patent. uos pace mouetis
Aſpera ſummota praelia: plector ego.
Dicam nunc, ſolitoque tibi me decipe more: 55
Quid facies odio, ſic ubi amore noces?
Si laedis, quod amas, hoſtem ſapienter amabis.

Me,

39. Vnus Med. *tu credis.*
40. Gu. 3 *uotis optas.*
44. Sa. *ardor adeſt.*
45. Scripti et edd. priſcae *Nec mihi*, uel *Nunc.*
49. Sa. Med. et prima ed. *haec aliquis.*
51. *Nihil* emend. Heinſ. MSS. *mihi.*
52. Gu. 3. cum al. *iſta meis.*
55. Al. *ne deſpice more.*
57. Gu. 3. *hoſtes.*

Me, precor, ut ſerues, perdere uelle uelis.
Aut tibi iam nulla eſt ſperatae cura puellae,
Quam ferus indigna tabe perire ſinis; 60
Aut Dea ſi fruſtra pro me tibi ſaeua rogatur,
Quid mihi te iactas? gratia nulla tua eſt.
Elige quid fingas. non uis placare Dianam;
Immemor es noſtri: non potes; illa tui eſt.
Vel numquam mallem, uel non mihi tempore in illo 65
Eſſet in Aegaeis cognita Delos aquis.
Tunc mea difficili deducta eſt aequore nauis,
Et fuit ad coeptas hora ſiniſtra uias.
Quo pede proceſſi! quo me pede limine moui!
Picta citae tetigi quo pede texta ratis! 70
Bis tamen aduerſo redierunt carbaſa uento.
Mentior ah demens! ille ſecundus erat.
Ille ſecundus erat, qui me referebat euntem;
Quique parum felix impediebat iter.
Atque utinam conſtans contra mea uela fuiſſet! 75
Sed ſtultum eſt uenti de leuitate queri.
Mota loci fama properabam uiſere Delon;
Et facere ignaua puppe uidebar iter.
Quam ſaepe, ut tardis, feci conuicia remis;
Queſtaque ſum uento lintea parca dari! 80

Et

60. *Tabe* corr. Heinſ. Vulgo *labe*.
67. Vulgo *difficilis*, uti Gu. 3.
68. Gu. 3. cum uno Heinſ. *ora ſiniſtra*, forte *aura*.
70. Al. *Picta meae*.
71. *Bis* ſcribunt Egnat. et Micyll. et ita Gu. 3. Vulgo *His*.
80. *Dari* emend. Heinſ. MSS. *dare*.

Et iam transieram Myconon, iam Tenon, et Andron:
Inque meis oculis candida Delos erat.
Quam procul ut uidi, quid me fugis, insula, dixi?
Laberis in magno num quid, ut ante, mari?
Institeram terrae, cum iam, prope luce peracta, 85
Demere purpureis Sol iuga uellet equis.
Quos idem solitos postquam reuocauit ad ortus,
Comuntur nostrae, matre iubente, comae.
Ipsa dedit gemmas digitis, et crinibus aurum:
Et uestes humeris induit ipsa meis. 90
Protinus egressae Superis, quibus insula sacra est,
Flaua salutatis tura merumque damus.
Dumque parens aras uotiuo sanguine tinguit,
Festaque fumosis ingerit exta focis;
Sedula me nutrix alias quoque ducit in aedes, 95
Erramusque uago per loca sacra pede.
Et modo porticibus spatior, modo munera regum
Miror, et in cunctis stantia signa locis.
Miror et innumeris structam de cornibus aram,
Et de qua pariens arbore nixa Dea est. 100
Et quae praeterea (neque enim meminiue, libetue,
Quicquid ibi uidi, dicere) Delos habet.
Forsitan haec spectans, a te spectabar, Aconti;
Visaque simplicitas est mea posse capi.

In

81. *Myconon* prima ed. Vulgo *Myconen*. Med. et Gu. 3. *Micon*.
82. Prima ed. cod. Med. et Herculan. *Phosphor erat*. Gu. 3. *bosfor*....
89. Med. Sa. Langerman. et Gu. 3. *cruribus aurum*.
91. Med. Sa. pro uar. lect. et Gu. 3. *grata est*.

In templum redeo, gradibus ſublime, Dianae. 105
Tutior hoc ecquis debuit eſſe locus?
Mittitur ante pedes malum, cum carmine tali.
Hei mihi! iuraui nunc quoque pene tibi.
Suſtulit hoc nutrix, mirataque, Perlege, dixit.
Inſidias legi, magne poëta, tuas. 110
Nomine coniugii dicto, confuſa pudore
Senſi me totis erubuiſſe genis:
Luminaque in gremio, ueluti defixa, tenebam;
Lumina propoſiti facta miniſtra tui.
Improbe, quid gaudes? aut quae tibi gloria parta eſt? 115
Quidue uir eluſa uirgine laudis habes?
Non ego conſtiteram ſumta peltata ſecuri;
Qualis in Iliaco Penthesilea ſolo.
Nullus Amazonio caelatus balteus auro,
Sicut ab Hippolyte, praeda relata tibi eſt. 120
Verba, quid exultas, tua ſi mihi uerba dederunt;
Sumque parum prudens capta puella dolis?
Cydippen pomum, pomum Schoeneïda cepit.
Tu nunc Hippomenes, ſcilicet, alter eris.
At fuerat melius, (ſi te puer iſte tenebat, 125
Quem tu neſcio quas dicis habere faces,)
More bonis ſolito ſpem non corrumpere fraude.
Exoranda tibi, non capienda fui.
Cur, me cum peteres, ea non profitenda putabas,
Propter quae nobis ipſe petendus eras? 130
Cogere cur potius, quam perſuadere, uolebas,
Si

117. Gu. 3. cum al. *ſecure.* edd. *More boni.*
127. Med. Sa. et primae

Si poteram audita conditione capi?
Quid tibi nunc prodest iurandi formula iuris,
Linguaque praesentem testificata Deum?
Quae iurat, mens est: nil coniurauimus illa; 135
Illa fidem dictis addere sola potest.
Consilium prudensque animi sententia iurat,
Ex nisi iudicii uincula nulla ualent.
Si tibi coniugium uolui promittere nostrum;
Exige polliciti debita iura tori: 140
Sed si nil dedimus, praeter sine pectore uocem;
Verba sunt frustra uirtus orba tenes.
Non ego iurauí: legi iurantia uerba.
Vir mihi non isto more legendus eras.
Decipe sic alias: succedat epistola pomo. 145
Si ualet hoc; magnas diuitis aufer opes.
Fac, iurent Reges sua se tibi regna daturos;
Sitque tuum, toto quicquid in orbe placet.
Maior es hac ipsa multo (mihi crede) Diana,
Si tua tam praesens littera numen habet. 150
Cum tamen haec dixi, cum me tibi firma negaui,
Cum bene promissi causa peracta mei est;
Confiteor, timeo saeuae Latoïdos iram:
Et corpus laedi suspicor inde meum.
Nam quare, quoties socialia sacra parantur, 155
Nupturae toties languida membra cadunt?

Ter

139. Al. *ualui prom.*
144 Sa. et edd. antiquae *legenaus eris.* Cod. Sarrau. et Gu. 3. in hoc uersu desinunt, ut et ed. Veneta a. 1474.

Ter mihi iam ueniens positas Hymenaeus ad aras
  Fugit; et e thalami limine terga dedit.
Vixque mann pigra toties infusa resurgunt
  Lumina: uix moto corripit igne faces. 160
Saepe coronatis stillant unguenta capillis,
  Et trahitur multo splendida palla croco.
Cum tetigit limen, lacrymas mortisque timorem
  Cernit; et a cultu multa remota suo.
Proiicit ipse suas deducta fronte coronas, 165
  Spissaque de nitidis tergit amoma comis.
Et pudet in tristi laetum consurgere turba:
  Quique erat in palla, transit in ora rubor.
At mihi (uae miserae!) torrentur febribus artus:
  Et grauius iusto pallia pondus habent. 170
Nostraque plorantes uideo super ora parentes:
  Et, face pro thalami, fax mihi mortis adest.
Parce laboranti, picta Dea laeta pharetra;
  Daque salutiferam iam mihi fratris opem.
Turpe tibi est, illum causas depellere leti; 175
  Te contra titulum mortis habere meae.
Numquid, in umbroso cum uelles fonte lauari,
  Imprudens uultus ad tua labra tuli?
Praeterlime tuas de tot coelestibus aras?
  Atque tua est nostra spreta parente parens? 180
Nil ego peccaui, nisi quod periuria legi;

Inque

157. *Ad aras* a coni. Slichtenhorst. Vulgo *ad aures*.
179. Ed. Parm. *Praeter-iiue*.
180. Ad. *Aque tua*.

Inque parum fausto carmine docta fui.
Tu quoque pro nobis, si non mentiris amorem,
Tura feras: prosint, quae nocuere, manus.
Cur, quae succenset, quod adhuc tibi pacta puella 185
Non tua sit, fieri ne tua possit, agit?
Omnia de uiua tibi sunt speranda, quid aufert
Saeua mihi uitam, spem tibi Diua mei?
Nec tu crediderís illum, cui destinor uxor,
Aegra superposita membra fouere manu. 190
Assidet ille quidem, quantum permittitur ipsi;
Sed meminit nostrum uirginis esse torum.
Iam quoque nescio quid de me sensisse uidetur:
Nam lacrymae causa saepe latente cadunt.
Et minus audacter blanditur, et oscula rara 195
Accipit, et timido me uocat ore suam.
Nec miror sensisse, notis cum prodar apertis:
In dextrum uersor, cum uenit ille, latus.
Nec loquor, et tecto simulatur lumine somnus;
Captantem tactus reiicioque manum. 200
Ingemit, et tacito suspirat pectore; meque
Offensam, quamuis non mereatur, habet.
Hei mihi, quod gaudes, et te iuuat ista uoluptas!
Hei mihi, quod sensus tum tibi fassa meos!
Si

186. *Fit* reposuit Heins. Scripti *sit*.
193 Vulgo *Et quoque*. Ed. Parm. *Et quoquè iam nescio* unde Heins. legit *Iam quoque nescio quid*, et *de te* pro *de me*.
198. Margo Bersm. *cum uocat*.
203 *Hei mihi* hoc et sequ. uersu reposuit Gronou. Vulgo *Si mihi*.

Si mihi lingua foret; tu noſtra iuſtius ira, 205
Qui mihi tendebas retia, dignus eras.
Scribis, ut inualidum liceat tibi uiſere corpus.
Es procul a nobis: et tamen inde noces.
Mirabar, quare tibi nomen Acontius eſſet:
Quod faciat longe uulnus, acumen habes. 210
Certe ego conualui nondum de uulnere tali;
Vt iaculo, ſcriptis eminus icta tuis.
Quid tamen huc uenias? ſane ut miſerabile corpus,
Ingenii uideas bina tropaea tui.
Concidimus macie; color eſt ſine ſanguine: qualem 215
In pomo refero mente fuiſſe tuo.
Candida nec mixto ſublucent ora rubore;
Forma noui talis marmoris eſſe ſolet.
Argenti color eſt inter conuiuia talis,
Quod tactum gelidae frigore pallet aquae. 220
Si me nunc uideas, uiſam prius eſſe negabis:
Arte nec eſt, dices, iſta petenda mea:
Promiſſique fidem, ne ſim tibi iuncta, remittes;
Et cupies illud non meminiſſe Deam.
Forſitan et facies, iurem ut contraria rurſus; 225
Quaque legam, mittes altera uerba mihi.
Sed tamen adſpiceres uellem, prout ipſe rogabas,
Et diſcas ſponſae languida membra tuae.
Durius et ferro cum ſit tibi pectus, Aconti;

205. Ed. Parm. *At mihi.* *uicta* Heinſ. coni. *uincta.*
213. Al. omittunt *ut.* 229. Margo Berſim. *ſi ſit*
223. *Iuncta* Med. Vulgo *tibi.*

Tu ueniam nostris uocibus ipse petas. 230
Ne tamen ignores, ope qua reualescere possim:
Quaeritur a Delphis fata canente Deo.
Is quoque nescio quam, nunc ut uaga fama susurrat,
Neglectam queritur testis habere fidem.
Hoc Deus et uates, hoc et mea carmina dicunt: 235
At desunt uoto carmina nulla tuo.
Vnde tibi fauor hic? nisi quod noua forte reperta est,
Quae capiat magnos littera lecta Deos.
Teque tenente Deos, numen sequor ipsa Deorum:
Doque libens uictas in tua uota manus. 240
Fassaque sum matri deceptae foedera linguae,
Lumina fixa tenens, plena pudoris, humo.
Caetera cura tua est. plus hoc quoque uirgine factum,
Non timuit tecum quod mea charta loqui.
Iam satis inualidos calamo lassauimus artus, 245
Et manus officium longius aegra negat.
Quid, nisi quod cupio me iam coniungere tecum,
Restat, ut adscribat littera nostra? Vale.

233. *Is quoque* Med. Vulgo *Et quoque.*
239. Al. *Deo. Ibid.* al. edd. *nomen sequor.* Vetus liber *pacis sequor*, unde Heins. coni. *partes.*
242. *Tenens* corr. Heins. pro *tenet.*
247. Al. *quod cupiat.*

A. SABINI

EPISTOLAE TRES

TRIBVS

OVIDII EPISTOLIS

RESPONDENTES

INDEX
EPISTOLARVM.

I. VLIXES PENELOPAE.
II. DEMOPHOON PHYLLIDI.
III. PARIS OENONAE.

A. SABINI EPISTOLAE TRES.

EPISTOLA I.

VLIXES PENELOPAE.

Pertulit ad miſerum tandem tua caſus Vlixen,
Penelope, chartis uerba notata piis.
Agnoui caramque manum, gemmasque fideles.
Solamen longis illa fuere malis.
Arguis ut lentum: mallem quoque forſitan eſſe; 5
Quum tibi quaeque tuli dicere, quaeque feram.
Non hoc obiecit mihi Graecia: cum mea fictus,
Detinuit patrio litore uela furor.
Sed thalamis nec uelle tuis, nec poſſe carere:
Cauſaque fingendae tu mihi mentis eras. 10
Nil tibi reſcribam curae eſt, properemque uenire.
Dum propero, aduerſi uela tulere Noti.
Non me Troia tenet, Graiis odioſa puellis;
Iam cinis, et tantum flebile, Troia, ſolum.
Deïphobusque iacet, iacet Aſius, et iacet Hector: 15
Et quicunque tui cauſa timoris erat.
Euaſi et Thracum caeſo duce proelia Rheſo,
In mea captiuis caſtra reuectus equis:
Tuus et e media Phrygiae Tritonidis arce

11. *Curae eſt* a coni. Heinſ. Vulgo *curas.*
16. *Erat* primae edd. Al. *erant.*

Fatalis palmae pignora capta tuli. 20
Nec timui commiſſus equo; male ſedula quamuis
Clamabat uates, Vrite, Troës, equum:
Vrite. mendaci celantur robore Achiui:
Et Phrygas in miſeros ultima bella ferunt.
Perdiderat tumuli ſupremum munus Achilles, 25
Sed Thetidi eſt humeris redditus ille meis.
Nec laudem Danai tanto renuere labori:
Erepti pretium corporis arma tuli.
Quid refert? pelago ſunt obruta. non mihi claſſes,
Non ſocii ſuperant: omnia pontus habet. 30
Solus adhuc mecum, qui me tot caſibus unus
Durauit, patiens ad mala, perſtat Amor.
Illum non auidis canibus Niſeïa uirgo
Fregit: non tumidis torta Charybdis aquis:
Non ferus Antiphates, nec in uno corpore diſſors 35
Parthenope, blandis inſidioſa modis.
Non quod Colchiacis Circe tentauerit herbis,
Non quod ſollennes altera Diua toros.
Vtraque ſe nobis mortalia demere fila
Spondebat, Stygias utraque poſſe uias. 40
Te tamen, hac etiam ſpreta mercede, petiui,
Paſſurus terra tot mala, totque mari.
Sed tu femineo nunc forſan nomine tacta,
Non ſecura leges caetera uerba mea.

Quae-

33. *Niſeïa* reſtituit Heinſ. Vulgo *Nereïa*.
35. *Diſſors* reponit Heinſ. pro *diſcors*.
37. *Colchiacis Circe* corr. Heinſ. Vulgo *Colchiacas artes*. Heuſing. mauult *Colchiacas Circe tentauerat herbas*.

Quaeque mihi Circe, quae ſit mihi cauſa Calypſo, 45
Iamdudum ignoto ſollicitere metu.
Certe ego cum Antinoum, Polybumque, Medontaque legi,
Heu toto ſanguis corpore nullus erat!
Tot iuuenes inter, tot uina licentia, ſemper
(Hei mihi! quo credam pignore?) caſta manes. 50
Curue placent ulli, ſi ſunt in fletibus ora,
Deperit et lacrymis non decor iſte tibi?
Pacta quoque es thalamo, niſi mendax tela moretur,
Et coeptum reuoces callida ſemper opus.
Ars pia; ſed quoties oculos fruſtrabere lana, 55
Succeſſum toties ars dabit iſta tibi.
Ah melius, Polypheme, tuo ſuperatus in antro,
Finiſſem ingratos ad mala tanta dies!
Threïcio melius cecidiſſem milite uictus,
Iſmaron errantes cum tenuere rates: 60
Crudelemue illo ſatiaſſem tempore Ditem,
Quo redii Stygiis fata moratus aquis.
Vidi ubi (nequicquam quod me tua littera celat)
Soſpes digreſſo quae mihi mater erat.
Retulit illa domus eadem mala: meque querentem 65

45. Swarthius in Analectis l. II. c. 11. e uet. libro *cauta Calypſo.*

49. *Licentia* uult Heinſ. e coni. Barthii et Swarthii. Vulgo *liquentia.*

50. Ita ſcribit et diſtinguit Heinſ. Vulgo *Hei mihi! quid credam? pign. c. m.*

54. *Reuoces callida* a coni. Heinſ. Vulgo *reuocas pallida.*

55. 56. Heinſ. uult *quoties. --- lana? Succ. quoties a. d. i. tibi?* atque ita ed. Gryph. a. 1554.

57. Swarth. e uet. libro *At melius*, deinde *tuo ſi pranſus in antro.*

Fugit, ab amplexu ter resoluta meo.
Phyllaciden uidi, contemtis sortibus ille
Primus in Hectoreas intulit arma domos.
Felix laudata cum coniuge! laeta per umbras
Illa suum fortes it comitata uirum. 70
Necdum illi Lachesis dictos numerauerat annos:
Sed iuuat ante suum sic cecidisse diem.
Vidi, nec lacrymas oculi tenuere cadentes,
Deformem Atriden (hei mihi) caede noua.
Illum Troia uirum non laeserat: ille furentem 75
Nauplion, Euboïcos transieratque sinus.
Quid refert? animam per uulnera mille profudit,
Iam reduci soluens debita uota Ioui.
Tyndaris has illi laeso pro foedere poenas
Struxerat; externos ipsa secuta uiros. 80
Ah! mihi quid prodest (captiuas Teucridas inter
Cum staret coniux Hectoris, atque soror)
Defectis Hecuben potius legisse sub annis,
Ne tibi suspectus pellicis esset amor?
Prima meis omen metuendum puppibus illa 85
Fecit: non membris ipsa reperta suis.
Latratu miseras finiuit moesta querelas;
Et stetit in rabidam protinus acta canem,
Prodigio tali placidum Thetis abstulit aequor,
Aeolus infusis incubuitque Notis. 90

Per-

70. *Fortes it* coni. Swárth. et Heins. Vulgo *forte sit*.
77. Vetus liber Swarth. *per adultera tela.*
83. Al. *Hecubam.* Prima ed. *Hecuben potui. Potui* etiam ed. Berlin. Plantin. et Gryph. a. 1554.

Peruagus hinc toto non felix differor orbe;
Et, quocunque uocat fluctus et aura, feror.
Sed si Tiresias tam laeti prouidus augur,
Quam uerax uates in mala nostra fuit;
Et terra et pelago, quicquid mihi triste canebat, 95
Emensus fato iam meliore uagor.
Iam mihi nescio quo comitem se in litore iungit
Pallas, et hospitibus per loca tuta trahit.
Nunc primum Pallas uersae post funera Troiae
Visa mihi: medium temporis ira tulit. 100
Quicquid Oïlides commiserat, omnibus unus
Peccauit: Danais omnibus ira nocens.
Nec te, Tydide, cuius modo fouerat arma,
Eximit: errato tu quoque ab orbe uenis.
Non Telamone satum capta de coniuge Teucrum: 105
Non ipsum, pro quo mille fuere rates.
Felix Plisthenide, quacunque in sorte fuisti
Coniuge cum cara: non grauis illa fuit.
Seu uenti fecere moras, siue aequora uobis;
Ad nulla est uester damna retentus amor. 110
Oscula nec uenti certe tenuere, nec undae:
Promtaque in amplexus brachia semper erant.
Sic utinam errarem: faceres tu mollia, coniux,
Aequora: te socia nil mihi triste foret.
Nunc quoque, Telemacho tecum mihi sospite lecto, 115
Omnia

91. Margo Bersm. *Peruagus hoc totum enim felix.*
92. Al. edd. *quacunque.*
101. Edd. al. *Quicquid et Oenides*
103. *Fouerat* coni. Heins. Vulgo *nouerat.*
107. *Plisthenide* uult Heins. Vulgo *Plisthenides.*
115. *Lecto* rescribunt Swarth. et Heins. pro *tecto.*

Omnia ſunt animo iam leuiora mala.
Quem tamen infeſtas rurſus queror ire per undas,
Herculeam Sparten, Neſtoreamque Pylon.
Ingrata eſt pietas, cui tanta pericula ſubſunt:
Nam male commiſſus fluctibus ipſe fuit. 120
Sed labor in fine eſt occurſum in litora uates.
Dixit. in amplexus, care, ferere tuos.
Noſcendus ſoli ueniam tibi. tu preme ſolers.
Laetitiam, et tacito gaudia conde ſinu.
Non ui certandum, nec aperta in bella ruendum. 125
Sic cecinit laurus ille monere ſuas.
Forſitan ante dapes, interque uacantia uina,
Vitoris pharetris utile tempus erit.
Et modo deſpectum ſubito mirentur Vlixen.
Heu, precor, ut properet ille uenire dies! 130
Antiqui renouet qui laetus foedera lecti:
Et tandem incipias coniuge, cara, frui.

EPISTOLA II.
DEMOPHOON PHYLLIDI.

Phyllidi Demophoon patria dimittit ab urbe:
Et patriam meminit muneris eſſe tui.

Nec

117. Burm. coni. infeſtas *iuſſum* uel *miſſum*. Heuſing. mauult *infeſto curſu*.

127. Ian. Gebhardus Antiqu. lect. l. II. c. 15. coni. *bachantia uina*, Heinſ. *uocantia uina*, h. e. ad ultionem inuitantia, tamquam opportuna, Burm. *ante lares*, *inter fragrantia uina*.

EPIST. II. u. 1. Al. edd. male *demittit*.

Nec face Demophoon alia, nec coniuge captus,
Sed tam non felix, quam tibi notus erat.
Thesea, (quo socero nequicquam, Phylli, timebas; 5
Impuleritque ignes forsitan ille tuos)
Turpe pati nobis, regno ferus expulit hospes:
Hunc illi finem longa senecta dedit:
Qui modo peltiferas fudit Maeotidas armis,
Alcidae magni, non minor ipse, comes. 10
Qui socerum Minoa graui sibi fecit ab hoste,
Mirantem monstri cornua uicta sui.
Arguor exilii (quis credat?) causa fuisse:
Nec tacitum frater me sinit esse reum:
Dum thalamos, inquit, dilectae Phyllidos urgues, 15
Et tuus externo cessat in igne furor;
Fluxere interea pede tempora lapsa fugaci;
Praeuenitque tuas flebilis hora moras.
Forsitan aut nondum fractis occurrere rebus,
Aut poteras fractis utilis esse tamen. 20
Cur potiora tibi Rhodopeïa regna fuere,

Quae-

4. Prima ed. *Sed tamen felix.* Heins. coni. *Esset tam felix. Ibid.* Heusing. coni. *natus erat*, Burm. *Sed non tam felix, quam tibi fidus erat*, uel *certus.*

10. *Ipse* a coni. Heins. Vulgo *esse.*

13. Ita scribit et distinguit Heins. uel etiam *Arguor exilii, si credis.* Vulgo *Arg. auxilii, quem credis.* Prima ed. *Arg. exilii qui credis.*

14. *Me sinit* corr. Heins. Vulgo *nec sinit.*

19. 20. Edd. Bersm. et Plantin. *et nondum. Fractis* rescripsit Heins. pro *factis.* Edd. Bersm. Plant. et Gryph. a. 1554. *At poteras.*

21. *Cur* coni. Heins. Vulgo *Cum. Ib* Edd. Ald. Bersm. et Plantin. *potiora mihi.*

Quaeque magis regnis cara puella fuit?
Intonat his Acamas: eadem mox obiicit Aethra;
Infelix functae iam prope sortis anus.
Et quod non condant nati sua lumina palmae, 25
Fecisse haec nostras arguit usque moras.
Non equidem inficior: multum clamauit uterque:
Staret Threïciis cum mihi puppis aquis.
Poscunt, Demophoon, (quid cessas?) carbasa uenti:
Demophoon patrios respice dure Deos. 30
Respice: et exemplum, qua gaudes, Phyllida sume.
Sic amat, ut terra nolit abire sua.
Vtque redire uelis, non ut comitetur euntem,
Te rogat: et praefert barbara regna tuis.
Me tamen haec inter tacitum conuicia saepe 35
Aduersis memini uota tulisse Notis.
Saepe abitura tuo ponentem brachia collo,
Gauisum in fluctus aequora mota truces.
Nec metuam hoc ipso coram genitore fateri:
Libertas meritis est mihi facta tuis; 40
Dicere, non duro dilectam Phyllida liqui
Pectore: nec praeceps uela ferenda dedi.
Et fleui; et flentem solando saepe, remansi,
Cum staret cursus iam mihi certa dies.
Denique Threïcia ueni rate. non dare Phyllis 45

Quam

23. *Acamas* corr. Heinf. Vulgo *Athamas*.
26. *Haec* coni. Heinf. pro *hic*.
30. *Dare* uel *iture* coni. Heinf. Vulgo *iure*. Ed. Gryph. *ture*.
39. Al. *ipsum*.
41. *Dicere* coni. Heinf. pro *Dices*.

Quam potuit, iussit tardius ire ratem.
Ignosce et falso; memor es Minoïdos ipse.
Antiquus necdum pectore cessit amor.
Et quoties oculis circumdat sidera, dixit,
Quae fulget coelo, nostra puella fuit.
Illum dilecta Bacchus sibi cedere iussit
Coniuge: desertae crimen at ille subit.
Exemploque patris periurus dicor et ipse:
Nec quaeris causas, Sithoni dura, morae:
Nec satis ampla putas redituri pignora, si me
Non amor alterius, non amor ullus habet.
Nullane fama tibi turbatos, Phylli, penates
Theseos, et miserae retulit acta domus?
Non laqueos audis carae me flere parentis?
Flebilior laqueis (hei mihi!) causa subest.
Non fratrem Hippolytum: cecidit miserabilis ille,
Praeceps attonitis per freta raptus equis.
Non tamen excuso reditus. licet undique fata
Accumulent causas; tempora parua peto.
Thesea, quod superest, patrem tum habimus ante:
Succedat tumulo non sine honore decens.
Da spatium uenîamque, peto: non perfidus absum:
Nec mihi iam terra tutior ulla tua est.
Quicquid mite fuit post diruta Pergama, quicquid
Aut bella, aut pelagi detinuere morae;

Sola

49. Ed. Gryph. et margo Berlin. *dicis.*

59. *Carae* reposuit Burm. Vulgo *cari.*

66. Heins. uult *decet.*

70. 71. Heins corr. *Haud bella, haud pelagi*, et mox *iactor in ipsa.*

Sola fuit Thrace. patria quoque iactor in illa:
  Auxilium ſuperes caſibus una meis.
Si modo mens eadem. nec quod ſit iam mihi diues
  Regia, Cecropia non minor arce, mouet:
Nec patris offendunt caſus; nec crimina matris; 75
  Nec iam non felix omine Demophoon.
Quid? ſi Phoebeam peterem te coniuge Troiam,
  Perque annos ſequerer bella gerenda decem?
Penelopen audis: toto laudatur in orbe,
  Exemplum fidi non leue facta tori. 80
Illa piae (ſic rumor ait) mendacia telae
  Struxit, et inſtantes diſtulit arte procos:
Cum properata palam reuocaret ſtamina noctis,
  Atque iterum in lanas omne rediret opus.
At tua ne fugiant ſpreti connubia Thraces, 85
  Phylli, times. ulli nubere, dura, potes?
Eſtque tibi pectus cuiusque accedere taedae?
  Obſtat perfidiae nec metus iſte tuae?
Ah tibi quantus erit facti rubor! ah tibi quantus
  Tum dolor, adſpicies cum mea uela procul! 90
Damnabisque tuos ſero temeraria queſtus?
  Demophoon, dices, hei mihi, fidus erat!

Demophoon

72. *Superes* prima ed. Vulgo *ſupereſt*.
80. Ed. Berſm. *fidei*.
81. *Piae* a coni. Heinſ. Vulgo *pie*.
82. *Procos* prima ed. Vulgo *toros*.
83. Ed. Gryph. et margo Berſin. *noctu*.
87. Ed. Gryph. *cuiusquam accedere taedas*. Heinſ. coni. *Eſtne t. p. cuiusquam accedere taedae*, uel *accendere taedas*.

Demophoon rediit, et ſaeuos forſitan Euros
  Paſſus, et hibernas dum quoque currit aquas.
Ah cur neſcio quam properauimus (hei mihi!) culpam? 95
  Rupi, quam ruptam ſum mihi queſta, fidem.
Sic tamen ah potius, ſic perſtes; quam mihi de te
  Vlterior tangat pectora, Phylli, dolor!
Quos tibi (me miſerum) laqueos, quae fata minaris?
  Et nimis audaces gens habet iſta Deos. 100
Parce, precor: famamque domus mihi crimen habentis
  Perfidiae, gemina ne preme, dura, nota.
Excuſet patrem fatis in parte relicta
  Gnoſis: non merui, cur ferar ipſe nocens.
Nunc uenti mea uerba ferant, qui uela tulerunt. 105
  Eſt animus reditus: ſed pia cauſa tenet.

EPISTOLA III.

PARIS OENONAE.

Qua ſatis apta tibi tam iuſte, Nympha, querenti
  Reſcribam, fateor quaerere uerba manum.

Quaeris,

93. 94. *Rediit* prima ed. it. Berſm. et Plant. Vulgo *redit huc*. Mox prima ed. *dum quoque credit*. Heinſ. coni. *dum properauit*, uel *dum freta currit*, Burm. *dum modo currat*. Ed. Gryph. *En mihi Demophoon et ſaeuos redditur Euros Paſſus, et hibernas, dum freta ſulcat, aquas.*

103. Margo Berſm. et ed. Gryph. *Accuſet p. f. praedaeque rel.* Heinſ. coni. *Accuſet patrem fatis ſi forte rel.* Heuſing. mauult *Excuſet p. f. in patre rel.*

105. Heuſing. corr. *Nec uenti m. u. ferunt.*

Quaeris, nec ſubeunt. ſentit ſua crimina tantum:
Soluere, quae ſentit, non finit alter amor.
Si leuat hoc iras, ipſo me iudice damnor. 5
Quid refert? cauſa tu meliore cales.
Damnatumque tibi me ſub ſua iura Cupido
Retrahit, alterius ſic quoque praeda ſumus.
Prima meis tu pacta toris: faſſusque iuuentam
Te primum accepta eſt coniuge noſter amor. 10
Nondum tantus eram. quo me genitore ſuperbum
Arguis; hoc dominus tunc retinendus eram:
Non ego Deïphobum ſperabam, aut Hectora fratrem,
Cum paſtos agerem, te comitante, greges:
Reginamque Hecuben, niſi matris nomine, noram: 15
Et fueras illi digna manere nurus.
Sed non eſt rationis amor. te conſule, Nympha.
Laeſa es: ſed laeſam ſcribis amare tamen.
Cumque petant Satyri connubia, cum tua Panes:
Reiectae memor es tu tamen usque facis. 20

Adde,

EPIST. III. u. 5. *Hoc* coni. Gronouius. Vulgo *hic*.

6. *Cales* ſubſtituit Heinſ. pro uulg. *cares*. Idem et Berſm. coni. *cades*, uel *cadis*.

7. *Tibi* a coni. Burm. Vulgo *ſibi*. *Ib.* primae edd. *non ſub ſua iura*. Heinſ. coni. *non ſub tua*, Burm. *tibi me ſub noua iura*.

12. Gronou. coni. *hoc domino*, Heinſ. *huic domino tunc renuendus eram*, uel *hoc domino*, *te retinendus hera*. Conr. Heuſing. edidit *hic domino iure timendus eram*.

18. Priſcae edd. *Laederes*. *Ib.* al. *et laeſam*. Margo Berſm. *Laeſa es; te laeſam*. Heinſ. coni. *Laederis et laeſam*, uel *Laeſa licet laeſam*.

20. *Reiectae* emend. Heinſ. Vulgo *Deiectae*.

Adde, quod hic fatis amor eſt adiutus, et illum
Praeſcia uenturi uiderat ante Soror.
Nondum Tyndaridos nomen mihi ſederat aure,
Nec cecinit Graios illa uocare uiros.
Omnia uera uidēs. ſuperant mea uulnera tantum. 25
Vtque tuam ſupplex poſcere cogar opem.
Te penes arbitrium noſtrae uitaeque necisque:
Victuri iam nunc pectora ſume tibi.
Fleuiſti, memini, tamen hac in uoce canentis:
Et, mala, dixiſti, ſint precor iſta procul. 30
Nec ſic fata ferant, tulerint ſic caetera quamuis,
Vt poſſim Oenone perdere laeſa Parin.
Tot ſuperare metus, qui me, nec credere cogit,
(Ignoſcas) idem te quoque fallit Amor.
Imperat ille Deis: cum uult, in cornua tauri, 35
Cum uult, in pennas deſtruit ille Iouem.
Non foret in terris tanto miranda decore
Tyndaris; (heu flammis nata puella meis!)
Si ſua non cycno mutaſſet Iuppiter ora.
Fluxerat in Danaës aureus ante ſinus: 40
Piniferamque Iden falſus luſtrauerat ales:

21. Edd. Berſm. et Plant. *his fatis.*
24. Conr. Heuſing. edidit *Me cec. Gr. illa uocare toror.*
25. Berſm. ed *uera fides.*
26. *Cogar* ſcribit Heinſ. Vulgo *cogor.*
28. Prima ed. *Victurae iam n. pectore.* Heuſing. ſcribit *ſumo*, et hunc uerſum parentheſeos notis ab oratione reliqua ſeiungit.
35. *Deis* repoſuit Heinſ. Vulgo *Deus.*
36. Ed. Berſm. *inſtruit.*
41. *Piniferamque* pro *Pinniferamque* reſcripſit Heinſ. atque ita ed. Gryph.

Inter Agenoreas conſtiteratque boues.
Victorem Alciden dominae quis penſa tenere
Crederet? at lanas nere coëgit Amor.
Dicitur et Coa ſediſſe in ueſte puellae. 45
Illa Cleonaeo tecta leone fuit.
Te memini Phoebum, Oenone, (mea crimina dico)
Fugiſſe, et noſtros praepoſuiſſe toros.
Non ego praeſtabam Phoebo: ſed tela Cupido
His in te uoluit legibus ire ſua. 50
Conſolare tamen digna tua pellice damna:
Quam tibi praetulimus, nata puella Ioue eſt.
Sed quod nata Ioue eſt, minimum me tangit in illa:
Quod non eſt facies pulchrior ulla, nocet.
Atque utinam formae iudex incallidus eſſem 55
Creditus Idaeis, Pegaſi Nympha, iugis!
Non mihi Iunonis, nec obeſſet Pallados ira;
Laudata eſt oculis quod Cytherea meis.
Diuidit haec aliis flammas celeresque paresque:
Vt libitum eſt, nati temperat ipſa faces. 60
Non tamen eualuit uitare domeſtica tela.
Quos aliis arcus, et ſibi dura tulit.
Deprenſam coniux illam in Mauorte dolebat.
Teſtibus hic Diuis cum Ioue queſtus erat.
Iam dolet et Mauors, terras ultroque reliquit: 65
Prae-

45. *Coa* corr. Heinſ. Vulgo *Coae*.
51. Al *Conſuluere tamen*, uel *Conſolere*.
63. *Deprenſam illam* prima ed. Al. *Deprenſa illa*.
65. 66. Margo Berſm. et ed. Gryph. a. 1554. *Coelo terràsque relicto*, et mox *hinc habitura*. Vulgo *his abitura*.

Praetulit Anchiſen huic habitura ſuum.
Anchiſen propter uoluit formoſa uideri:
Viſaque poſtlatam iacuit ulta deam.
Quid mirum eſt, potuiſſe Parin ſuccumbere Amori,
Immunis ſub quo non fuit ipſa parens? 70
Quam laeſus Menelaus amat, non laeſus amaui.
Adiice, non laeſo quod comes ipſa fuit.
Et magnos (uideo) cogit mihi rapta tumultus:
Armataeque petunt Pergama mille rates.
Non uereor belli ne non ſit cauſa probanda: 75
Eſt illi facies digna mouere duces:
Si mihi nulla fides; armatos reſpice Atridas.
Quam ſibi ſic repetunt, ſic metuenda mihi eſt.
Quod ſi uertendae ſpem mentis concipis huius;
Cur ceſſant herbae, carmina curue tua? 80
Nam te nec Phoebi ſollertior artibus ulla eſt;

Phoe-

Habitura etiam prima ed. *Huic habitura* a coni. Heinſ. Gryph. alia *hinc abitura.* Burm. uult *ultorque reliquit, Praet. Anch. haec hab. ſ.* Heuſing. legit: *Terras, utroque relicto*, (uel *utroque relictis*,) *Praetulit, Anch. hic h. ſ.*

68. Heinſ. coni. *Diuaque poſtlatos marcuit* (uel *languit*) *ulta Deos*, uel etiam *Bisque ita* (uel *Bis dea*) *poſtlatos marcuit ulta Deos.* Heuſ. mauult *Viſaque, poſtlatos moeruit ulta deos.*

69. 70. *Parin ſuccumbere*, et mox *ipſa parens* emend. Heinſ. Vulgo *pari ſuccurrere*, et *ipſe Paris.* Margo Berſm. et ed. Gryph. *ipſa Parin.*

72. Ed. Berſm. *ipſe fuit.*

73. *Cogit* coni. Heinſ. atque ita margo Berſm. Vulgo *cogi.*

78. Heinſ. coni. *ſic retinenda*, et ita ed. Plant. Gryph. et Berſm.

81. *Nam te* a coni. Heinſ. Vulgo *Cum te.*

Phoebeaeque Hecates ſomnia uera uides.
Tecum ſideribus, tecum deducere Lunam
Nubibus, et memini ſurripuiſſe diem.
Paſcebam tauros: interque armenta leones 85
Obſtupui placidos uocibus ire tuis.
Quid retro Xanthum, retro Simoënta uocatum
Adiiciam curſus non tenuiſſe ſuos?
Ipſe pater Cebren, natae male tutus ab ore,
Cantatas quoties reſtitit inter aquas: 90
Nunc locus Oenonae eſt, nunc illam oſtende: parabis
Siue tuos ignes pellere, ſiue meos.

89. *Cebren*, et *tutus ab ore* reſtituit Heinſ. Vulgo *ceu rem* uel *ſeu rem*, et *tutus haberet*.

91. Ita emendauit Heinſ. Vulgo *Oenone eſt: nunc illas tende*, *parauit*, uel *parabit*. *Parabis* etiam unus liber Berſm. et ed. Gryph. a. 1554.

P. OVIDII NASONIS

AMATORIA

E RECENSIONE

PETRI BVRMANNI

CVM

VARIETATE LECTIONIS PRAECIPVA.

PARS II.

HELMSTADII
IMPENSIS C. G. FLECKEISEN
MDCCCII.

NOTAE

CODICVM OVIDII SCRIPTORVM

HAC ALTERA PARTE

VSVRPATAE.

A. Ambrosianus.
Apr. Codex Angeli Aprosii Intimelii.
Ar. Arondelianus.
Arg. Argentinensis.
B. Codex Barberini.
Ba. Cod. Bartholini.
Be. Bernensis.
Bo. Bodleianus. *Fragm. Bo.* Fragmentum Bodleianum.
Boxh. Cod. Marci Zuerii Boxhornii.
C. Commelinianus.
Ca. Cantabrigiensis.
Cau. Codex Andreae Caualcantis, Patricii Florentini, Heinsio donatus.
D. Codex Iani Douzae.
F. Farnesianus.
Fl. Florentinus.
Fr. Francofurtensis.
Gl. Glaserianus.
Gr. Gronouianus.
H. Herculanus.
Ha. Hafniensis.
He. Helmstadiensis.
Iun. Codex Iunii.
Iur. Codex Iureti. *Exc. Iur.* Excerpta Iureti.
L. Lincolniensis.
Le. Leidensis.
M. Maffeianus.
Maz. Mazarinianus.
Me. Codex Mentelii.
Med. Mediceus.
Mo. Codex Moreti.
N. Neapolitanus.

O.

O. Oxonienſis. *Fragm. O.* Fragmentum Oxonienſe.

P. Codex Puteani. *Exc. P.* Excerpta Puteani.

Pa. Codez bibliothecae Palatinae.

Pat. Patauinus *Fragm. Pat.* Fragmentum Patauinum.

Pet. Codex Petauii.

Pol. Codex Colitiani. *Exc. Pol.* Excerpta Politiani.

R. Regius Pariſienſis. *Fragm. R.* Fragmentum Regium.

Ro. Rottendorphianus.

Sa. Sarrauianus.

Sc. et *Scr.* Codex Petri Scriuerii.

Scal. Codex Ioſephi Scaligeri. *Exc. Scal.* Excerpta Scaligeri.

Sch. Codex Schefferi.

Th. Codex Thuani.

To. Tomaſinianus.

V. Vaticanus.

Voſſ. Codex Voſſii. *Exc. Voſſ.* Excerpta Voſſii.

P. OVIDII NASONIS

A M O R V M

LIBRI TRES

Q

EPIGRAMMA NASONIS IN AMORES SVOS.

Qui modo Naſonis fueramus quinque libelli,
Tres ſumus: hoc illi praetulit auctor opus.
Vt iam nulla tibi nos ſit legiſſe uoluptas;
At leuior demtis poena duobus erit.

---

3. *Vt iam nulla tibi nos* Fragm. Regium, Exc. Iur. et P. it. N Vulgo *Vt iam nulla tibi non.* Nonnulli *Vt non ulla tibi iam.* M. et unus Pa. *Vt iam multa tibi non.*

P. OVIDII NASONIS AMORVM LIBER PRIMVS.

ELEGIA I.

Arma graui numero, uiolentaque bella, parabam
Edere, materia conueniente modis.
Par erat inferior uersus: risisse Cupido
Dicitur, atque unum surripuisse pedem.
Quis tibi, saeue puer, dedit hoc in carmina iuris? 5
Pieridum uates, non tua turba, sumus.
Quid? si praeripiat flauae Venus arma Mineruae,
Ventilet accensas flaua Minerua faces?
Quis probet in siluis Cererem regnare iugosis?
Lege pharetratae Virginis arua coli? 10

2. Fr. *Prodere, materia.* Pa. et V. *membra.*
5. *In carmina* Fragm. R. Vulgo *in carmine.*
6. R. *turma sumus.* Vnus
7. Pa. 3. *si praecipiat.*
9. N. unus *pugnare iugosis.*

Crinibus insignem quis acuta cuspide Phoebum
Instruat, Aoniam Marte mouente lyram?
Sunt tibi magna, puer, nimiumque potentia regna,
Cur opus affectas, ambitiose, nouum?
An, quod ubique, tuum? tua sunt Heliconia Tempe? 15
Vix etiam Phoebo iam lyra tuta sua est.
Cum bene surrexit uersu noua pagina primo;
Attenuat neruos protinus ille meos.
Nec mihi materia est numeris leuioribus apta,
Aut puer, aut longas comta puella comas. 20
Questus eram; pharetra cum protinus ille soluta
Legit in exitium spicula facta meum:
Lunauitque genu sinuosum fortiter arcum:
Quodque canas, Vates, accipe, dixit, opus.
Me miserum, certas habuit puer ille sagittas. 25
Vror; et in uacuo pectore regnat Amor.
Sex mihi surgat opus numeris; in quinque residat.
Ferrea cum uestris bella ualete modis.
Cingere litorea flauentia tempora myrto,
Musa, per undenos emodulanda pedes.

ELEGIA

11. F. *Crinibus intonsum.*
13. Mo. unus *Sat tibi magna.*
18. Gl. Fr et duodecim al. *Attenuat numeros* Fr. a manu sec. *Att. ludos. Ib.* Fragm. R. Exc. Scal et P cum altero R. *proximus ille.* Fr. *proximus ille suor.*
19. Al. *Nunc mihi*, ue *Haec mihi. Ibid.* D. *numeri. breuioribus.*
20. Sa. a manu pr. *Quan puer.*
22. Scr et Pa. *Traxit in Ibid.* F. *spicula dira.*
23. M. unus *Curuauitqu*
26. Vnus Mo. *Vicit, et i*

ELEGIA II.

Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura uidentur
Strata, neque in lecto pallia nostra sedent?
Et uacuus somne noctem, quam longa, peregi;
Lassaque uersati corporis ossa dolent?
Nam puto sentirem, si quo tentarer amore. 5
An subit, et tacita callidus arte nocet?
Sic erat. haeserunt tenues in corde sagittae;
Et possessa ferus pectora uersat Amor.
Cedimus? an subitum luctando accendimus ignem:
Cedamus. leue fit, quod bene fertur, onus. 10
Vidi ego iactatas mota face crescere flammas:
Et uidi nullo concutiente mori.
Verbera plura ferunt, quam quos iuuat usus aratri,
Detrectant pressi dum iuga prima boues.
Asper equus duris contunditur ora lupatis. 15
Frena minus sentit, quisquis ad arma facit:
Acrius inuitos, multoque ferocius urguet,

ELEG II. u. 2. Fr. et quidam al. *nostra iacent*, uel *manent*.

3 Primus Med. *uacuam*. *Ibid.* Vnus Pa. *longamque peregi*.

4. Al. *ossa iacent*.

5. Pa. et Fr. *tractarer amore*, forte pro *iactarer*.

6. Multi *tecta callidus*.

7. Fragm. R. *Sic erit*. Fr. *Sic est*.

10. Duo codd. *Cedimus, ut leue sis*, totidem *et leue fit*.

11. Vnus Pa. et V. *motu flauescere*. Gl. *motu concrescere*. Vnus Mo. et Exc. D. *motu flammescere*. Nonnulli *mota face surgere*.

12. Seneca in Controuers. citat *Et rursus nullo*.

14. Pa. unus et duo al *Detr. fessi Ibid.* Pa 3 *dum sua colla*. Tres al. *dum iuga curua*.

Quam qui ſeruitium ferre fatentur, Amor.
En ego confiteor: tua ſum noua praeda, Cupido.
Porrigimus uictas ad tua iura manus. 20
Nil opus eſt bello: pacemque ueniamque rogamus.
Nec tibi laus, armis uictus inermis, ero.
Necte comam myrto; maternas iunge columbas;
Qui deceat, currum Vitricus ipſe dabit.
Inque dato curru, populo clamante triumphum, 25
Stabis; et adiunctas arte mouebis aues.
Ducentur iuuenes capti, captaeque puellae.
Haec tibi magnificus pompa triumphus erit.
Ipſe ego, praeda recens, factum modo uulnus habebo:
Et noua captiua uincula mente feram. 30
Mens Bona ducetur manibus poſt terga retortis,
Et Pudor, et caſtris quicquid Amoris obeſt.
Omnia te metuent: ad te ſua brachia tendens
Vulgus, Iõ, magna uoce, Triumphe, canet.
Blanditiae comites tibi erunt, Errorque, Furorque, 35
Aſſidue partes turba ſecuta tuas.
His tu militibus ſuperas hominesque, Deosque:

Haec

20. Tres Heinſ. *Porr. uinctas*, Fr. *nudas*. *Ibid.* Quatuor ſcripti *ad tua iuſſa*. Vnus Med. *ad tua crura*. Ed. Gryph. a. 1554. *ad tua uincla*.

23. Antiquae edd. *comam lauro*.

25. Vnus Heinſ. *ſpectante triumphum*. Alius *clamante triumphe*.

26. Quidam *admotas arte*.

31. Al. *terga reuinctis*, uel *ligatis*.

33. *Tendens* Fragm. R. Vulgo *tendent*.

34. Vnus Mor. *canent*.

35. *Errorque* prima ed. Vulgo *terrorque*.

37. Vnus Mor. *tu militiis*.

Haec tibi ſi demas commoda, nudus eris.
Laeta triumphanti de ſummo Mater Olympo
Plaudet; et appoſitas ſparget in ora roſas. 40
Tu, pennas gemma, gemma uariante capillos,
Ibis in auratis aureus ipſe rotis.
Tum quoque non paucos (ſi te bene nouimus) ures:
Tum quoque praeteriens uulnera multa dabis.
Non poſſunt (licet ipſe uelis) ceſſare ſagittae. 45
Feruida uicino flamma uapore nocet.
Talis erat domita Bacchus Gangetide terra.
Tu grauis alitibus; tigribus ille fuit.
Ergo, ego cum poſſim ſacri pars eſſe triumphi,
Parce tuas in me perdere, uictor, opes. 50
Adſpice cognati felicia Caeſaris arma;
Qua uincit, uictos protegit ille, manu.

ELEGIA III.

Iuſta precor: quae me nuper praedata puella eſt,
Aut amet, aut faciat, cur ego ſemper amem.
Ah nimium uolui! tantum patiatur amari;
Audierit noſtras tot Cytherea preces.
Accipe, per longos tibi qui deſeruiat annos: 5

41. *Pennas gemma, gemma uariante* Fragm. R. et cod. N. cum Exc. Scal. Al. *gemma gemina.* Al. *pulchros gemma uar.* Al. *penna pulchros gemina.* Ed. Gryph. et al. *pennas gemma et rutilos uar.*

49 *Ergo ego cum* ſeptem codd Vulgo *Ergo cum.*

52. *Vincit* Mor. et tres al. Vulgo *uicit.*

ELEG. III. u. 4. Mor. *Audieris.*

Accipe, qui pura norit amare fide.
Si me non ueterum commendant magna parentum
Nomina; ſi noſtri ſanguinis auctor eques;
Nec meus innumeris renouatur campus aratris;
Temperat et ſumtus parcus uterque parens; 10
At Phoebus, comitesque nouem, uitisque repertor,
Hoc faciant: et me qui tibi donat, Amor:
Et nulli ceſſura fides; ſine crimine mores;
Nudaque ſimplicitas, purpureusque pudor.
Non mihi mille placent: non ſum deſultor Amoris. 15
Tu mihi (ſi qua fides) cura perennis eris.
Tecum, quos dederint annos mihi fila Sororum,
Viuere contingat: teque dolente mori.
Te mihi materiem felicem in carmina praebe;
Prouenient cauſa carmina digna ſua. 20
Carmine nomen habent, exterrita cornibus Iö,
Et quam fluminea luſit adulter aue:
Quaeque, ſuper pontum ſimulato uecta iuuenco,
Virginea tenuit cornua uara manu.
Nos quoque per totum pariter cantabimur orbem: 25
Iunctaque ſemper erunt nomina noſtra tuis.

ELEGIA

8. Al. *nec noſtri.*
11. Al. *iurisque repertor.*
13. Pa. *Et non ceſſuri, non Dîs.* P. *Et nulli cenſura et Dîs.* Ed. Gryph. a. 1554. *Et non ceſſuri, niſi Dîs.*
15. *Deſultor* P. et Ar. it. Exc. P. Iur. ac Scal. Vulgo *deſertor.* Quidam *deluſor.* N. *ſimulator.*
18. R. *te moriente mori.*
19. Al. *in carmine.*
20. Ita P. et quidam al. Vulgo *Proueniant cauſae c. d. tuae.* Sa. cum al. et edd. nonnullae *cauſae ſuae.* Berſm. et al. *cauſa tua.*
24. *Vara* P. et N. Vulgo *falſa.* Ar. *uera.* Duo al. *curua.* Exc. D. *preſſa.*

ELEGIA IV.

Vir tuus eſt epulas nobis aditurus easdem.
Vltima coena tuo ſit, precor, illa uiro.
Ergo ego dilectam tantum conuiua puellam
Adſpiciam? tangi quem iuuet, alter erit?
Alteriusque ſinus apte ſubiecta fouebis? 5
Iniiciet collo, cum uolet, ille manum?
Deſine mirari, poſito quod candida uino
Atracis ambiguos traxit in arma uiros.
Nec mihi ſilua domus, nec equo mea membra cohaerent:
Vix a te uideor poſſe tenere manus. 10
Quae tibi ſint facienda tamen, cognoſce: nec Euris
Da mea, nec tepidis uerba ferenda Notis.
Ante ueni, quam uir. nec, quid, ſi ueneris ante,
Poſſit agi, uideo: ſed tamen ante ueni.
Cum premit ille torum, uultu comes ipſa modeſto 15
Ibis, ut accumbas; clam mihi tange pedem.
Me ſpecta, nutusque meos, uultumque laquacem:
Excipe furtiuas, et refer ipſa, notas.
Verba ſuperciliis ſine uoce loquentia dicam:

ELEG. IV. u. 1. *Nobis aditurus* P. et Me. Vulgo *nobiſcum.*

5. Multi *ſinu dextram ſubiecta.* F. *ſinus dextram.* R. *ſinum dextra.* Vnus V. *Alterius captam dextram.* Alius cum Ar. *Alteriusque apte dextram.* Vnus Med. *Alteriusque ſinu dextram ſubnixa.*

8. Mor. *Atrac. Haemonios. Ib.* Pa. *ambiguas manus.*

12. Duo V. *nec trepidis.*

15. *Premit* P.

17. Mo. 3. *uultusque meos Ibid.* Alter M. *uultumque fugacem.*

19. Vnus Med. *loquacia dicam.*

Verba leges digitis, uerba notata mero. 20
Cum tibi ſuccurrit Veneris laſciuia noſtrae;
Purpureas tenero pollice tange genas.
Si quid erit, de me tacita quod mente queraris;
Pendeat extrema mollis ab aure manus:
Cum tibi, quae faciam, mea lux, dicamue, placebunt; 25
Verſetur digitis annulus uſque tuis.
Tange manu menſam, quo tangunt more precantes;
Optabis merito cum mala multa uiro.
Quod tibi miſcuerit, ſapias, bibat ipſe, iubeto:
Tu puerum leuiter poſce, quod ipſa uelis. 30
Quae tu reddideris, ego primus pocula ſumam:
Et qua tu biberis, hac ego parte bibam.
Si tibi forte dabit, quos praeguſtauerit ipſe,
Reiice libatos illius ore cibos.
Nec premat impoſitis finito tua colla lacertis: 35
Mite nec in rigido pectore pone caput.
Nec ſinus admittat digitos, habilesue papillae.
Oſcula praecipue nulla dediſſe uelis.
Oſcula ſi dederis, fiam manifeſtus amator:
Et dicam, Mea ſunt: iniiciamque manus. 40
Haec tamen adſpiciam: ſed quae bene pallia celant,

Illa

20. P. N. et optimus Pa. *Verba teges.*

21. *Succurrit* P. Vulgo *ſuccurret.*

23. *Queraris* Exc. Scal. et P. cum N. et al. quatuor. Vulgo *loquaris.*

28. Vnus V. *Optaris.*

30. Al. *uoles.*

33. P. et Fr. cum al. nonnullis *quod praeguſt.*

35. Vulgo *premat indignis.* Multi *premat ille ſuis.*

Illa mihi caeci causa timoris erunt.
Nec femori committe femur, nec crure cohaere:
Nec tenerum duro cum pede iunge pedem.
Multa miser timeo, quia feci multa proterue: 45
Exemplique metu torqueor ipse mei.
Saepe mihi, dominaeque meae properata uoluptas
Veste sub iniecta dulce peregit opus.
Hoc tu non facies: sed ne fecisse puteris,
Conscia de gremio pallia deme tuo. 50
Vir bibat usque roga; precibus tamen oscula desint;
Dumque bibit, furtim (si potes) adde merum.
Si bene compositus somno uinoque iacebit;
Consilium nobis resque locusque dabunt.
Cum surges abitura domum, surgemus et omnes; 55
In medium turbae fac memor agmen eas.
Agmine me inuenies, aut inuenieris, in illo.
Quicquid ibi poteris tangere, tange mei.
Me miserum! paucas monui quod prosit in horas.
Separor a domina, nocte iubente, mea. 60
Nocte uir includet: lacrymis ego moestus obortis,
Qua licet, ad saeuas prosequar usque fores.
Oscula iam sumet: iam non tantum oscula sumet.

Quod

42. Vnus Mo. *seri timoris*, D. *magni tim.*
43. Quatuor libri *crura cohaere*. Al. *crura coërce.*
48. Vnus F. Exc. P. et Scal. it. prima ed. *Veste superiecta.*
54. N. *resque domusque.*
59. P. *paucas quoque prosit*, unde Hemf. coni. *quo prosit*. Fr. lun. et septem al. *paucis in horis.*
62. Ar. *ad uersas. Ib.* al. *persequar.*

Quod mihi das furtim, iure coacta dabis.
Verum inuita dato (potes hoc) similisque coactae: 65
Blanditiae taceant; sitque maligna Venus.
Si mea uota ualent, illum quoque nil iuuet, opto:
Sin minus; at certe te iuuet inde nihil.
Sed quaecunque tamen noctem fortuna sequatur;
Cras mihi constanti uoce dedisse nega. 70

ELEGIA V.

Aestus erat, mediamque dies exegerat horam:
Apposui medio membra leuanda toro.
Pars adaperta fuit, pars altera clausa fenestrae:
Quale fere siluae lumen habere solent.
Qualia subfucent, fugiente, crepuscula, Phoebo: 5
Aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies.
Illa uerecundis lux est praebenda puellis,
Qua timidus latebras speret habere pudor.
Ecce Corinna uenit, tunica uelata recincta,
Candida diuidua colla tegente coma: 10
Qualiter in thalamos formosa Semiramis isse
Dicitur, et multis Lais amata uiris.
Deripui tunicam; nec multum rara nocebat:

Pugna-

67. Al. *ne iuuet.*
69. Al. *sequetur.*
ELEG. V. u. 1. Priscae edd. male *Festus erat. Ib.* al. *dies excesserat. Ib.* Vterque M. et duo Mo. *exegerat umbram.*
2. Duo V. *Impositi tenero toro. Ibid.* unus Mo. *nouanda toro.*
4. Sa. *Quale ferae siluis.*
12. Nonnulli codd. *Thais amata. Ib.* al. *am. procis.*
13. *Deripui* P. N. et R. Vulgo *Diripui.*

Pugnabat tunica ſed tamen illa tegi.
Cumque ita pugnaret, tamquam quae uincere nollet, 15
Victa eſt non aegre proditione ſua.
Vt ſtetit ante oculos, poſito uelamine, noſtros,
In toto nusquam corpore menda fuit.
Quos humeros, quales uidi tetigique lacertos!
Forma papillarum quam fuit apta premi! 20
Quam caſtigato planus ſub pectore uenter!
Quae tum et quale latus! quam iuuenile femur!
Singula quid referam? nil non laudabile uidi:
Et nudam preſſi corpus ad usque meum.
Caetera quis neſcit? laſſi requieuimus ambo. 25
Proueniant medii ſic mihi ſaepe dies.

ELEGIA VI.

Ianitor (indignum) dura religate catena,
Difficilem moto cardine pande forem.
Quod precor, exiguum eſt. aditu fac ianua paruo
Obliquum capiat ſemiadaperta latus.
Longus Amor tales corpus tenuauit in uſus: 5
Aptaque ſubducto pondere membra dedit.
Ille per excubias cuſtodum leniter ire
Monſtrat: inoffenſos dirigit ille pedes.
At quondam noctem, ſimulacraque uana timebam:
Mira-

14. Al. *ſe tamen.*
23. N. et Iun. *nihil illaudabile.*
ELEG. VI. u. 1. *Indignum* P. cum optimo Pa. et al. Vulgo *indigne.*
3. N. *ianua primo.*
6. Exc. Scal. et P. it. Ar. pro diu. lect. *Aptaque ſubtili corpore.*

Mirabar, tenebris ſi quis iturus erat. 10
Riſit, ut audirem, tenera cum Matre Cupido:
Et leuiter, Fies tu quoque fortis, ait.
Nec mora, uenit amor: non umbras nocte uolantes,
Non timeo ſtrictas in mea fata manus.
Te nimium lentum timeo; tibi blandior uni: 15
Tu, me quo poſſis perdere, fulmen habes.
Adſpice, (et, ut uideas, immitia clauſtra relaxa,)
Vda ſit ut lacrymis ianua facta meis.
Certe ego, cum poſita ſtares ad uerbera ueſte,
Ad dominam pro te uerba tremente tuli. 20
Ergo, quae ualuit pro te quoque gratia quondam,
(Heu facinus!) pro me nunc ualet illa parum?
Redde uicem meritis; grato licet eſſe. Quod optas,
Tempora noctis eunt: excute poſte ſeram,
Excute: ſic umquam longa releuere catena, 25
Nec tibi perpetuo ſerua bibatur aqua.
Ferreus orantem nequicquam, ianitor, audis.
Roboribus duris ianua fulta riget.
Vrbibus obſeſſis clauſae munimina portae
Proſint; in media pace quid arma times? 30

Quid

10. Al. *quisquis iturus.*
11. *Audirem* melior. Vulgo *audiuit.* Vnus M. *Iuſſit ut audiuit*, unde Scriuer. coni. *Iuſſit ut auderem.*
13. R. *nocte ſilentes.*
14. Sc. *fractas in mea uota.*
17. Al. *Adſpice ut inuideas.*
23. Diſtinctio huius uerſus eſt a Burm. Vulgo diſtinguunt *meritis; grato licet eſſe quod optas.* Al. *gratis lic. e. quod opto.*
25. Ita P. R. et al. nonnulli. Primae edd. et ſcripti nonnulli *dura releuere.* Vulgo *longa religere.*

Quid facias hosti, qui sic excludis amantem?
Tempora noctis eunt: excute poste seram.
Non ego militibus uenio comitatus et armis.
Solus eram, si non saeuus adesset Amor.
Hunc ego, si cupiam, numquam dimittere possim. 35
Ante uel a membris diuidar ipse meis.
Ergo Amor, et modicum circa mea tempora uinum
Meum est, et madidis lapsa corona comis.
Arma quis haec timeat? quis non eat obuius illis?
Tempora noctis eunt: excute poste seram. 40
Lentus es? an somnus (qui se male praebet amanti)
Verba dat in uentos aure repulsa tua?
At (memini) primo, cum te celare solebam,
Peruigil in mediae sidera noctis eras.
Forsitan et tecum tua nunc requiescit amica. 45
Heu melior quanto sors tua sorte mea!
Dum modo sic, in me durae transite catenae.
Tempora noctis eunt: excute poste seram.
Fallimur? an uerso sonuerunt cardine postes?
Raucaque concussae signa dedere fores? 50
Fallimur: impulsa est animoso ianua uento.

Hei

31. *Facias* optimus Pa. Al. *facies*, et *faceres*. *Ib.* P. *hostis*.

35. *Nusquam* meliores. Al. *numquam*. *Ibid.* nonnulli *demittere*.

37. *Circa* P. Vulgo *circum*.

41. *Se* cod. D. Sa. et Ar. Vulgo *te*. P. *qui te male perdat amanti*, unde Heins. coni. *qui te male perdat, amantis Verba* caet. Exc. Scal. et P. *male prodit*. N. *qui te male perdidit amens*.

43. *Te cel. solebam* quatuor Heins. Vulgo *me celare uolebam*

50. Me. *Raucaque conuulsae*.

51. Vnus Heins. *en pulsa*

Hei mihi, quam longe ſpem tulit aura meam!
Si ſatis es raptae, Borea, memor Orithyiae,
Huc ades, et ſurdas flamine tunde fores.
Vrbe ſilent tota: uitreoque madentia rore
Tempora noctis eunt: excute poſte ſeram.
Aut ego iam ferroque iguique paratior ipſe,
Quem face ſuſtineo, tecta ſuperba petam.
Nox, et Amor, uinumque, nihil moderabile ſuadent:
Illa pudore uacat: Liber, Amorque metu.
Omnia conſumſi: nec te precibusue minisue
Mouimus, o foribus ſurdior ipſe tuis.
Non te formoſae decuit ſeruare puellae
Limina: ſollicito carcere dignus eras.
Iamque pruinoſos molitur Lucifer axes;
Inque ſuum miſeros excitat ales opus.
At tu, non laetis detracta corona capillis,
Dura ſuper tota limina nocte iace.
Tu dominae, cum te proiectam mane uidebit,
Temporis abſumti tam male teſtis eris.
Qualiſcunque uale, ſentique abeuntis amorem,
Lente, nec admiſſo turpis amante: uale.
Vos quoque crudeles rigido cum limine poſtes,
Duraque conſeruae ligna ualete fores.

ELEG.

eſt. Ib. N. *aduerſo uento.*

57. *Paratior ipſe* V. 2. et M. 1. Vulgo *potentior ipſo.* V. 1. *potentior omni.* M. 2. *ferocior omni.*

58. *Quem* P. et Ar. cum ed. nonnullis. Vulgo *Quam.*

62. D. et multi editi *es foribus. Ib. Surdior* N. pro diu. lect. et Sc. Vulgo *durior.*

69. P. *prolectam mane.* Me. et N. *deiectam.*

71. Al. *abeuntis honorem.*

72. Al. *Lenta.*

74. *Conſeruae* ſcripti plerique. Al. *conſertae.*

ELEGIA VII.

Adde manus in uincla meas, (meruere catenas)
Dum furor omnis abit, ſi quis amicus ades.
Nam furor in dominam temeraria brachia mouit.
Flet mea ueſana laeſa puella manu.
Tunc ego uel caros potui uiolare parentes: 5
Saeua uel in ſanctos uerbera ferre Deos.
Quid? non et clypei dominus ſeptemplicis Aiax
Strauit deprenſos lata per arua greges?
Et, uindex in matre patris, malus ultor Oreſtes,
Auſus in arcanas poſcere tela Deas? 10
Ergo ego digeſtos potui laniare capillos:
Nec dominam motae dedecuere comae?
Sic formoſa fuit; talem Schoeneïda dicunt
Maenalias arcu ſollicitaſſe feras.
Talis periuri promiſſaque uelaque Theſei 15
Fleuit praecipites Creſſa tuliſſe Notos.
Sic, niſi uittatis quod erat, Caſſandra, capillis,
Procubuit templo, caſta Minerua, tuo.
Quis mihi non, Demens, quis non mihi, Barbare, dixit?
Ipſa nihil. pauido lingua retenta metu. 20

Sed

ELEG. VII. u. 2. Al. *omnis abeſt. Ibid.* multi codd. *adeſt.* Sc. *erit.*
3. Mo. *domina.*
5. N. *potui laniare. Ib.* P. *uiolare penates.*
6. F. et D. *ſanctos arma mouere.*
11. Al. *potui uiolare.*
13. Sa. *Sic mihi pulchra fuit. Ibid. dicunt* N. et tres al. Vulgo *dicam.* Sa. *dicas.* Duo V. *fama eſt.*
19. Alter Me. *Barbare, dicat.*

Sed taciti fecere tamen conuicia uultus;
  Egit me lacrymis, ore silente, reum.
Ante meos humeris uellem cecidisse lacertos:
  Vtilius potui parte carere mei.
In mea uesanas habui dispendia uires: 25
  Et ualui poenam fortis in ipse meam.
Quid mihi uobiscum, caedis scelerumque ministrae?
  Debita sacrilegae uincla subite manus.
An, si pulsassem minimum de plebe Quiritem,
  Plecterer? in dominam ius mihi maius erit? 30
Pessima Tydides scelerum monumenta reliquit.
  Ille Deam primus perculit; alter ego.
Sed minus ille nocens. mihi, quam profitebar amari,
  Laesa est: Tydides saeuus in hoste fuit.
I nunc, magnificos uictor molire triumphos; 35
  Cinge comam lauro; uotaque redde Ioui:
Quaeque tuos currus, comitatus, turba sequetur,
  Clamet; Iö forti uicta puella uiro!
Ante eat effuso tristis captiua capillo,

Si

21. R. *Fecere mihi.*
24. Al. *Vtiliter.*
26. *Valui p. f. in ipse* P. et Iun. Vulgo *potui p. f. inire.* Al. *ualui inire, ualui inesse, ualui inisse.*
29. R. et N. *minima de plebe.*
33. 34. *Sed* Sa. Vulgo *Et. Ibid. mihi quam profitebar amari* est e P. *Laesa est* e F. D. et Ar. Vulgo *me quam prof. amare, Laesi.* Ar. *mihi, quam pr. amare.* Tres *ego, quam pr. amare.* P. *Laesa sit.*
35. D. et ed. Gryph. a. 1554. *molite.*
37. *Comitatus* P. Vulgo *comitantum.* Pa. *comitatur,* tres *comitetur,* Ar. *comitatur turba sequentum.*

Si ſinerent laeſae, candida tota, genae. 40
Aptius impreſſis erat os liuere labellis,
Et collo blandi dentis habere notam.
Denique, ſi tumidi ritu torrentis agebar,
Caecaque me praedam fecerat ira ſuam;
Nonne ſatis fuerat timidae inclamaſſe puellae, 45
Nec nimium rigidas intonuiſſe minas?
Aut tunicam ſumma deducere turpiter ora
Ad mediam? mediae zona tuliſſet opem.
At nunc ſuſtinui, raptis a fronte capillis,
Ferreus ingenuas ungue notare genas. 50
Adſtitit illa amens, albo, et ſine ſanguine, uultu,
Caeduntur Pariis qualia ſaxa iugis.
Exanimes artus, et membra trementia uidi;
Vt cum populeas uentilat aura comas:
Vt leni Zephyro gracilis uibratur arundo: 55
Summaue cum tepido ſtringitur unda Noto.
Suſpenſaeque diu lacrymae fluxere per ora,
Qualiter abiecta de niue manat aqua.

40. Ald. 1. et Gryph. *candida colla.*
41. *Erat os liuere* Pa. unus et unus V. Vulgo *fuerat liuere.*
42. Al. *collum.*
46. N. et Iun. *intonuiſſe manus.*
47. Me. R. et tres al. *leniter ora.*
48. *Ad mediam* P. Pa. 3. et prima ed. Vulgo *Vt mediam.*
49. Duo V. *ruptis.*
51. Multi *illa gemens.* Duo *demens.*
55. Al. *Vtque leui Z. graciles uibrantur ariſtae.*
56. Vnus Mo. et D. *Summa uelut tep.*
58. Vulgo *obiecta.* Vnus Mo. *abducta.*

Tunc ego me primum coepi ſentire nocentem.
Sanguis erant lacrymae, quas dabat illa, meus. 60
Ter tamen ante pedes uolui procumbere ſupplex:
Ter formidatas repulit illa manus.
At tu ne dubita, (minuet uindicta dolorem)
Protinus in uultus unguibus ire meos.
Nec noſtris oculis, nec noſtris parce capillis. 65
Quamlibet infirmas adiuuet ira manus.
Neue mei ſceleris tam triſtia ſigna ſuperſint,
Pone recompoſitas in ſtatione cómas.

ELEGIA VIII.

Eſt quaedam: (quicunque uolet cognoſcere lenam,
Audiat) eſt quaedam, nomine Dipſas, anus.
Ex re nomen habet: nigri non illa parentem
Memnonis in roſeis ſobria uidit equis.
Illa magas artes, Aeaeaque carmina nouit, 5
Inque caput rapidas arte recuruat aquas.
Scit bene, quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid ualeat uirus amantis equae.
Cum uoluit, toto glomerantur nubila coelo.

Cum

63. Quidam *minuit*. Al. *minuat*. Fr. *uindicta furorem*.
66. Vulgo *Quaslibet inf. adiuuat*.
67. Prima ed. *ruſtica ſigna*.
ELEG. VIII. u. 5. Exc. P. ſex MSS. et prima ed. *Circeaque carmina*.
6. *Rapidas* unus Med. et Exc. P. Vulgo *liquidas*. *Ib.* D. *reſiſtit aquas*.
7. Al. *concita plumbo*.
9. Duo libri *ſidera coelo*.

Cum uoluit, puro fulget in orbe dies. 10
Sanguine (ſi qua fides) ſtillantia ſidera uidi:
Purpureus Lunae ſanguine uultus erat.
Hanc ego nocturnas uiuam uolitare per umbras
Suſpicor, et pluma corpus anile tegi.
Suſpicor; et fama eſt. oculis quoque pupula duplex 15
Fulminat, et gemino lumen ab orbe uenit.
Euocat antiquis proauos atauosque ſepulcris:
Et ſolidam longo carmine findit humum.
Haec ſibi propoſuit thalamos temerare pudicos:
Nec tamen eloquio lingua nocente caret. 20
Fors me ſermoni teſtem dedit. illa monebat
Talia; me duplices occuluere fores:
Scis here te, mea lux, iuueni placuiſſe beato.
Haeſit, et in uultu conſtitit uſque tuo.
Et cui non placeas? nulli tua forma ſecunda eſt. 25
Me miſeram! dignus corpore cultus abeſt.
Tam felix eſſes, quam formoſiſſima, uellem.
Non ego, te facta diuite, pauper ero.
Stella tibi oppoſiti nocuit contraria Martis.
Mars abiit: ſigno nunc Venus apta ſuo. 30

10. Duo *Si uoluit, toto.*
13. Multi *uiſum uolitare.* Quidam MSS et edd. uett. *uerſam.* Duo MSS. *uetulam,*
16 Vulgo *geminum. Ibid.* P. pro diu. lect. *orbe micat.*
18. Pa. *primo carm.*
19. *Temerare* P. aliique melior. Vulgo *uiolare.*
21. Gl. *illa mouebat.*
22. Me. *detinuere fores.*
23. Al. *Scis hera.*
25. *Cui* unus V. et F. Vulgo *cur*
30. Al. *apta tua.*

Profit ut adueniens, en adſpice. diues amator
  Te cupit, et curae, quid tibi deſit, habet.
Eſt etiam facies, quae ſe tibi comparet, illi:
  Si te non emtam uellet, emendus erat.
(Erubuit,) decet alba quidem pudor ora: ſed iſte, 35
  Si ſimules, prodeſt: uerus obeſſe ſolet.
Cum bene deiectis gremium ſpectaris ocellis,
  Quantum quisque ferat, reſpiciendus erit:
Forſitan immundae, Tatio regnante, Sabinae
  Noluerint habiles pluribus eſſe uiris. 40
Nunc Mars externis animos exercet in armis:
  At Venus Aeneae regnat in urbe ſui.
Ludite formoſae, caſta eſt, quam nemo rogauit.
  Aut, ſi ruſticitas non uetat, ipſa rogat.
Has quoque, quas frontis rugas in uertice portas, 45
  Excute: de rugis crimina multa cadent.
Penelope iuuenum uires tentabat in arcu:
  Qui latus argueret, corneus arcus erat.
Labitur occulte, fallitque uolubilis aetas:
  Et celer admiſſis labitur amnis aquis. 50
Aera nitent uſu: ueſtis bona quaerit haberi:
  Caneſcunt turpi tecta relicta ſitu.

Forma

31. Al. *Proſit et.*
32. Pa. et D. *quod tibi*, unde Burm. coni. *cultae quod tibi deſit, habet.*
35. Pa. *rubor ora.*
37. Al. *ſpectabis.*
38. Iun. *inſpiciendus.*
39. Al. *Forſitan incultae.*
43. *Ludite* Sa. unus Mo. et Sc. Vulgo *ludunt.*
46. Fr. *pro rugis.*
49. *Volubilis* R. et duo al. Vulgo *uolatilis.*
50. Ita Sa. Vulgo *Et celer adm. l. annus equis.*

Forma, nisi admittas, nullo exercente senescit:
  Nec satis effectus unus et alter habent.
Certior e multis, nec tam inuidiosa rapina est. 55
  Plena uenit canis de grege praeda lupis.
Ecce, quid iste tuus praeter noua carmina uates
  Donat? amatoris millia multa leges.
Ipse Deus uatum, palla spectabilis aurea,
  Tractat inauratae consona fila lyrae. 60
Qui dabit, ille tibi magno sit maior Homero.
  Crede mihi; res est ingeniosa, dare.
Nec tu, si quis erit capitis mercede redemtus,
  Despice, gypsati crimen inane pedis.
Nec te decipiant ueteres quinquatria cerae. 65
  Tolle tuos tecum, pauper amator, auos.
Quid? quia pulcher erit, poscet sine munere noctem?
  Quod det, amatorem flagitet ante suum.
Parcius exigito pretium, dum retia tendis,
  Ne fugiant. captos legibus ure tuis. 70
Nec nocuit simulatus amor. sine credat amari:
  Sed caue, ne gratis hic tibi constet amor.

53. Me. unus *exercente peribit.*
55. R. *in multis.*
58. Iun. *amatorum. Ibid.* Pa. et prima ed. *carmina multa.*
59. Pa. *Deus uates.*
64. Al. *nomen inane.*
65. *Veteres cerae.* P. Vulgo *ueteris. Ib.* D. *quinquennia cerae.* Heins. coni. *ueteres quin atria cerae,* uel *circum atria.*
67. Al. *Quin quia.*
70. Vnus Pa. et duo Mo. *ignibus ure.*
71. Nonnulli *se credat.*
72. *Sed* prima ed. Vulgo *Et.* N. *Sed fuge.*

Saepe nega noctes. capitis modo finge dolorem:
Et modo quae causas praebeat, Isis erit.
Mox recipe; ut nullum patiendi colligat usum, 75
Neue relentescat saepe repulsus amor.
Surda sit oranti tua ianua, laxa ferenti.
Audiat exclusi uerba receptus amans.
Et, quasi laesa prior, nonnumquam irascere laeso.
Vanescat culpa culpa repensa tua. 80
Sed numquam dederis spatiosum tempus in iram;
Saepe simultates ira morata facit.
Quin etiam discant oculi lacrymare coacti:
Et faciant udas illa uel illa genas.
Nec, si quem falles, tu periurare timeto. 85
Commodat illusis numina surda Venus.
Seruus, et ad partes sollers ancilla parentur;
Qui doceant, apte quid tibi possit emi.
Et sibi pauca rogent: multi si pauca rogabunt,
Postmodo de stipula grandis aceruus erit. 90
Et soror, et mater, nutrix quoque carpat amantem.
Fit cito per multas praeda petita manus.
Cum te deficient poscendi munera causae,
Natalem libo testificare tuum.

Ne

74. Sa. *Isis eat.*
80. *Repensa* P. et Ar. Vulgo *repulsa.* Iur. *repressa.*
82. N. *morata dedit.*
83. N. *lacrymare decenter.*
84. Vulgo *ille uel ille.*
86. Al. *Commodat in lusus.* N. *in ludos.*
89. Al. *multos.*
93. *Cum te* meliores. Al. *Cum tibi.*
94. Mo. et N. *testificare diem.*

Ne ſecurus amet, nullo riuale, caueto. 95
Non bene, ſi tollas praelia, durat amor.
Ille uiri toto uideat ueſtigia lecto;
Factaque laſciuis liuida colla notis.
Munera praecipue uideat, quae miſerit alter.
Si tibi nil dederit, ſacra roganda uia eſt. 100
Cum multa abſtuleris, ut non tamen omnia donet;
Quod numquam reddas, commodet uſque roga.
Lingua iuuet, mentemque tegat. blandire, noceque.
Impia ſub dulci melle uenena latent
Haec ſi praeſtiteris, uſu mihi cognita longo, 105
Nec tulerint uoces uentus et aura meas;
Saepe mihi dices uiuae bene: ſaepe rogabis,
Vt mea defunctae molliter oſſa cubent.
Vox erat in curſu, cum me mea prodidit umbra.
At noſtrae uix ſe continuere manus, 110
Quin albam, raramque comam, lacrymoſaque uino
Lumina, rugoſas diſtraherentque genas.
Dî tibi dent nullosque lares, inopemque ſenectam;
Et longas hiemes perpetuamque ſitim.

95. Fr. et quatuor al. *Nec ſecurus.*
97. Tres libri *Alterius uideat toto.* Iun. *certo lecto.*
101. P. *nemo ut tamen.*
102. *Vſque* duo Heinſ. Vulgo *ille.* Al. *ipſa.* Quidam *ipſe.*
103. Pa *blandire nocentem.* Duo al. *nocenti.* Vnus *neceſſe eſt.*
107. *Viuae bene* Sa. a manu pr. et P. Vulgo *uiuas bene.*
109. Al. male *Nox erat.*
112. Vulgo *diſtraherem.* Me. *deſtruerem.*
113. Quinque Heinſ. *nudosque lares.*
114. F. *Per longas*, unde Heinſ. coni. *Fer.* D. *continuas hiemes.*

ELEGIA IX.

Militat omnis amans, et habet ſua caſtra Cupido:
Attice, crede mihi; militat omnis amans.
Quae bello eſt habilis, Veneri quoque conuenit, aetas.
Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.
Quos petiere duces annos in milite forti, 5
Hos petit in ſocio bella puella toro.
Peruigilant ambo: terra requieſcit uterque.
Ille fores dominae ſeruat, at ille ducis.
Militis officium longa eſt uia. mitte puellam;
Strenuus, exemto fine, ſequetur amans. 10
Ibit in aduerſos montes, duplicataque nimbo
Flumina: congeſtas exteret ille niues.
Nec freta preſſurus tumidos cauſabitur Euros;
Aptaue uerrendis ſidera quaeret aquis.
Quis, niſi uel miles, uel amans, et frigora noctis, 15
Et denſo mixtas perferet imbre niues?
Mittitur infeſtos alter ſpeculator in hoſtes:
In riuale oculos alter, ut hoſte, tenet.
Ille graues urbes, hic durae limen amicae
Obſidet:

ELEG. IX. u. 1. Pa. 3 *ſua tela.*
3. Scr. *quoque congruit.*
6. Fr. *Hos petis. Ib.* duo libri *pulchra puella. Ibid.* al. *ſocio uiro*, al. *ſocio tori.*
7. Al. *Euigilant.* Pa. alter *Inuigilant.*
12 Exc. Iur. cum al. *coniectas niues.* Vnus *confertas.* Duo *confectas. Ibid.* al. *conteret ille.*
13. Al. *preſſuras.* Vnus Mo. *pulſurus. Ib.* tres libri *tumidas cauſ. undas.*
14. *Verrendis* Sa. et duo al. Vulgo *uertendis.*
16. Me. alter *denſas mixto.*
19. R. *hic dirae.*

Obſidet: hic portas frangit, at ille fores. 20
Saepe ſoporatos inuadere profuit hoſtes;
Caedere et armata uulgus inerme manu.
Sic fera Threicii ceciderunt agmina Kheſi:
Et dominum capti deſeruiſtis equi.
Saepe maritorum ſomnis utuntur amantes; 25
Et ſua ſopitis hoſtibus arma mouent.
Cuſtodum tranſire manus, uigilumque cateruas,
Militis, et miſeri ſemper amantis opus.
Mars dubius, nec certa Venus; uictique reſurgunt:
Quosque neges umquam poſſe iacere, cadunt. 30
Ergo deſidiam quicumque uocauit amorem,
Deſinat. ingenii eſt experientis amor.
Ardet in abducta Briſeïde magnus Achilles.
Dum licet, Argolicas frangite, Troës, opes.
Hector ab Andromaches complexibus ibat in arma: 35
Et, galeam capiti quae daret, uxor erat.
Summa ducum Atrides, uiſa Priameïde, fertur
Maenadis effuſis obſtupuiſſe comis.
Mars quoque deprenſus fabrilia uincula ſenſit.
Notior in coelo fabula nulla fuit. 40
Ipſe ego ſegnis eram, diſcinctaque in otia natus:
Mollierant animos lectus et umbra meos.

Im-

24. D. *rapti equi.*
25. *Saepe* Sa. pro diu. lect. Vulgo *Nempe.*
26. Vnus Heinſ. *Saeuaque ſopitis. Ibid.* Sa. et Mo. *arma nocent.*
27. Fr. *tranſire oculos.*
31. Al. *uocabit.* P. et quatuor al. *uocabat.*
33. P. aliique multi *moeſtus Achilles.* Quidam *fortis.*
34. Al. *Argiuas opes.*
42. Sa. et duo al. *ſomnus et umbra.*

Impulit ignauum formosae cura puellae;
Iussit et in castris aera merere suis.
Inde uides agilem, nocturnaque bella gerentem. 45
Qui nolet fieri desidiosus, amet.

ELEGIA X.

Qualis ab Eurota Phrygiis auecta carinis,
Coniugibus belli causa duobus erat.
Qualis erat Lede, quam plumis abditus albis
Callidus in falsa lusit adulter aue:
Qualis Amymone siccis errabat in Argis, 5
Cum premeret summi uerticis urna comam:
Talis eras; aquilamque in te taurumque timebam,
Et quicquid magno de Ioue fecit Amor.
Nunc timor omnis abest, animique resanuit error.
Nec facies oculos iam capit ista meos. 10
Cur sim mutatus, quaeris? quia munera poscis.
Haec te non patitur causa placere mihi.
Donec eras simplex, animum cum corpore amaui:
Nunc mentis uitio laesa figura tua est.

Et

45. *Agilem* P. et quatuor al. cum prima ed. Vulgo *uigilem. Ib.* N. *bella mouentem.*

ELEG. X. u. 1. Vulgo *Europa Phryg. aduecta.* Sa. *transuecta.* Quidam *deuecta, euecta, adducta.*

4. Multi libri *Candidus in. Ibid.* Sc. et ed. Bersm. *ludit.*

5. Vulgo *errauit. Ib. Argis* emend. Burm. Vulgo *agris.*

6. Duo libri *urna caput.*

8. Sa. *finxit Amor.*

9. R. *omnis abit. Ibid. resanuit* P. et Ar. Vulgo *euanuit.* Exc. P. Sa. et al. nonnulli *reuanuit.*

11. Prima ed. *praemia poscis.*

Et puer eſt et nudus Amor. ſine ſordibus annos, 15
Et nullas ueſtes, ut ſit apertus, habet.
Quid puerum Veneris pretio proſtare iubetis?
Quo pretium condat, non habet ille ſinum.
Nec Venus apta feris, Veneris nec filius, armis:
Non decet imbelles aera merere Deos. 20
Stat meretrix certo cuiuis mercabilis aere;
Et miſeras iuſſo corpore quaerit opes.
Deuouet imperium tamen haec lenonis auari:
Et, quod uos facitis ſponte, coacta facit.
Sumite in exemplum pecudes ratione carentes. 25
Turpe erit ingenium mitius eſſe feris.
Non equa munus equum, non taurum uacca popoſcit:
Non aries placitam munere captat ouem.
Sola uiro mulier ſpoliis exultat ademtis:
Sola locat noctes: ſola locanda uenit. 30
Et uendit, quod utrumque iuuat, quod uterque petebat:
Et pretium, quanti gaudeat ipſa, facit.
Quae Venus ex aequo uentura eſt grata duobus,
Altera cur illam uendit, et alter emit?
Cur mihi ſit damno, tibi ſit lucroſa uoluptas, 35
Quam ſocio motu femina uirque ferunt?
Non bene conducti uendunt periuria teſtes:
Non bene ſelecti iudicis arca patet.
Turpe, reos emta miſeros defendere lingua:

Quod

15. Optimus Pa. *mundus Amor.*
16. Quinque Heinſ. *ſit opertus.* Ar. *quis ſit opertus.*
21. Gl. *circo euiuis.*
27. Al. *equo, non tauro.*
31. Ed. Gryph. *Et uenit.*
32. P. Pa. alter et Fr. *quanto.*

Quod faciat magnas, turpe, tribunal opes. 40
Turpe, tori reditu census augere paternos,
Et faciem lucro prostituisse suam.
Gratia pro rebus merito debetur inemtis:
Pro male conducto gratia nulla toro.
Omnia conductor soluit: mercede soluta 45
Non manet officio debitor ille tuo.
Parcite, formosae, pretium pro nocte pacisci.
Non habet euentus sordida praeda bonos.
Non fuit armillas tanti pepigisse Sabinas,
Vt premerent sacrae uirginis arma caput. 50
E quibus exierat, traiecit uiscera ferro
Filius: et poenae causa monile fuit.
Nec tamen indignum est, a diuite munera posci.
Munera poscenti quod dare possit, habet.
Carpite de plenis pendentes uitibus uuas: 55
Praebeat Alcinoi poma benignus ager.
Officium pauper numeret, studiumque, fidemque:
Quod quis habet, dominae conferat omne suae.
Est quoque, carminibus meritas celebrare puellas,
Dos mea; quam uolui, nota fit arte mea. 60
Scindentur uestes, gemmae frangentur et aurum:
Carmina quam tribuent, fama perennis erit.

Nec

49. Al. *tanti tetigisse.* B. et ed. prima *pepigisse sinistras.*
51. Med. 2. *uiscera telo.*
53. P. et plures al. *praemia posci.*
54. *Quod dare* P. et unus Mo. Vulgo *quae.*
55. Iun. *splendentes uitibus.*
57. P. et Ar. *numerat.*
60. Al. *nota sit.*
61. Al. *scinduntur* et *franguntur.*
62. Mo. 1, *quam facient.*

Nec dare, ſed pretium poſci dedignor et odi.
Quod nego poſcenti, deſine uelle; dabo.

ELEGIA XI.

Colligere incertos, et in ordine ponere, crines
Docta, neque ancillas inter habenda, Nape;
Inque miniſteriis furtiuae cognita noctis
Vtilis, et dandis ingenioſa notis;
Saepe uenire ad me dubitantem hortata Corinnam; 5
Saepe laboranti fida reperta mihi;
Accipe, et ad dominam peraratas mane tabellas
Perfer; et obſtantes ſedula pelle moras.
Nec ſilicum uenae, nec durum in pectore ferrum,
Nec tibi ſimplicitas ordine maior ineſt. 10
Credibile eſt et te ſenſiſſe Cupidinis arcus;
In me militiae ſigna tuere tuae.
Si quaeret, quid agam; Spe noctis uiuere, dices.
Caetera fert blanda cera notata manu.
Dum loquor, hora fugit. uacuae bene redde tabellas: 15
Verum continuo fac tamen illa legat.
Adſpicias oculos, mando, frontemque legentis.
E tacito uultu ſcire futura licet.
Nec mora: perlectis reſcribat multa iubeto.

Odi,

ELEG. XI. u. 1. Ed. prima et quinque codd. *Colligere incomtos.*

7. Ed. prima *properatas mane.*

10. Al, *Sed tibi. Ibid.* P. et Ar. *maior adeſt.*

13. Vnus Heinſ. *quaerit.* Iun *quaerat. Ib.* P. 2. et Sc. *dicas.*

15. P. *Hora fuit.*

Odi, cum late ſplendida cera uacat. 20
Comprimat ordinibus uerſus, oculosque moretur
Margine in extremo littera raſa meos.
Quid digitos opus eſt graphio laſſare tenendo?
Hoc habeat ſcriptum tota tabella; Veni.
Non ego uictrices lauro redimire tabellas, 25
Nec Veneris media ponere in aede morer.
Subſcribam; Veneri, fidas ſibi, Naſo miniſtras
Dedicat. at nuper uile fuiſtis acer.

ELEGIA XII.

Flete meos caſus: triſtes rediere tabellae:
Infelix hodie littera poſſe negat.
Omina ſunt aliquid. modo cum diſcedere uellet,
Ad limen digitos reſtitit icta Nape.
Miſſa foras iterum limen tranſire memento 5
Cautius; atque alte ſobria ferre pedem.
Ite hinc, difficiles, funebria ligna, tabellae:
Tuque negaturis cera referta notis.
Quam, puto, de longae collectam flore cicutae,
Melle ſub infami Corſica miſit apis. 10
At, tamquam minio, penitus medicata rubebas.
Ille color uere ſanguinolentus erat.

23. *Graphio* P. et Exc. Pol. Vulgo *graphium*. Iur. *graphio laſſare retento*.
26. Al. *moror*.
27. Al. *fidas tibi*. *Ibid.* al. *Naſo tabellas*.
ELEG. XII. u. 3. Plurimi Proieditі et ſcripti male *Omnia ſunt*.
4. Al. *retulit icta*, unde Douza coni. *rettudit*. Fr. *truſerat illa*.
12. Gl. *color certe*.

Proiectae triuiis iaceatis, inutile lignum:
Vosque rotae frangat praetereuntis onus.
Illum etiam, qui uos ex arbore uertit in usum, 15
Conuincam puras non habuisse manus.
Praebuit illa arbor misero suspendia collo:
Carnifici diras praebuit illa cruces.
Illa dedit turpes raucis bubonibus umbras:
Vulturis in ramis et strigis oua tulit. 20
His ego commisi nostros insanus amores,
Molliaque ad dominam uerba ferenda dedi?
Aptius hae capiant uadimonia garrula cerae,
Quas aliquis duro cognitor ore legat.
Inter ephemeridas melius tabulasque iacerent, 25
In quibus absumtas fleret auarus opes.
Ergo ego uos rebus duplices pro nomine sensi?
Auspicii numerus non erat ipse boni.
Quid precer iratus? nisi uos cariosa senectus
Rodat, et immundo cera sit alba situ. 30

ELEGIA XIII.

Iam super Oceanum uenit a seniore marito,
Flaua pruinoso quae uehit axe diem.

Quo

13. Vulgo *in triuiis*. R. *in triuio*.
18. *Diras* a coni. Heins. Vulgo *duras*.
19. P. *rasis bubonibus*. Ar. *raris*. Heins. com. *rauis*.
20. Pa. 3. cum al. *strigis ora*. Duo Heins. *ossa*.
24. Multi codd. *creditor ore*.
ELEG. XIII. u. 1 P. et Ar. *uenit seniore*. Heins. coni. *uenit seniore relicto*.

Quo properas, Aurora? mane ſic Memnonis umbris
Annua ſollenni caede parentet auis.
Nunc iuuat in teneris dominae iacuiſſe lacertis: 5
Si quando, lateri nunc bene iuncta meo eſt.
Nunc etiam ſomni pingues, nunc frigidus humor:
Et liquidum tenui gutture cantat auis.
Quo properas, ingrata uiris, ingrata puellis?
Roſcida purpurea ſupprime lora manu. 10
Ante tuos ortus melius ſua ſidera ſeruat
Nauita; nec media neſcius errat aqua.
Te ſurgit, quamuis laſſus, ueniente uiator:
Miles et armiferas aptat ad arma manus.
Prima bidente uides oneratos arua colentes: 1
Prima uocas tardos ſub iuga panda boues.
Tu pueros ſomno fraudas, tradisque magiſtris;
Vt ſubeant tenerae uerbera ſaeua manus.
Atque eadem ſponſum conſulti ante atria mittis:
Vnius ut uerbi grandia damna ferat. 2
Nec tu cauſidico, nec tu iucunda diſerto:
Cogiti

3. *Vmbris* coni. Micyll. et Heinſ. Vulgo *umbras*. F. *umbra*. Al. nonnulli *umbram*.

4. Sa. et unus V. pro diu. lect. *ſollenni more*. Heinſ. coni. *ſoll. Marte*. *Ibid.* N. et quatuor al. *frequentet auis*.

7. Omnes fere olim editi *frigidus aër*.

8. R. *tereti gutture*.

12. *Neſciūs errat* P. Vulgo *neſcit an erret*.

14. P. *Et miles ſaeuas*.

15. Al. *Prima ſubire iub o. a. colonos*. Iun. *oneratos co la colonos*.

16 B. et Fr. *Prima uid duros*. Duo al. *uocas dure lb.* multi *iuga curua*.

19. Al. *ſponſi conſultum*. a manu ſec. cum al. *ſponſ* a manu pr. *ſponſum cultos*.

20. P. cum al. melior. *j rant*.

21. *Cauſidico* B. Vulgo *co ſulto*.

Cogitur ad lites surgere uterque nouas.
Tu, cum feminei possint cessare labores,
Lanificam reuocas ad sua pensa manum.
Omnia perpeterer. sed surgere mane puellas
Quis, nisi cui non est ulla puella, ferat? 25
Optaui quoties, ne nox tibi cedere uellet;
Neu fugerent uultus sidera mota tuos!
Optaui quoties, aut uentus frangeret axem,
Aut caderet spissa nube retentus equus.
Inuida, quo properas? quod erat tibi filius ater, 30
Materni fuerat pectoris ille color.
[Quid? si non Cephali quondam flagrasset amore,
An putat ignoram nequitiam esse suam?]
Tithóno uellem de te narrare liceret:
Fabula non coelo turpior ulla foret. 35
Illum dum refugis, longo quia frigidus aeuo,
Surgis ad inuisas a sene mane rotas.
At si quem manibus Cephalum complexa teneres;
Clamares; Lente currite noctis equi.
Cur ego plectar amans? si uir tibi marcet ab annis; 40

 Num

23. P. *Tunc cum.* Al. *Tu ne. Ibid. labores* P. Ar. et tres al. Vulgo *lacerti.*

28. Quidam *sidera iussa.* Alius *nota.* Mo. *tacta.*

33. 34. Hoc distichon a mala manu intrusum iudicant Micyllus et Heins. Idem in optimo P. margini adscriptum erat, idque manu recentiori.

36. *Fabula* P. 2. cum Exc. Voss. Vulgo *Femina.*

37. *Quia frigidus aeuo* Herc. Al. *quia marcet ab aeuo* P. et complures al. *quia grandior aeuo.*

39. P. *quem magis Ceph.* Exc. Iur. *quod malles Ceph.*

41. Al. *plector.*

Num me nupſiſti conciliante ſeni?
Adſpice, quot ſomnos iuueni donarit amato
Luna: neque illius forma ſecunda tuae.
Ipſe Deum genitor, ne te tam ſaepe uideret, 45
Commiſit noctes in ſua uota duas.
Iurgia finie am. ſcires audiſſe; rubebat.
Nec tamen adſueto tardius orta dies.

ELEGIA XIV.

Dicebam, Medicare tuos deſiſte capillos.
Tinguere quam poſſis, iam tibi nulla coma eſt.
At, ſi paſſa fores, quid erat ſpatioſius illis?
Contigerant imum, qua patet uſque, latus.
Quid? quod erant tenues, et quos ornare timeres; 5
Vela colorati qualia Seres habent?
Vel pede quod gracili deducit aranea filum,
Cum leue deſerta ſub trabe nectit opus?
Nec tamen ater erat, nec erat tamen aureus illis,
Sed, quamuis neuter, mixtus uterque color. 10
Qualem cliuoſae madidis in uallibus Idae
Ardua

42. *Num* P. et quidam al. e praeſtantior. Vulgo *Non.*
43. Al. *quos ſomnos.*
44. Vulgo *ſecunda tua eſt.*
48. Al. *eſt ſolito tardior.*
ELEG. XIV. u. 2. Vnus Me. *Pingere quam.* Iun. *pectere.* Ed. Plant. *qua poſſis.*
3. *Spatioſius* P. cum duobus al. et Exc. Iur. Vulgo *ſpecioſius.* Pa. 3. *pretioſius.* Mo. 1. *formoſius.*
5. Mo. pro diu. lect. *quos ſpectare* (Heinſ. coni. *pexare*) *deceret.*
7. Med. 2. *quod fragili. Ib.* Sa. *producit. Ib.* Vnus Mo. *aranea furtim.*
8. A. et D. *fingit opus.*
9. P. et quidam al. *neque er. t. aur. ille.* Vulgo *nec erat color aureus ille.*

Ardua derepta cortice cedrus habet.
Adde, quod et dociles, et centum flexibus apti,
Et tibi nullius causa doloris erant.
Non acus abrupit, non uallus pectinis, illos: 15
Ornatrix tuto corpore semper erat.
Ante meos saepe est oculos ornata: nec umquam
Brachia derepta saucia fecit acu.
Saepe etiam, nondum digestis mane capillis,
Purpureo iacuit semisupina toro. 20
Tum quoque erat neglecta decens: ut Threcia Bacche,
Cum temere in uiridi gramine lassa iacet.
Cum graciles essent tamen, et lanuguinis instar;
Heu mala uexatae quanta tulere comae!
Quam se praebuerunt ferro patienter et igni; 25
Vt fieret torto flexilis orbe sinus!
Clamabam, Scelus est, istos scelus urere crines.
Sponte decent: capiti, ferrea, parce tuo.
Vim procul hinc remoue. non est qui debeat uri;

12. *Derepta* scribit Heins. e uestigiis optimi Pa in quo *directa*. P. *derepto*. Vulgo *direpto*.
13. Tres libri *et faciles*, duo *fragiles*.
15. *Vallus* Ar. Vulgo *uallum*.
18. *Derepta* P. Vulgo *direpta* Nonnulli *directa*.
20. *Semisupina* P. et al. meliores. Vulgo *semisopita*. Edd. quaedam *semisepulta*.
21. *Threcia* P. Vulgo *Thracia*. Duo V. *tetrica*, et *territa*.
23. Sa. et V. unus *essent tamquam lanug*. Me. et unus Med. *tantum*. Vnus Heins. *Cum et lanugines*. Exc. Iur. *tamen et sunt luminis instar*.
24. Al. *male*.
25. *Praebuerunt* coni. Heins. Nam duo libri *praebuerint*. Vulgo *praebuerant*.
26. Al. *nexilis orbe*.

Erudit admotas ipſe capillus acus. 30
Formoſae periere comae: quas uellet Apollo,
Quas uellet capiti Bacchus ineſſe ſuo.
Illis contulerim, quas quondam nuda Dione
Pingitur humenti ſuſtinuiſſe manu.
Quid male diſpoſitos quereris periiſſe capillos? 35
Quid ſpeculum moeſta ponis, inepta, manu?
Non bene conſuetis a te ſpectaris ocellis.
Vt placeas, debes immemor eſſe tui.
Non te cantatae laeſerunt pellicis herbae;
Non anus Haemonia perfida lauit aqua. 40
Nec tibi uis morbi nocuit; (procul omen abeſto)
Nec minuit denſas inuida lingua comas.
Facta manu culpaque tua diſpendia ſentis.
Ipſa dabas capiti mixta uenena tuo.
Nunc tibi captiuos mittet Germania crines: 45
Culta triumphatae munere gentis eris.
O quam ſaepe, comas aliquo mirante, rubebis;
Et dices, Emta nunc ego merce probor!
Neſcio quam pro me laudat nunc iſte Sygambram;
Fama tamen, memini, cum fuit iſta mei. 50
Me miſerum! lacrymas male continet; oraque dextra
Pro-

35. *Diſpoſitos* meliores cum P. Vulgo *compoſitos*.
40. Al. *laeſit aqua*.
42. Al. *Nec timuit*.
46. P. aliique complures male *Tuta triumph*. Sa. *Pulchra*.
47. Mo. 2. *ſaepe aliquo uultum mirante*.
49. *Sygambram* P. Vulgo *Sicambram*.
50. N. et R. *Forma tamen*. *Ibid. mei* tres ſcripti. Vulgo *mea*.

Protegit, ingenuas picta rubore genas.
Sustinet antiquos gremio spectare capillos,
(Hei mihi!) non illo munera digna loco.
Collige cum uultu mentem. reparabile damnum est. 55
Postmodo natiua conspiciere coma.

ELEGIA XV.

Quid mihi, Liuor edax, ignauos obiicis annos;
Ingeniique uocas carmen inertis opus?
Non me more patrum, dum strenua sustinet aetas,
Praemia militiae puluerulenta sequi:
Nec me uerbosas leges edisceré: nec me 5
Ingrato uocem prostituisse foro.
Mortale est, quod quaeris, opus, mihi fama perennis
Quaeritur in toto semper ut orbe canar.
Viuet Maeonides, Tenedos dum stabit et Ide:
Dum rapidas Simoïs in mare uoluet aquas. 10
Viuet et Ascraeus, dum mustis uua tumebit:
Dum cadet incurua falce resecta Ceres.
Battiades semper toto cantabitur orbe;
Quamuis ingenio non ualet, arte ualet.
Nulla Sophocleo ueniet iactura cothurno. 15
Cum Sole et Luna semper Aratus erit.
Dum fallax seruus, durus pater, improba lena
Viuent, dum meretrix blanda, Menandros erit.
Ennius arte carens, animosique Accius oris,

 Casu-

52. Mo. *tincta rubore.*
53. *Spectare* sex scripti cum Exc. Iur. Al. *spectatque.*
54. Fr. *crimina digna.*
55. B. et Pa. 3. *Corrige cum.*
ELEG. XV. u. 12. P. et al. plurimi male *resecta seges.*

Casurum nullo tempore nomen habent. 20
Varronem primamque ratem quae nesciat aetas,
Aureaque Aesonio terga petita duci?
Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
Exitio terras cum dabit una dies.
Tityrus, et fruges, Aeneïaque arma legentur, 25
Roma, triumphati dum caput orbis eris.
Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,
Discentur numeri, culte Tibulle, tui.
Gallus et Hesperiis, et Gallus notus Eoïs,
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit. 30
Ergo, cum silices, cum dens patientis aratri,
Depereant aeuo, carmina morte carent.
Cedant carminibus Reges, Regumque triumphi:
Cedat et auriferi ripa beata Tagi.
Vilia miretur uulgus. mihi flauus Apollo 35
Pocula Castaliae plena ministret aquae.
Sustineamque coma metuentem frigora myrtum:
Atque a sollicito multus amante legar.
Pascitur in uiuis Liuor: post fata quiescit,
Cum suus ex merito quemque tuetur honos. 40
Ergo etiam, cum me supremus adederit ignis,
Viuam: parsque mei multa superstes erit.

---

25. Al *et segetes.*
26. *Eris* optimus Pa. et unus Mo. Vulgo *erit.*
28. Al. *Dicentur num.*
34. P. et plures al. *ripa benigna.*
36. *Castaliae aquae* alter Pol. pro *Castalia aqua.*
38. Vulgo *Atque ita soll.*
40. Vulgo *Tunc suus.*
41. *Adederit* P. Vulgo *adusserit.*
42. Al. *mei magna.*

P. OVIDII NASONIS AMORVM LIBER SECVNDVS.

ELEGIA I.

Hoc quoque composui, Pelignis natus aquosis,
Ille ego nequitiae Naso Poëta meae.
Hoc quoque iussit Amor. procul hinc, procul este seuerae:
Non estis teneris apta theatra modis.
Me legat in sponsi facie non frigida uirgo: 5
Et rudis ignoto tactus amore puer.
Atque aliquis iuuenum, quo nunc ego, saucius arcu,
Agnoscat flammae conscia signa suae:
Miratusque diu, Quo, dicat, ab indice doctus
Composuit casus iste Poëta meos? 10
Ausus eram (memini) coelestia dicere bella,
Centimanumque Gygen; et satis oris erat:
Cum male se Tellus ulta est, ingestaque Olympo
Ardua deuexum Pelion Ossa tulit.
In manibusque nimbos, et cum Ioue fulmen habenti, 15

ELEG. I u. 3. *Seuerae* tres codd. Heins. et Fr. ulgo *seueri.*
5 Duo Mo. *faciem.*
6. Mo. unus *captus amore.*
12. Pa. *Gyan.* Al. *Gygam.*
13. Libri quatuor Heins. et prima ed. *congestaque.* Mo. unus *iniectaque.*
15. *Habenti* unus Mo. Sa. Ar. P. et quinque al. cum pr. edit. *habebam.* Caeteri *Iupi-*

Quod bene pro coelo mitteret ille suo,
Clausit amica fores, ego cum Ioue fulmen omisi.
Excidit ingenio Iupiter ipse meo.
Iupiter, ignoscas: nil me tua tela iuuabant.
Clausa tuo maius ianua fulmen erat. 20
Blanditias elegosque leues, mea tela, resumsi;
Mollierunt duras lenia uerba fores.
Carmina sanguineae deducunt cornua Lunae;
Et reuocant niueos Solis euntis equos.
Carmine dissiliunt, abruptis faucibus, angues, 25
Inque suos fontes uersa recurrit aqua.
Carminibus cessere fores: insertaque posti,
Quamuis robur erat, carmine uicta sera est.
Quid mihi profuerit uelox cantatus Achilles?
Quid pro me Atrides alter et alter agant? 30
Quique tot errando, quot bello, perdidit annos?
Raptus et Haemoniis flebilis Hector equis?
At, facie tenerae laudata saepe puellae,

Ad

ter in manibus et cum I. f. habebam, uel *In manibusque Iouem, et cum I. f. habebam.*

17. Multi *fulmina misi.*

19. P. Pa. optimus N. Ar. et quinque al. *tua uerba.* Al. *bella.* D. *facta.*

20. *Erat* R. et Med. unus cum Exc. Iur. et Pol. Vulgo *habet.*

22. *Mollierunt* P. Vulgo *Mollierant. Ib.* Sc. *mollia uerba.* B. et V. *dulcia.*

24. Duo Heins. *niueos carmina Solis equos.*

28. Vnus Mo. *mota sera est.*

29. Fr. cum al. *uictor cant.*

30. Al. *pro me Aiaces*, Al. *Quid mihique Atrides, Quid uero Atrides, Quidue aromethides*, et simil.

33. *Facie* pro *facies* rescripsit Heins. *Ibid. tenerae laudata* meliores. Vulgo *tenerae ut laudata est.* N. et Ar. *tenerae laudatae.* Al. *laudataque.*

Ad uatem, pretium carminis, ipsa uenit.
Magna datur merces. heroum clara valete
Nomina: non apta est gratia uestra mihi.
Ad mea formosae uultus adhibete puellae
Carmina, purpureus quae mihi dictat Amor.

ELEGIA II.

Quem penes est dominam seruandi cura, Bogoë,
Dum perago tecum pauca, sed apta, uaca.
Hesterna uidi spatiantem luce puellam,
Illa, quae Danai porticus agmen habet.
Protinus, ut placuit, misi, scriptoque rogaui.
Rescripsit trepida, Non licet, illa manu.
Et, cur non liceat, quaerenti, reddita causa est;
Quod nimium dominae cura molesta tua est.
Si sapis, ô custos, odium (mihi crede) mereri
Desine. quem metuit quisque, perisse cupit.
Vir quoque non sapiens: quid enim seruare laboret,
Vnde nihil, quamuis non tueare, perit?
Sed gerat ille suo morem furiosus amori:
Et castum, multis quod placet, esse putet.
Huic furtiua tuo libertas munere detur;
Quam dederis illi, reddat ut illa tibi.
Conscius esse uelis: domina est obnoxia seruo.

Conscius

37. *Formosae* Sa. Vulgo *formosos.*

ELEG. II. u. 5. Al. *noctemque rogaui.*

14. Al. *castam multis quae.* *Ib.* al. *ipse putet.*

16. N. et duo al. *Quod ded.*

Conſcius eſſe times: diſſimulare licet.
Scripta leget ſecum: matrem miſiſſe putato.
Venerit ignotus: poſtmodo notus eat. 20
Ibit ad affectam, quae non languebit, amicam
Viſere; iudiciis aegra fit illa tuis.
Si faciet tarde, ne te mora longa fatiget,
Impoſita gremio ſtertere fronte potes.
Nec tu, linigeram fieri quid poſſit ad Iſin, 25
Quaeſieris: nec tu curua theatra time.
Conſcius aſſiduos commiſſi tollet honores.
Quis minor eſt autem, quam tacuiſſe, labor?
Ille placet, uerſatque domum, neque uerbera ſentit:
Ille potens: alii, ſordida turba, iacent. 30
Huic, uerae ut lateant cauſae, finguntur inanes:
Atque ambo domini, quod probat una, probant.
Cum bene uir traxit uultum, rugasque coëgit,
Quod uoluit fieri blanda puella, facit.
Sed tamen interdum tecum quoque iurgia nectat; 35
Et ſimulet lacrymas, carnificemque uocet.

Tu

19. *Miſiſſe* P. Vulgo *ſcripſiſſe.*
20. Al. *notus erit.*
21. Vulgo *ut affectam.* Al. *ad afflictam.*
22. *Viſere* corr. Heinſ. Vulgo *Viſat et indiciis.* P. 2. *Viſet et indiciis.* Sa. et quatuor al. *Viſaque iudiciis.*
24. Al. *fronte pates.*
25. Al. *Niligenam fieri.* Herique Heinſ. *lanigeram.*
27. Edd. priſcae *aſſiduus. Ibid.* Mo. et quidam al. *tollet amores.*
28. Prima ed. cum ſcriptis quibusdam *eſt umquam.* Mo. a manu pr. *eſt homini.*
30. Ita P. Me. et Ar. Alii codd. *potens dominae: caetera turba.* Quidam *Ille placet dominae, ſordida turba*, uel *caetera turba.*
35. P. 2. *iurgia uertat.*

Tu contra obiiciens, quae tuto diluat illa,
  In uerum falſo crimine deme fidem.
Sic tibi ſemper honos, ſic curta peculia creſcent:
  Haec face, et exiguo tempore liber eris. 40
Adſpicis indicibus nexas per colla catenas:
  Squalidus orba fide pectora carcer habet.
Quaerit aquas in aquis, et poma fugacia captat
  Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit.
Dum nimium ſeruat cuſtos Iunonius Iö, 45
  Ante ſuos annos occidit; illa Dea eſt.
Vidi ego compedibus liuentia crura gerentem,
  Vnde uir inceſtum ſcire coactus erat.
Poena minor merito. nocuit mala lingua duobus.
  Vir doluit; famae damna puella tulit. 50
Crede mihi; nulli ſunt crimina grata marito:
  Nec quemquam, quamuis audiat illa, iuuant.
Seu tepet, indicium ſecuras perdis ad aures;
  Siue amat, officio fit miſer ille tuo.
Culpa nec ex facili, quamuis manifeſta, probatur. 55
  Iudicis illa ſui tuta fauore uenit.

Viderit

37. *Obiiciens* reponit Heinſ. pro *obiicies*. *Ibid.* D. *quod tuto*.

38. *In uerum* P. Vulgo *In uero*. Sa. *Et ueri*. Al. *In ueram falſo*, *In ueri falſo*, *In falſo ueri*, *In falſo ueram*. Scr. *Et ueram in falſo*. Prima ed. *In ficto ueri*. Fr. *I uerum*. Heinſ. coni. *I ueram*, uel *I ueris*.

39. *Curta* coni. Heinſ. quia in Exc. Iur. (it. in Fr.) eſt *orta peculia creſcent*. P. Exc. P. et 4. al. codd. *alta peculia creſcent*. Vulgo *ſic alta pecunia creſcet*.

40. Al. *Haec facis exiguo*.

49. Iun. *mala fama*.

53. Al. *prodis ad*. Exc. Iur. *pergit*.

50. Me. *fauore manet*.

Viderit ipſe licet; credet tamen ipſe negenti:
Damnabitque oculos; et ſibi uerba dabit.
Adſpiciat dominae lacrymas; plorabit et ipſe:
Et dicet, Poenas garrulus iſte dabit. 60
Quam diſpar certamen inis! tibi uerbera uicto
Adſunt: in gremio iudicis illa ſedet.
Non ſcelus aggredimur: non ad miſcenda coïmus
Toxica: non ſtricto fulminat enſe manus.
Quaerimus, ut tuto per te poſſimus amare. 65
Quid precibus noſtris mollius eſſe poteſt?

ELEGIA III.

Hei mihi, quod dominam, nec uir nec femina, ſeruas;
Mutua nec Veneris gaudia noſſe potes.
Qui primus pueris genitalia membra recidit,
Vulnera, quae fecit, debuit ipſe pati.
Mollis in obſequium, facilisque rogantibus eſſes; 5
Si tuus in quauis praetepuiſſet amor.
Non tu natus equo, non fortibus utilis armis:
Bellica non dextrae conuenit haſta tuae.
Iſta mares tractent: tu ſpes depone uiriles.

Sint

59. *Adſpiciat* P. Vulgo *Adſpiciet.*
61. *Quam* Exc. Iur. et Pol. cum uno Med. et F. Vulgo *Quid.* Tres MSS. ed Gryph., et margo Berſm. *Cur. Ibid.* Fr. *uerbera iuſto.*
ELEG. III. u. 2. N. et Exc D. *gaudia ferre.* Pa. *ſcire.*
5. Meliores *in officium.* Iidem *placidusque rogantibus.* Duo *precantibus.*
6. P. 2. Fr. et tres al. *parte fuiſſet amor.*
9. Al. *tractant.*

Sint tibi cum domina ſigna ferenda tua. 10
Hanc imple meritis: huius tibi gratia proſit.
Si careas illa, quis tuus uſus erit?
Eſt etiam facies, ſunt apti luſibus anni.
Indigna eſt pigro forma perire ſitu.
Fallere te potuit, quamuis habeare moleſtus: 15
Non caret effectu, quod uoluere duo.
Aptius ut fuerit precibus tentaſſe, rogamus:
Dum bene ponendi munera tempus habes.

ELEGIA IV.

Non ego mendoſos auſim defendere mores;
Falſaque pro uitiis arma mouere meis.
Confiteor; ſi quid prodeſt delicta fateri:
In mea nunc demens crimina, faſſus, eo.
Odi: nec poſſum cupiens non eſſe, quod odi. 5
Heu quam, quae ſtudeas ponere, ferre graue eſt!
Nam deſunt uires ad me mihi iusque regendum.
Auferor, ut rapida concita puppis aqua.
Non eſt certa meos quae forma irritet amores.
Centum ſunt cauſae, cur ego ſemper amem. 10

Siue

10. *Sint* tres Heinſ. Vulgo *Sunt*.
15. Pa. 2. *te poterit*.
17. Al. *ut fieret*.
17. D. et ed. prima *tentare*.
18. Sc. *bene praeſtandi*.
ELEG. IV. u. 3 Duo libri et ed. prima *ſed quid*.
5. Plures ſcripti *odiſſe quod odi*. Al. *non noſſe quod odi*.
6. *Quae* P. V. unus et prima ed. Vulgo *quod*. Ar. *Heu quamquam ſt*.
7. Iun. *in me*
9. Sa. a manu ſec. *eſt una*. *Ibid.* uulgo *iuuitet amores*.

Siue aliqua eſt oculos in ſe deiecta modeſtos;
Vror: et inſidiae ſunt pudor ille meae.
Siue procax aliqua eſt; capior, quia ruſtica non eſt:
Spemque dat in molli mobilis eſſe toro.
Aſpera ſi uiſa eſt, rigidasque imitata Sabinas; 15
Velle, ſed ex alto diſſimulare, puto.
Siue es docta; places raras dotata per artes:
Siue rudis; placita es ſimplicitate tua.
Eſt, quae Callimachi prae noſtris ruſtica dicat
Carmina: cui placeo, protinus ipſa placet. 20
Eſt etiam, quae me uatem, et mea carmina culpet:
Culpantis cupiam ſuſtinuiſſe femur.
Molliter incedit; motu capit. altera dura eſt;
At poterit tacto mollior eſſe uiro.
Haec quia dulce canit, flectitque facillima uocem; 25
Oſcula cantanti rapta dediſſe uelim.
Haec querulas agili percurrit pollice chordas;
Tam doctas quis non poſſit amare manus?
Illa placet geſtu, numeroſaque brachia ducit,

Illa

11. *In ſe* Iun. Fr. et Exc. Iur. Vulgo *in me.*
12. B. et Mo. 2. *fit pudor.*
13. Ed. Gryph. et Berſin. *ulla eſt.*
15. Pa. *ſecuta Sabinas.*
17. *Es docta, places* P. Pa. optimus et quidam al. Vulgo *eſt docta, placet.*
18. Ita Pa. optimus B. et duo al. Vulgo *pl. eſt ſimpl. ſua.* P. *places ſimpl. tua.* Ar. N. B. Fr. et duodecim al. *capior ſimpl.*
22. M. 2. *Culpantis uellem.*
23. P. cum al. *inceſſit.*
25. Vnus Med. *flectique.*
27. *Agili* Exc. Iur. ac P. et tres ſcripti. Vulgo *habili. Ibid.* unus Pa. *praetendet pollice.* Duo ſcripti et ed. prima *praetentat.* M. 2. *deducit.*
29. Al. *brachia mouit,* uel *iactat.*

Et tenerum molli torquet ab arte latus: 30
Vt taceam de me, qui causa tangor ab omni,
Illic Hippolytum pone; Priapus erit.
Tu, quia tam longa es, ueteres Heroidas aequas:
Et potes in toto multa iacere toro.
Haec habilis breuitate sua. corrumpor utraque. 35
Conueniunt uoto longa breuisque meo.
Non est culta; subit quid cultae accedere possit.
Ornata est; dotes exhibet illa suas.
Candida me capiet, capiet me flaua puella:
Est etiam fusco grata colore Venus. 40
Seu pendent niuea pulli ceruice capilli;
Leda fuit nigra conspicienda coma.
Seu flauent; placuit croceis Aurora capillis.
Omnibus historiis se meus aptat amor.
Me noua sollicitat, me tangit serior aetas: 45
Haec melior specie corporis: illa sapit.
Denique quas tota quisquam probet Vrbe puellas,
Noster in has omnes ambitiosus amor.

ELEGIA V.

Nullus amor tanti est; (abeas, pharetrate Cupido)
Vt mihi sint toties maxima uota mori.
Vota mori mea sunt, cum te peccasse recordor.
Hei

34. D. *sola iacere.*
40. *Etiam fusco* unus Mo. et B. Vulgo *etiam in fusco.*
43. D. *Europa capillis.*
46. Ita sex Heinl. Fr. et al. P. cum al. *illa placet.* Al. *moribus illa placet.*
47. Vulgo *probat.* Optimus Pa. *quas laudet in urbe.*

Hei mihi, perpetuum nata puella malum!
Non mihi deletae nudant tua facta tabellae: 5
Non data furtiue munera crimen habent.
O utinam arguerem ſic, ut non uincere poſſem!
Me miſerum! quare tam bona cauſa mea eſt?
Felix, qui quod amat defendere fortiter audet:
Cui ſua, Non feci, dicere amica poteſt. 10
Ferreus eſt, nimiumque ſuo fauet ille dolori,
Cui petitur uicta palma cruenta rea.
Ipſe miſer uidi, cum me dormire putares,
Sobrius appoſito crimina ueſtra mero.
Multa ſupercilio uidi uibrante loquentes. 15
Nutibus in ueſtris pars bona uocis erat.
Non oculi tacuere tui, conſcriptaque uino
Menſa; nec in digitis littera nulla fuit.
Sermonem agnoui, quod non uideatur, agentem;
Verbaque pro certis iuſſa ualere notis. 20
Iamque frequens iërat menſa conuiua remota:
Compoſiti iuuenes unus et alter erant.
Improba tum uero iungentes oſcula uidi.
Illa mihi lingua nexa fuiſſe liquet.
Qualia nec fratri tulerit germana ſeuero; 25
Sed

ELEG. V. u. 4. Duo Mo. *O mihi.*

5. *Deletae* optimus Pa. Vulgo *deceptae*. Sa. *decepto.*

14. Exc. P. *appoſita manu.*

19. Al. per parentheſin *agnoui*, (*quid non uideatur amanti?*)

20. *Iuſſa* uterque V. Vulgo *uiſa*. M. *uiſa fuere.*

21. Al. *conuiua relicta.*

22. Iun. *alter et alter.*

23. Fr. et unus Mo. *uere iungentes.*

Sed tulerit cupido, mollis a mica uiro:
Qualia credibile eſt nec Phoebum ferre Dianae;
Sed Venerem Marti ſaepe tuliſſe ſuo.
Quid facis, exclamo; quo nunc mea gaudia defers?
Iniiciam dominas in mea iura manus.
Haec tibi ſint mecum, mihi ſint communia tecum:
In bona cur quiſquam tertius iſta uenit?
Hoc ego; quaeque dolor linguae dictauit: at illi
Conſcia purpureus uenit in ora pudor.
Quale coloratum Tithoni coniuge coelum
Subrubet, aut ſponſo uiſa puella nouo.
Quale roſae fulgent inter ſua lilia mixtae:
Aut ubi cantatis Luna laborat equis:
Aut quod, ne longis flaueſcere poſſit ab annis,
Maeonis Aſſyrium femina tinxit ebur.
His erat, aut alicui color ille ſimillimus horum:
Et nunquam caſu pulchrior illa fuit.
Spectabat terram; terram ſpectare decebat.
Moeſta erat in uultu; moeſta decenter erat.
Sicut erant, (et erant culti) laniare capillos,
Et fuit in teneras impetus ire genas.

26. Optimus Pa. et N. *cupido ſuo.*
27. Edd. antiquae et Gryph. et Berſm. *credendum eſt.*
29. *Defers* N. et quatuor al. cum Exc. Scal. Vulgo *differs.*
31. *Sint* Me. utroque loco. Vulgo *ſunt.*
34. Quidam ſcripti *ora rubor.*
37. D. *roſae ſplendent. Ib.* Mo. 1. a manu pr. *inter noua.*
41. Ita P. Sa. et al. Vulgo *Hic erat aut aliquis.*
42. V. *Et nusquam.*
45. Vulgo *erant comti.*
46. Quinque MSS et prima ed. *laniare capillos Mens fuit.*

Vt faciem uidi, fortes cecidere lacerti:
Defensa est armis nostra puella suis.
Qui modo saeuus eram, supplex ultroque rogaui,
Oscula ne nobis deteriora daret.
Risit, et ex animo dedit optima: qualia possent
Excutere irato tela trisulca Ioui.
Torqueor infelix, ne tam bona sumserit alter:
Et uolo non ex hac illa fuisse nota.
Haec quoque, quam docui, multo meliora fuerunt;
Et quiddam uisa est addidicisse noui.
Quod nimium placuere, malum est: quod tota labellis
Lingua tua est nostris, nostra recepta tuis.
Nec tamen hoc unum doleo: non oscula tantum
Iuncta queror; quamuis haec quoque iuncta queror:
Illa, nisi in lecto, nusquam potuere doceri.
Nescio quis pretium grande magister habet.

ELEGIA VI.

Psittacus, Eois imitatrix ales ab Indis,
Occidit. exequias ite frequenter, aues.
Ite, piae uolucres, et plangite pectora pennis;
Et

51. *Optima* P. Ar. et tres al. Vulgo *oscula.*
53. Vulgo *senserit alter.*
54. Vnus Mo. *Et uellem.*
60. *Haec quoque* alter M. Vulgo *haec ego.* Vnus M. *nunc quoque.*
61. *Nusquam* P. et al. nonnulli. Vulgo *numquam.*

ELEG. VI. u. 1. *Imitatrix ales* P. R. unus Mo. et al. Vulgo *ales mihi missus.* Al. *ales transmissus.* F. *nuper mihi missus.* Iun. *ales tibi missus.* Ma. 2. *missus ab oris.*
2. Vulgo *exequias ferte.*
3. Ar. *passis plangite pennis.*

Et rigido teneras ungue notate genas.
Horrida pro moeſtis lanietur pluma capillis: 5
Pro longa reſonent carmina ueſtra tuba.
Quid ſcelus Iſmarii quereris, Philomela, tyranni?
Expleta eſt annis iſta querela ſuis.
Alitis in rarae miſerum deuertite funus.
Magna, ſed antiqui, cauſa doloris Itys. 10
Omnes, quae liquido libratis in aëre curſus;
Tu tamen ante alias, turtur amice, dole.
Plena fuit uobis omni concordia uita,
Et ſtetit ad finem longa tenaxque fides.
Quod fuit Argolico iuuenis Phoceus Oreſtae: 15
Hoc tibi, dum licuit, Pſittace, turtur erat.
Quid tamen iſta fides? quid rari forma coloris?
Quid uox mutandis ingenioſa ſonis?
Quid iuuat, ut datus es, noſtrae placuiſſe puellae?
Infelix auium gloria, nempe iaces. 20
Tu poteras uirides pennis hebetare Zmaragdos,
Tincta gerens rubro punica roſtra croco.
Non fuit in terris uocum ſimulantior ales:

5. N. *Arida pro. Ib.* Med. *pro multis.* Burm. coni. *cultis.*
6. Vnus Med. *carmina noſtra.* Burm. coni. *roſtra.*
7. P. *Quod ſcelus.*
9. Al. *diuertite.*
10. *Antiqui* Sa. Vulgo *antiqua eſt.*
11. Al. *uibratis in. Ib. curſus* meliores, Vulgo *pennas.*
12. V. et unus R. a manu ſec. *turtur amica.*
14. Fragmentum Pat. et ed. prima *firma tenaxque.*
18. Al. *ingenioſa notis.*
20. Pa. *nempe taces.*
21. P. cum multis al. *poteras fragiles.*
23. Quidam libri uett. *ſimulacior*, et *ſimulatior.*

Reddebas blaeſo tam bene uerba ſono.
Raptus es inuidia. non tu fera bella mouebas: 25
Garrulus, et placidae pacis amator eras.
Ecce, coturnices inter ſua proelia uiuunt:
Forſitan et fiant inde frequenter anus.
Plenus eras minimo: nec prae ſermonis amore
In multos poteras ora uacare cibos. 30
Nux erat eſca tibi; cauſaeque papauera ſomni:
Pellebatque ſitim ſimplicis humor aquae.
Viuit edax uultur, ducensque per aëra gyros
Milüus, et pluuiae graculus auctor aquae.
Viuit et armiferae cornix inuiſa Mineruae; 35
Illa quidem ſeclis uix moritura nouem.
Occidit ille loquax, humanae uocis imago,
Pſittacus, extremo munus ab orbe datum.
Optima prima fere manibus rapiuntur auaris;
Implentur numeris deteriora ſuis. 40
Triſtia Phyllacidae Therſites funera uidit:
Iamque cinis, uiuis fratribus, Hector erat.
Quid referam timidae pro te pia uota puellae;
Vota,

24. Pa. 3. *blando ſono.*
27. Al. *fera proelia.* Quidam ſcripti et ed. *ſua prandia.*
28. *Fiant* P. et unus Mo. Vulgo *fiunt.* Nonnulli *fient.*
29. Fr. *Parcus eras potu: nec.*
30. *Vacare* P. et Ar. Multi *uocare.* Vnus V. *ore uacare.* Al. *poterant ora uacare.*
31. N. *ſomnis.*
33. *Ducensque* unus V. et F. Vulgo *ducitque.*
34. Vulgo *Miluius.*
35. Al. *armigerae.*
36. Quidam *moritura decem.*
37. *Ille* ſex ſcripti. Vulgo *illa.*
39. P. 2. Pa. et duo alii *Optima quaeque.*

Vota, procelloſo per mare rapta Noto?
Septima lux aderat, non exhibitura ſequentem: 45
Et ſtabat uacua iam tibi Parca colo.
Nec tamen ignauo ſtupuerunt uerba palato.
Clamauit moriens lingua, Corinna, uale.
Colle ſub Elyſio nigra nemus ilice frondens,
Vdaque perpetuo gramine terra, uiret. 50
Si qua fides dubiis; uolucrum locus ille piarum
Dicitur, obſcenae quo prohibentur aues.
Illic innocui late paſcuntur olores:
Et uiuax Phoenix, unica ſemper auis;
Explicat ipſa ſuas ales Iunonia pennas: 55
Oſcula dat cupido blanda columba mari.
Pſittacus has inter, nemorali ſede receptus,
Conuertis uolucres in ſua uerba pias.
Oſſa tegit tumulus: tumulus pro corpore paruus:
Quo lapis exiguus par ſibi carmen habet: 60
Colligor ex ipſo dominae placuiſſe ſepulcro.
Ora fuere mihi plus aue docta loqui.

45. Al. *lux uenit.*
49. *Frondens* Exc. Pol. et unus Med. Vulgo *frondet.*
55. Multi *Explicat atque.* Al. *Spectat et ipſa*, uti ed. Micyll. et Berſm.
56. Tres libri *dat placido.*
58. Quidam codd. *in pia uerba.* Vulgo *in ſua uota.*
59. *Paruus* P. 2. cum Exc. Voſſ. Vulgo *magnus.* Exc. Pol. *paruo.*
60. Al. *nomen habet.*

ELEGIA VII.

Ergo ego ſufficiam reus in noua crimina ſemper?
Vt uincam, toties dimicuiſſe piget.
Siue ego marmorei reſpexi ſumma theatri;
Eligis e multis, unde dolere uelis,
Candida ſeu tacito uidit me femina uultu; 5
In uultu tacitas arguis eſſe notas.
Si quam laudaui; miſeros petis ungue capillos:
Si culpo; crimen diſſimulare putas.
Siue color bonus eſt, in te quoque frigidus eſſe;
Seu malus, alterius dicor amore mori. 10
Atque ego peccati uellem mihi conſcius eſſem.
Aequo animo poenam, qui meruere, ferunt.
Nunc temere inſimulas: credendoque omnia fruſtra,
Ipſa uetas iram pondus habere tuam.
Adſpice, ut auritus miſerandae ſortis aſellus, 15
Aſſiduo domitus uerbere lentus eat.
Ecce, nouum crimen, ſollers ornare Cypaſſis,
Obiicitur dominae contemeraſſe torum.

Dî

ELEG. VII. u. 2. *Piget* meliores. Vulgo *pudet*.

7. Fr. et tres al *Seu quam*. *Ibid*. P. *miſero*. *Ibid*. Pa. *ſapis ungue*, unde Burm. coni. *rapis*.

8. Fr. et Pa. *Seu culpo*. Quidam *Si cui do crimen*.

10. V. et Pa. 1. *amore frui*. P. *capi*.

11. Quidam codd. *uellem modo*. *Ibid*. al. *eſſe*.

13. N. cum Exc. Scal. et P. *temere inſultas*.

16. Al. *tardus eat*, uel *erat*.

17. Al. *Ecce tuum ſollers caput exornare*. Duo Heinſ. *Ecce* (*nouum crimen*) *ſollers ancilla*. D. *Ecce tuum crimen ſollers ornare*.

Di melius, quam me, si sit peccasse libido,
Sordida contemtae sortis amica iuuet! 20
Quis Veneris famulae connubia liber inire,
Tergaque complecti uerbere secta uelit?
Ade, quod ornandis illa est operata capillis;
Et tibi per doctas grata ministra manus.
Scilicet ancillam, quae tam tibi fida, rogarem? 25
Quid? nisi ut indicio iuncta repulsa foret?
Per Venerem iuro, puerique uolatilis arcus,
Me non admissi criminis esse reum.

ELEGIA VIII.

Ponendis in mille modos perfecta capillis,
Comere sed solas digna, Cypassi, Deas;
Et mihi iucundo non rustica cognita furto;
Apta quidem dominae, sed magis apta mihi;
Quis fuit inter nos sociati corporis index? 5

19. Al. *quam sic mihi sit pecc.* Duo M. *quam me sic sit peccare* (M. 2. *peccasse*) *uoluntas. Ib.* unus Mo. *peccasse cupido.* Sa. *pecc. uoluptas.*

21. Al. *Quis demens famulae.* Exc. P. *Quis Ven. demens.* Me. *Quis dominae famulae.*

23. *Illa est operata.* P. N. et unus Pa. Vulgo *operosa est illa.* D. *ipsa est operosa.*

24. P. *perdocta est. Ib.* N. et tres al. *apta ministra.*

25. Al *quae sit.*

ELEG. VIII. u. 1. Al. *Comendis.* M. et Sa. *Ponendos capillos. Ibid.* M. *mille modis. Ib.* V. et quidam al. *praefecta capillis.* Sa. et M. a gloss. *perdocta capillos.*

3. Sa. *nocturno furto.*

4. Sc. *sed tamen.*

5. Vnus Heins. *sociati soc.*

Senſit concubitus unde Corinna tuos?
Num tamen erubui, num, uerbo lapſus in ullo,
Furtiuae Veneris conſcia ſigna dedi?
Quid? quod in ancilla ſi quis delinquere poſſet,
Illum ego contendi mente carere bona? 10
Theſſalus ancillae facie Briſeïdos arſit:
Serua Mycenaeo Phoebas amata duci.
Non ego Tantalide maior, nec maior Achille.
Quod decuit Reges, cur mihi turpe putem?
Vt tamen iratos in te defixit ocellos; 15
Vidi te totis erubuiſſe genis.
At quanto, ſi forte refers, praeſentior ipſe,
Per Veneris feci numina magna fidem!
Tu Dea, tu iubeas animi periuria puri
Carpathium tepidos per mare ferre Notos. 20
Pro quibus officiis pretium mihi dulce repende,
Concubitus hodie, fuſca Cypaſſi, tuos.
Quid renuis, fingisque nouos, ingrata, timores?

Vnum

deris, alter *criminis*.

6. Sc. *Corinna nouos*. Mo. *meos*.

7. *Num tamen* a coni. Heinſ. quia P. *Nunc tamen*. Vulgo *Non*. *Ib. num uerbo* P. et N. Vulgo *nec uerbo* Sex *non uerbo*. Pa. 3. *numero collapſus in ullo*.

9. *Ancilla* P. et quatuor al. Vulgo *ancillam*. Duo *ancillas*.

13. Al. *Non ſum T. nec forti maior A.*

14. B *uile putem*.

15. Mo. *demiſit ocellos*. Alius et D. *deflexit*.

16. Al. *Vidit*. Al. *Senſit*.

17. Al. *forte refer*, uel *refert*.

19. *Puri* P. et Ar. Vulgo *noſtri*.

20. R. et Sa. *rapidos Notos*.

21. Iun. *officium*.

23. R. et quatuor al. *Quid refugis*.

Vnum est e dominis emeruisse satis.
Quod si stulta negas, index ante acta fatebor; 25
Et ueniam culpae proditor ipse meae.
Quoque loco tecum fuerim, quotiesque, Cypassi,
Narrabo dominae, quotque quibusque modis.

ELEGIA IX.

O numquam pro me satis indignate Cupido,
O in corde meo desidiose puer!
Quid me, qui miles numquam tua signa reliqui,
Laedis? et in castris uulneror ipse meis?
Cur tua fax urit, figit tuus arcus amicos? 5
Gloria pugnantes uincere maior erat.
Quid? non Haemonius, quem cuspide perculit, heros
Confossum medica postmodo iuuit ope?
Venator sequitur fugientia, capta relinquit:
Semper et inuentis ulteriora petit. 10
Nos tua sentimus, populus tibi deditus, arma:
Pigra reluctanti cessat in hoste manus.
Quid iuuat in nudis hamata retundere tela
Ossibus? ossa mihi nuda relinquit amor.
Tot sine amore uiri, tot sunt sine amore puellae. 15

Hinc

24. Ita P. N. et quidam al. Vulgo *Est unum e dom. promeruisse.*

ELEG. IX. u. 4. Al. *ipse tuis.*

8. Al. *Cum petiit, medica.* Duo codd. *Confessum med.*

10. Tres libri *utiliora petit.* Pa. unus *uberiora.*

11. Exc. Iur. et tres al. e melior. *tibi subditus.*

12. Octo codd. *ab hoste.*

13. *Retundere* P. K. unus V. et Exc. Iur. Vulgo *recondere.*

Hinc tibi cum magna laude triumphus eat.
Roma, nisi immensum uires promosset in orbem,
Stramineis esset nunc quoque densa casis.
Fessus in acceptos miles deducitur agros;
Mittitur in saltus carcere liber equus: 20
Longaque subductam celant naualia pinum,
Tutaque deposito poscitur ense rudis.
Me quoque, qui toties merui sub amore puellae,
Defunctum placide uiuere tempus erat.
Viue, Deus, posito, si quis mihi dicat, amore; 25
Deprecer, usque adeo dulce puella malum est.
Cum bene pertaesum est, animoque relanguit ardor,
Nescio quo miserae turbine mentis agor.
Vt rapit in praeceps dominum, spumantia frustra
Frena retentantem, durior oris equus: 30
Vt subitus, prope iam prensa tellure, carinam
Tangentem portus uentus in alta rapit:
Sic me saepe refert incerta Cupidinis aura;
Notaque purpureus tela resumit Amor.

Fige,

17. Al. *uires mouisset*. Mo. *misisset*.

18. Al. *tecta casis*.

20 - 22. Ita Marius et Heins. hos uersus collocant. Vulgo transponuntur inuerso ordine: 22. 21. 20.

22. Al. *sed posito*.

23. Fr. R. Mo. et Pa. unus *toties morior*.

24. Iun. et V. *Defectum placide*.

27. *Relanguit* P. a manu prima. Idem a correct. cum Ar. *resanuit*. Vulgo *reuanuit*. Al. *euanuit*.

29. Pa. *pugnantia frustra*.

31. Plurimi scripti et edd. priscae *iam pressa*. D. *comprensa*.

32. Mor. 1. *uentus et aura*, 2. *uentus et unda*. *Ibid.* M. 1. *alta tulit*, 2. *alta trahit*.

Fige, puer; positis nudus tibi praebeor armis. 35
Hic tibi sint uires: hic tua dextra facit.
Huc, tamquam iussae, ueniunt iam sponte sagittae.
Vix illis prae me nota pharetra sua est.
Infelix, tota quicunque quiescere nocte
Sustinet, et somnos praemia magna uocat. 40
Stulte, quid est somnus, gelidae nisi mortis imago?
Longa quiescendi tempora fata dabunt.
Me modo decipiant uoces fallacis amicae:
Sperando certe gaudia magna feram.
Et modo blanditias dicat; modo iurgia quaerat. 45
Saepe fruar domina: saepe repulsus eam.
Quod dubius Mars est; per te, priuigne Cupido, est:
Et mouet exemplo uitricus arma tuo.
Tu leuis es, multoque tuis uentosior alis:
Gaudiaque ambigua dasque negasque fide. 50
Si tamen exaudis, pulchra cum Matre, rogantem;
Indeserta meo pectore regna tene.
Accedant regno, nimium uaga turba, puellae.
Ambobus populis sic uenerandus eris.

ELEGIA

36. Al. *huc tua d. ualet.*
38 Sc. *post me. Ibid.* al. *tua est.* Al. *Vix ullis prae me n. ph. tua est*, uel *sua est.*
41. Duo Heins. *noctis imago.*
44. Al. *praemia magna. Ib.* Fr. Sc. et Mo. *gaudia laetus ero.*
45. *Quaerat* P. a manu sec. it. Mo. et Fr. a manu pr. Vulgo *nectat.*
51. *Rogantem* P. pro diu. lect. Vulgo *Cupido.*
52. Al. *regna rege.* M. alter *regna geras.* Exc. Iur. cum 3. al. *tela gere.*

ELEGIA X.

Tu mihi, tu certe, (memini) Graecine, negabas,
Vno posse aliquem tempore amare duas.
Per te ego decipior: per te deprensus inermis,
Ecce duas uno tempore turpis amo.
Vtraque formosa est: operosae cultibus ambae: 5
Artibus, in dubio est, haec sit, an illa, prior.
Pulchrior hac illa est: haec est quoque pulchrior illa:
Et magis haec nobis, et magis illa placet.
Errant, ut uentis discordibus acta faselos,
Diuiduumque tenent alter et alter amor. 10
Quid geminas, Erycina, meos sine fine dolores?
Nonne erat in curas una puella satis?
Quid folia arboribus, quid pleno sidera coelo,
In freta collectas alta quid addis aquas?
Sed tamen hoc melius, quam si sine amore iacerem. 15
Hostibus eueniat uita seuera meis.
Hostibus eueniat uiduo dormire cubili,
Et medio laxe ponere membra toro.
At mihi saeuus amor somnos abrumpat inertes:
Simque mei lecti non ego solus onus. 20
Me mea disperdat, nullo prohibente, puella,

Si

ELEG. X. u. 4. *Turpis* P. et quinque al. cum prima ed. Vulgo *solus*.
5 R. cum Exc. D. et Pol. *operosis*. Sc. *operosae in cult.*
6. Fr. *Artibus ambiguum est.*
10. Ed. prima et sex scripti *Dimidiumque tenent. Ib.* Sa. *unus et alter.*
16. Fr. *eueniant uota seuera.*
17. Vulgo *uacuo cubili.*
18. Al. *late ponere.*

Si ſatis una poteſt: ſi minus una, duae.
Sufficiunt graciles, ſed non ſine uiribus, artus:
Pondere, non neruis, corpora noſtra carent.
Et lateri dabit in uires alimenta uoluptas. 25
Decepta eſt opera nulla puella mea.
Saepe ego, laſciuae conſumto tempore noctis,
Vtilis, et forti corpore mane fui.
Felix, quem Veneris certamina mutua rumpunt!
Di faciant, leti cauſa ſit iſta mei! 30
Induat aduerſis contraria pectora telis
Miles, et aeternum ſanguine nomen emat.
Quaerat auarus opes; et quae laſſarit arando
Aequora, periuro naufragus ore bibat.
At mihi contingat Veneris langueſcere motu; 35
Cum moriar, medium ſoluar et inter opus:
Atque aliquis, noſtro lacrymans in funere, dicat,
Conueniens uitae mors fuit iſta ſuae.

ELEGIA XI.

Prima malas docuit, mirantibus aequoris undis,
Peliaco pinus uertice caeſa uias:

Quae

23. *Sed non ſine* N. et unus V. Vulgo *non ſunt ſine.* P. *Sufficiam graciles, non ſunt.*

27. Al. *conſumſi gaudia noctis*, uel *tempora noctis.*

29. *Rumpunt* P. a manu ſec. Vulgo *perdunt.* Vnus V. *produnt.*

33. *Arando* repoſuit Heinſ. e ueſtigiis P. in quo *arundo*, et Ar. qui exhibet *irundo.* Vulgo *eundo.*

38. *Suae* unus Mo. pro diu. lect. Vulgo *tuae.* Alter Mo. *uoto tuo.*

ELEG. XI. u. 1. Al. *malo undas.*

Quae concurrentes inter temeraria cautes
Conſpicuam fuluo uellere uexit ouem.
O utinam, remo ne quis freta longa moueret, 5
Argo funeſtas preſſa bibiſſet aquas!
Ecce fugit notumque torum, ſociosque Penates;
Fallacesque uias ire Corinna parat.
Quid tibi (me miſerum!) Zephyros Eurosque timebo,
Et gelidum Borean, egelidumque Notum? 10
Non illic urbes, non tu mirabere ſiluas;
Vna eſt iniuſti caerula forma maris.
Nec medius tenues conchas, pictosue lapillos,
Pontus habet: bibuli litoris illa mora eſt.
Litora marmoreis pedibus ſignanda, puellae. 15
Hactenus eſt tutum: caetera coeca uia eſt.
Et uobis alii uentorum proelia narrent;
Quas Scylla infeſtet, quasue Charybdis aquas:
Et quibus emineant uiolenta Ceraunia ſaxis:
Quo lateant Syrtes, quoue Malêa ſinu. 20
Haec alii referant, at uos, quod quiſque loquentur,
Credite: credenti nulla procella nocet.

5. Sa. *longa ſecaret.*
6. D et prima ed. *merſa bibiſſet.*
7 Mo. *notamque domum. Ibid.* al. *patriosque Pen.*
10. *Egelidumque* coni. Heinſ. e P. et Ar. qui habent *et gelidumque.* Vulgo *praecipitemque.* N. et tres al. *non gelidumque.* Duo *praetepidumque.*
12. Iun. *incerti maris.* Duo *inuiti.* Duo *inuiſi.*
13. Exc. P. et 7. libri *uiridesque lap* Fr. *uariosque.*
18. Nonnulli *infeſtat.* Al. *inflectit.*
20. *Quoue Malea ſinu* R. Vulgo *magna minorque ſinu.*
21. *Loquentur* B. et unus Mo. Al. *loquetur*, et *loquatur.*
22. P. *quaerenti nulla.*

Sero

Sero reſpicitur tellus, ubi fune ſoluto,
Currit in immenſum panda carina ſalum.
Nauita ſollicitus qua uentos horret iniquos, 25
Et prope tam letum, quam prope cernit aquam.
Quid? ſi concuſſas Triton exaſperat undas?
Quam tibi nunc toto nullus in ore color!
Tum generoſa uoces fecundae ſidera Ledae:
Et, Felix, dicas, quam ſua terra tenet! 30
Tutius eſt fouiſſe torum; legiſſe libellos;
Threïciam digitis increpuiſſe lyram.
At, ſi uana ferunt uolucres mea dicta procellae,
Aequa tamen puppi ſit Galatea tuae.
Veſtrum crimen erit talis iactura puellae, 35
Nereïdesque Deae, Nereïdumque pater.
Vade memor noſtri, uento reditura ſecundo;
Impleat illa tuos fortior aura ſinus.
Tum mare in haec magnus declinet litora Nereus:
Huc uenti ſpirent: huc agat aeſtus aquas. 40
Ipſa roges, Zephyri ueniant in lintea pleni:

Ipſa

24. Duo ſcripti *Tendit in.*
25. *Qua* coni. Heinſ. e P. Ar. et 3. al. qui habent *quia.* Al. *et*, uel *iam*, uel *quoque.* Sc. et Pa. 2. *cum.* Fr. *cum uentis h. iniquis.*
28. Al. *Qui tibi. Ib.* al. *ſit toto.*
29. Al. *quem ſua.*
33. Alter Pa. *Aut ſi.*
39. Scripti multi et primae edd. *declinet.* Fr. *propellat.* Pa. 3. *procuruet*, 2. *proclamet.*
40. *Huc uenti ſpirent* legit Heinſ. e D. Exc. in quibus *Hinc uenti ſpirent, hinc a. Eurus aquas.* Vulgo *Huc u. ſpectent.* Sa. *Huc uentus portet.* Ed. prima *Hanc uenti ſpectent.*
41. P. et 4. alii *lintea ſoli.*

Ipſa tua moueas turgida uela manu.
Primus ego adſpiciam notam de litore pinum;
Et dicam, Noſtros aduehit illa Deos:
Excipiamque humeris, et multa ſine ordine carpam 45
Oſcula. pro reditu uictima uota cadet.
Inque tori formam molles ſternentur arenae:
Et tumulus menſae quilibet inſtar erit.
Illic appoſito narrabis multa Lyaeo,
Pene ſit ut mediis obruta nauis aquis: 50
Dumque ad me properas, nec iniquae tempora noctis,
Nec te praecipites extimuiſſe Notos.
Omnia pro ueris credam, ſint ficta licebit.
Cur ego non uotis blandiar ipſe meis?
Haec mihi quam primum coelo nitidiſſimus alto 55
Lucifer admiſſo tempora portet equo.

ELEGIA XII.

Ite triumphales circum mea tempora lauri.
Vicimus. in noſtro eſt ecce Corinna ſinu.
Quam uir, quam cuſtos, quam ianua firma (tot hoſtes!)
Seruabant, ne qua poſſet ab arte capi.
Haec eſt praecipuo uictoria digna triumpho: 5

43. *Pinum* Exc. Pol. Vulgo *puppem.*
45. Quidam codd. *Excipiamque ulnis. Ib.* quidam *ordine ſumam.* Duo *iungam.*
46. Pa. *uict. grata.* Sc. *noſtra.* Mo 3. *multa.*
48. Ita Sa. habet. Prima In ed. et ſcripti nonnulli *Et cumulus.* Vulgo *Pro menſa tumulus quilibet eſſe poteſt.* Tres *Pro menſa cumulus.*

ELEG. XII. u. 2. N. et 4. al. *Vincimus.*
3. Optimus P. *firma ſeraque.* Vnus Med. *quot hoſtes.*

In qua, quaecunque eſt, ſanguine praeda caret.
Non humiles muri, non paruis oppida foſſis
Cincta, ſed eſt ductu capta puella meo.
Pergama cum caderent, bello ſuperata biluſtri;
Ex tot, in Atrida pars quota laudis erat? 10
At mea ſepoſita eſt, et ab omni milite diſſors
Gloria: nec titulum muneris alter habet.
Me duce ad hanc uoti finem, me milite ueni;
Ipſe eques, ipſe pedes, ſigniſer ipſe fui.
Nec caſum fortuna meis immiſcuit actis. 15
Huc ades, ô cura parte Triumphe mea.
Nec belli noua cauſa mei. niſi rapta fuiſſet
Tyndaris, Europae pax Aſiaeque foret.
Femina ſilueſtres Lapithas; populumque bimembrem
Turpiter appoſito uertit in arma mero. 20
Femina Troianos iterum fera bella mouere
Impulit in regno, iuſte Latine, tuo.
Femina Romanis, etiam nunc Vrbe recenti,
Immiſit ſoceros, armaque ſaeua dedit.
Vidi ego pro niuea pugnantes coniuge tauros: 25
Spectatrix animos ipſa iuuenca dabat.

10. *Atrida* N. et F. Vulgo *Atridis*. Tres codd. *Atride*. Duo et ed. prima *Atridas*.
11. *Diſſors* P. Vulgo *diſcors*.
13. *Hanc finem* P. et al. Vulgo *hunc*.
15. Me. 1. *immiſcuit armis*.
17. Al. *belli eſt noua cura*.
19. *Bimembrem* Exc. Iur. et B pro diu. lect. Vulgo *biformem*.
21. *Fera* Sa. et duo al. Vulgo *noua*.
23. Al. *iterum nunc*.
26. Sc. *iuuenca facit*.

Me quoque cum multis, ſed me ſine caede, Cupido
Iuſſit militiae ſigna mouere ſuae.

ELEGIA XIII

Dum labefactat onus grauidi temeraria uentris,
In dubio uitae laſſa Corinna iacet.
Illa quidem clam me tantum molita pericli,
Ira digna mea eſt: ſed cadit ira metu.
Sed tamen aut ex me conceperat; aut ego credo. 5
Eſt mihi pro facto ſaepe, quod eſſe poteſt.
Iſi, Paraetonium, genialiaque arua Canopi
Quae colis, et Memphin, palmiferamque Pharon,
Quaque celer Nilus, lato delapſus ab alueo,
Per ſeptem portus in maris exit aquas; 10
Per tua ſiſtra precor, per Anubidis ora uerendi:
Sic tua ſacra pius ſemper Oſiris amet,
Pigraque labatur circa donaria ſerpens,
Et comes in pompam corniger Apis eat:
Huc adhibe uultus; et in una parce duobus: 15
Nam uita m dominae tu dabis; illa mihi.
Saepe tibi ſedit certis operata diebus,

Qua

27. Al. *qui multos.*
ELEG. XIII. u. 2. R. unus *lapſa Corinna.*
3. Vulgo mendoſe *quidem clamet.*
7. Vulgo *genitaliaque*, P. *gentiliaque.*
9. Al. *in alueo.*
10. R. et Fr. *ſeptem portas.*
14. *Pompam* tres ſcripti. Vulgo *pompa.*
17. *Sedit* repoſuit Heinſ. quia in P. eſt *dedit.* Alter Me. *dedit incertis.* Vnus Heinſ. *cedit feſtis.* Vulgo *meruit.* Quidam *ſeruit.*

Qua cingit lauros Gallica turma tuas.
Taque laborantes utero miſerata puellas,
Quarum tarda latens corpora tendit onus; 20
Lenis ades, precibus meis faue, Ilithya.
Digna eſt, quam iubeas muneris eſſe tui.
Ipſe ego tura dabo fumoſis candidus aris:
Ipſe feram ante tuos munera uota pedes.
Adiiciam titulum, Seruata Naſo Corinna. 25
Tu modo fac titulo muneribusque locum.
Si tamen in tanto fas eſt monuiſſe timore;
Hac tibi ſit pugna dimicuiſſe ſatis.

ELEGIA XIV.

Quid iuuat immunes belli ceſſare puellas,
Nec fera peltatas agmina uelle ſequi;
Si ſine Marte ſuis patiuntur uulnera telis,
Et coecas armant in ſua fata manus.
Quae prima inſtituit teneros conuellere fetus, 5
Militia fuerat digna perire ſua.
Scilicet, ut careat rugarum crimine uenter,
Sternatur pugnae triſtis arena tuae.
Si mos antiquis placuiſſet matribus idem;
Gens hominum uitio deperitura fuit: 10

18. Al. *Queis cingit.* Fr. *Qua tangit. Ib.* Sa. *laurum tuam. Ib.* uulgo *Gall. turba.*
21. Ita P. Vulgo *precibusque faue Lucina puellae.*
22. D. *numinis eſſe.*
24. D. *munera digna.* Pa. alter *nota.*

ELEG. XIV. u. 5. Al. *auellere.* M. *euellere.* Duo *diuellere.*
10. Al. *deper. foret.* Mo. *non peritura foret?*

Quique iterum generis iaceret primordia noſtri
  In uacuo lapides orbe, parandus erat.
Quis Priami fregiſſet opes, ſi numen aquarum
  Iuſta recuſaſſet pondera ferre Thetis?
Ilia ſi tumido geminos in uentre necaſſet, 15
  Caſurus dominae conditor Vrbis erat.
Si Venus Aenean grauida temeraſſet in aluo;
  Caeſaribus tellus orba futura fuit.
Tu quoque, cum poſſes naſci, formoſa, periſſes;
  Tentaſſet, quod tu, ſi tua mater opus. 20
Ipſe ego, cum fuerim melius periturus amando,
  Vidiſſem nullos, matre necante, dies.
Quid plenam fraudas uitem creſcentibus uuis;
  Pomaque crudeli uellis acerba manu?
Sponte fluant matura ſua. ſine creſcere nata. 25
  Eſt pretium paruae non leue uita morae.
Veſtra quid eſſoditis ſubiectis uiſcera telis;
  Et nondum natis dira uenena datis?
Colchida reſperſam puerorum ſanguine culpant,
  Aque ſua caeſum matre queruntur Ityn. 30
Vtraque ſaeua parens: ſed triſtibus utraque cauſis
  Iactura ſocii ſanguinis ulta uirum.
Dicite, quis Tereus, quis uos irritet Iäſon

Figere

14. Al. *Iſta recuſ.*
18. Al. *futura foret.*
21. Mo. *qui fueram.*
22. Al. *matre negante*
25. *Fluant* P. et unus Mo. Vulgo *fluent.*
26. Al. *pretium tardae.* M. uterque *Et pretium eſt longae.*
29. Quidam codd. *natorum ſanguine. Ib.* Pa. 3. *ſanguine matrem.*
30. *Aque* unus Mo. Vulgo *Atque.*
31. Pa. 1. et V. *dira parens.*

Figere ſollicita corpora ueſtra manu?
Hoc neque in Armeniis tigres fecere latebris: 35
Perdere nec fetus auſa leaena ſuos.
At tenerae faciunt, ſed non impune, puellae.
Saepe, ſuos utero quae necat, ipſa perit.
Ipſa perit, ferturque toro reſoluta capillos:
Et clamant, Merito, qui modo cunque uident. 40
Iſta ſed aethereas uaneſcant dicta per auras:
Et ſint omnibus pondera nulla meis.
Di faciles, peccaſſe ſemel concedite tuto:
Id ſatis eſt. poenam culpa ſecunda ferat.

ELEGIA XV.

Annule, formoſae digitum uincture puellae,
In quo cenſendum nil, niſi dantis amor;
Munus eas gratum, te laeta mente receptum
Protinus articulis induat illa ſuis.
Tam bene conuenias, quam mecum conuenit illi; 5
Et digitum iuſto commodus orbe teras.
Felix, a domina tractaberis, annule, noſtra.

34. Fr. *Findere ſollic. Ib.* unus Mo. *uiſcera ueſtra.*
36. Exc. Pol. *Prodere nec. Ibid.* unus Heinſ. *uiſa leaena.*
39. *Toro* Sa. et unus Heinſ. Vulgo *rego.*
40. Ed. Gryph. a. 1554 *Et, meruit, clamant.*
42. Vnus V. *Sint et in omin.* Fr. *Et ſint in uerbis.*
43. Ra. a manu ſec. *tutae.* Duo ſcripti *noto.*
44. *Id* a coni. Heinſ. Vulgo *Et ſatis.*
ELEG. XV. u. 1. Iun. et octo al. *digitum iuncture.*
5. Multi codd. *conuenit illa.*
6. D. *recto orbe.*

Inuideo donis iam miſer ipſe meis.
O utinam fieri ſubito mea munera poſſim
Artibus Aeaeis, Carpathiiue ſenis! 10
Tunc ego te dominae cupiam tetigiſſe papillas,
Et laeuam tunicis inſeruiſſe manum.
Elabar digito, quamuis anguſtus, et haerens;
Inque ſinum mira laxus ab arte cadam.
Idem ego, ut arcanas poſſim ſignare tabellas, 15
Neue tenax ceram ſiccaue gemma trahat,
Humida formoſae tangam prius ora puellae.
Tantum ne ſignem ſcripta dolenda mihi.
Si dabor, ut condar loculis; exire negabo,
Adſtringens digitos orbe minore tuos. 20
Non ego dedecori tibi ſim, mea uita, futurus,
Quodue tener digitus ferre recuſet, onus.
Me gere, cum calidis perfunderis imbribus artus:
Damnaque ſub gemma perfer euntis aquae.
Sed, puto, te nuda mea membra libidine ſurgent, 25
Et peragam partes annulus ille uiri.
Irrita quid uoueo? paruum proficiſcere munus.
Illa datam tecum ſentiat eſſe fidem. ELEG.

10. Al. *Aeaeae.*
11. Sa. *ego me.* R. *Tunc per te.* Duae edd. priſcae *ego ter.*
14. *Laxus* P. Vulgo *lapſus.* Sc. *multa laxus ab arte.*
16. Berſm. ed. *ſiccaque membra.*
21. *Sim.* P. Vulgo *ſum.*
23. *Perfunderis* corr. Heinſ. Vulgo *perfundes.* P. *perfundis.*
25. *Nuda* P. et duo al. cum Exc. Iur. Vulgo *uiſa.*
26. *Peragam* P. B. et unus Mo. Vulgo *peraget.* Duo al. *perages.*
27. Al. *quid moneo?* Quatuor *moueo. Ibid.* Me. *parcum munus.*
28. Al. *ſecum.* Ed. Gryph. et Berſm. *ſentiet.*

ELEGIA XVI.

Pars me Sulmo tenet Peligni tertia ruris;
Parua, sed irriguis ora salubris aquis.
Sol licet admoto tellurem sidere findat,
Et micet Icarii stella proterua canis;
Arua pererrantur Peligna liquentibus undis: 5
Et uiret in tenero fertilis herba solo.
Terra ferax Cereris, multoque feracior uuae:
Dat quoque bacciferam Pallada rarus ager:
Perque resurgentes riuis labentibus herbas
Gramineus madidam cespes obumbrat humum. 10
At meus ignis abest. uerbo peccauimus uno;
Quae monet ardores, est procul; ignis adest.
Non ego, si melius Polluce et Castore ponar,
In coeli sine te parte fuisse uelim.
Solliciti iaceant, terraque premantur iniqua, 15
In longas orbem qui secuere uias.
Aut iuuenum comites iussissent ire puellas,
Si fuit in longas terra secanda uias.
Tunc mihi, si premerem uentosas horridus Alpes,

V 5 (Dummo-

ELEG. XVI. u. 1. Pa. unus *tertia iuris.*

2. Mo. *irr. obuia semper aquis.*

5 Fr. *liquantibus.* Burm. coni. *liquacibus.*

6. V. 3. *herba toro.*

7. Duo scripti et ed. Gryph. *Cerere.*

8. P. *gratus ager.* V. *gratius.* Duo *paruus.* Sc. *nixus.*

9. Pol. alter *riuis currentibus.*

12. *Ignis* D. et quatuor al. Vulgo *ardor.*

17. P. et multi al. *At iuuenum.*

18. Sa. cum al. *Sic fuit.*

19. Prima ed. *turbidus Alpes.* Al. *uentosi turbine Ponti,*

(Dummodo cum domina) molle fuiſſet iter. 20
Cum domina Libycas auſim perrumpere Syrtes,
Et dare non aequis uela ferenda Notis.
Non, quae uirgineo portenta ſub inguine latrant;
Nec timeam ueſtros, curua Malea, ſinus:
Non qua, ſubmerſis ratibus ſaturata, Charybdis 25
Fundit, et effuſas ore reſorbet aquas.
Quod ſi Neptunum uentoſa potentia uincit,
Et ſubuenturos auferet unda Deos;
Tu noſtris niueos humeris impone lacertos.
Corpore nos facili dulce feremus onus. 30
Saepe petens Hero iuuenis tranauerat undas.
Tunc quoque tranaſſet; ſed uia coeca fuit.
At ſine te, quamuis operoſi uitibus agri
Me teneant, quamuis amnibus arua natent,
Et uocet in riuos parentem ruſticus undam, 35
Frigidaque arboreas mulceat aura comas;
Non ego Pelignos uideor celebrare ſalubres:
Non ego natalem, rura paterna, locum;
Sed Scythiam, Cilicasque feros, uiridesque Britannos,
Quae-

uel *uenti*.

20. Al. *Durum cum domina*.

21. Al. *praerumpere*. Mo. et duo alii *prorumpere*.

25. Pa. unus *Superata Char*. Alter Me. *furata*.

26. *Reſorbet* Exc. D. et unus Med. Vulgo *receptat*. B. *repertet*. Pa. 1. *reportat*, unde Heinſ. coni. *repotat*.

27. Al. *Neptuni*. *Ib.* uulgo *uincat*. Al. *uincet*.

33. Pa. 2. et ed. prima *operoſi cultibus*.

34. Ed. prima, Gryph. et al. *imbribus arua*.

35. *Parentem undam* Exc. P. Scal. et Pol. Vulgo *currentem ruſt. uidam*. Al. *currentem amnem*, uel *undam*, uti ed. Gryph. a. 1554.

Quaeque Prometheo ſaxa cruore rubent. 40
Vlmus amat uitem, uitis non deſerit ulmum.
Separor a domina cur ego ſaepe mea?
At mihi te comitem iuraras uſque futuram,
Per me, perque oculos, ſidera noſtra, tuos.
Verba puellarum, foliis leuiora caducis, 45
Irrita, quo uiſum eſt, uentus et unda ferunt.
Si qua mei tamen eſt in te pia cura relicti;
Incipe pollicitis addere facta tuis:
Paruaque quamprimum rapientibus eſſeda mannis,
Ipſa per admiſſas concute lora iubas. 50
At uos, qua ueniet, tumidi ſubſidite montes:
Et faciles curuis uallibus eſte uiae.

ELEGIA XVII.

Si quis erit, qui turpe putet ſeruire puellae;
Illo conuincar iudice turpis ego.
Sim licet infamis; dum me moderatius urat,
Quae Paphon, et fluctu pulſa Cythera tenet.

Atque

40. Al. *cruore madent*. Duo Heinſ. *ſanguine ſaxa rubent*.
41. Al. *amat uites*. *Ibid.* Exc. Iur. *uitis non deſinit*.
43. *Iuraras* P. et Exc. Scal. Vulgo *iurabas*.
44. Mo. *ſidera clara*. Al. *oculos qui rapuere meos*, uel *tuos*.
46. *Quo* legit Heinſ. pro *quae*, quod P. exhibet. Vulgo *Irritaque ut uiſum*. D. et ed. Gryph. a. 1554. *quae ut uiſum*. *Ib.* al. *uentus et aura*.
47. Al. *relicta*.
50. Sa. *admiſſas uias*. B. *admiſſas manus*. Sc. *immenſas uias*.
51. Al. *cum ueniet*.

ELEG. XVII. u. 4. Vnus Heinſ. *cincta Cyth.* Septem *fluctu culta*. Quidam *fluctus culta*. V. et prima ed. *e fluctu nata*. Mo. 3. *et fluctus ue-*

Atque utinam dominae miti quoque praeda fuiſſem; 5
Formoſae quoniam praeda futurus eram.
Dat facies animos, facie uiolenta Corinna eſt;
(Me miſerum! cur eſt tam bene nota ſibi?)
Scilicet a ſpeculi ſumuntur imagine faſtus;
Nec niſi compoſitam ſe prius illa uidet. 10
Non, tibi ſi facies nimium dat in omnia regni,
(O facies oculos nata tenere meos!)
Collatum idcirco tibi me contemnere debes.
Aptari magnis inferiora licet.
Creditur et Nymphe, mortalis amore, Calypſo, 15
Capta, reluctantem detinuiſſe uirum.
Creditur aequoream Phthio Nereïda Regi,
Egeriam iuſto concubuiſſe Numae;
Volcano Venerem: quamuis, incude relicta,
Turpiter obliquo claudicet ille pede. 20
Carminis hoc ipſum genus impar: ſed tamen apte
Iungitur herous cum breuiore modo.
Tu quoque me, mea lux, in quaslibet accipe leges.
Te deceat medio iura dediſſe toro.

Non

quore nata.

5. *Miti* unus Mo. Sa. et tres al. Vulgo *mitis.*

7. Optimus Pa. P. et tres al. *facies u. Corinnae.*

11. *Regni* P. cum uno V. et B. Vulgo *regnum.*

12. Al. *docta tenere.*

15. P. et duo al. *Traditur et.*

16. Al. *recuſantem uirum.*

17. *Creditur* P. N. Mo. et Sa. Vulgo *Credimus.*

18. Al *Egeriam noſtro.*

19. P. *Volcani Venus eſt.*

22. Sa. *heroum* P. *Iungitur in uerſus. Ibid.* Sc. *breuiore pede.*

24. *Deceat* P. et tres al. Vulgo *decet in.* F. et Fr. *decet e. Ibid* duo libri *ſigna dediſſe.* Plurimi al. *iuſſa ded.*

Non tibi crimen ero, nec quo laetere remoto. 25
Non erit hic nobis inficiandus amor.
Sint tibi pro magno felicia carmina cenſu:
Et multae per me nomen habere uolunt.
Noui aliquam, quae ſe circumferat eſſe Corinnam.
Vt fiat, quid non illa dediſſe uelit?
Sed neque diuerſi ripa labuntur eadem 30
Frigidus Eurotas, populiferque Padus:
Nec, niſi tu, noſtris cantabitur ulla libellis.
Ingenio cauſas tu dabis una meo.

ELEGIA XVIII.

Carmen ad iratum dum tu perducis Achillen,
Primaque iuratis induis arma uiris;
Nos, Macer, ignauae Veneris ceſſamus in umbra:
Et tener auſuros grandia frangit Amor.
Saepe meae, Tandem dixi, diſcede, puellae: 5
In gremio ſedit protinus illa meo.
Saepe, Pudet, dixi, lacrymis uix illa retentis,
Me miſeram! iam te, dixit, amare pudet?
Implicuitque ſuos circum mea colla lacertos:
Et, quae me perdunt, oſcula mille dedit. 10
Vincor; et ingenium ſumtis reuocatur ab armis:
Resque

25. Al. *laedêre.*
26. Al. *hic uobis.*
27. *Sint tibi* tres Heinſ. Vulgo *Sunt mihi.* Duo Heinſ. *ſunt tibi*, unus *Sint mihi.*
31. Fr. Mo. duo et octo al. *Frig. Eufrates.*

ELEG. XVIII. u. 3. Al. *ignaua.*
8. Al. *cur te.*
11. Mo. 1. *Vror, et*, 2. *Frangor et. Ib.* duo codd. *poſitis reuoc.*

Resque domi geſtas, et mea bella, cano.
Sceptra tamen ſumſi; curaque Tragoedia noſtra
Creuit: et huic operi quamlibet aptus eram.
Riſit Amor, pallamque meam, pictosque cothurnos, 15
Sceptraque priuata tam bene ſumta manu.
Hinc quoque me dominae numen deduxit iniquae:
Deque cothurnato uate triùmphat Amor.
Quod licet, aut Artes teneri profitemur Amoris:
(Hei mihi! praeceptis urgeor ipſe meis.) 20
Aut, quod Penelopes uerbis reddatur Vlixi,
Scribimus: aut lacrymas, Phylli relicta, tuas.
Quod Paris, et Macareus, et quod male gratus Iäſon,
Hippolytique parens, Hippolytusque legant:
Quodque tenens ſtrictum Dido miſerabilis enſem 25
Dicat, et Aeoliae Lesbis amica lyrae.
Quam celer e toto rediit meus orbe Sabinus,
Scriptaque diuerſis retulit ille locis!
Candida Penelope ſignum cognouit Vlixis:
Legit ab Hippolyto ſcripta nouerca ſuo. 30

Iam

12. Fr. *mea facta.*

13. Plures al. *uerſuque Trag. noſtro.* N. *uerſuque Trag. primo*, unde Burm. coni. *priuo.*

16. *Bene* Fr. Sa. Sc. et ſex al. Vulgo *cito.*

19. Al. *et partes teneri.* Mo. 1. pro uar. lect. *en partes.* Nouem *ad partes ten.* P. 2. *ad partes t. proficiſcor Am.*

20. Al. *torqueor ipſe.* Ed. Micyll. *terreor.*

21. Plurimi *Penelope uerboſo reddit*, Fr. *reddat.*

26. *Dicat* Iun. Pa. Fr. et ſeptem al. Vulgo *dictat.* Vnus *mittat.*

26. *Aeoliae* P. Vulgo *Aoniae.* Al. *Aonio Leſbis amata uiro.*

27. *Celer e* Me. cum al. Vulgo *cito de.*

Iam pius Aeneas miſerae reſcripſit Eliſſae:
  Quodque legat Phyllis, ſi modo uiuit, habet.
Triſtis ad Hypſipylen ab Iaſone littera uenit:
  Det uotam Phoebo Lesbis amata lyram.
Nec tibi (quâ tutum uati, Macer, arma canenti) 35
  Aureus in medio Marte tacetur Amor.
Et Paris eſt illic, et adultera nobile crimen;
  Et comes extincto Laodamia uiro.
Si bene te noui; non bella libentius iſtis
  Dicis: et a ueſtris in mea caſtra redis. 40

ELEGIA XIX.

Si tibi non opus eſt ſeruata, ſtulte, puella;
  At mihi fac ſerues: quo magis ipſe uelim.
Quod licet, ingratum eſt: quod non licet, acrius urit.
  Ferreus eſt, ſi quis, quod ſinit alter, amat.
Speremus pariter, pariter metuamus amantes, 5
  Et faciat uoto rara repulſa locum.
Quo mihi fortunam, quae numquam fallere curet?
  Nil ego, quod nullo tempore laedat, amo.
Viderat hoc in me uitium uerſuta Corinna;

Quaque

31. Multi *Impius Aen.* Vnus M. *Et pius.*
34. Al. *Leſbis amica.*
40. Al. *caſtra uenis.*
ELEG. XIX. u. 6. Sa. pro uar. lect. B. et Ar. *grata repulſa.*
7. *Quo mihi fortunam* P. et Exc. Scal. Vulgo *Quid mihi fortuna*, uel *fortuna eſt.* Ed. Gryph. a. 1554 *Quo fortuna mihi. Ibid. curet* P. et unus V. Septem al. *curat.* Vulgo *poſſit.*
9. Mo. 1. *nimium uerſuta.*

Quaque capi possem, callida norat opem. 10
Ah quoties sani capitis mentita dolores,
Cunctantem tardo iussit abire pede!
Ah quoties finxit culpam, quantumque libebat,
Insontis speciem praebuit esse, nocens!
Sic ubi uexarat, tepidosque refouerat ignes; 15
Rursus erat uotis comis et apta meis.
Quas mihi blanditias, quam dulcia uerba parabat!
Oscula (Di magni) qualia, quotque dabat!
Tu quoque, quae nostros rapuisti nuper ocellos,
Saepe time insidias, saepe rogata nega: 20
Et sine me, ante tuos proiectum in limine postes,
Longa pruinosa frigora nocte pati.
Sic mihi durat amor, longosque adolescit in usus:
Hoc iuuat: haec animi sunt alimenta mei.
Pinguis amor, nimiumque patens, in taedia nobis 25
Vertitur; et stomacho, dulcis ut esca, nocet.
Si numquam Danaën habuisset aënea turris;
Non esset Danaë de Ioue facta parens.
Dum seruat Iuno sinuatam cornibus Iö;

Facta

10. D. et unus Mo. *trahi possem.*

14. *Esse* P. Pa. optimus, N. Ar. et Exc. Scal. Vulgo *ipsa*, quidam *illa.*

20. *Time* P. et plures al. ex praestantior. Vulgo *face.*

22. Fr. et Mo. 1. *tempora nocte.*

23. *Vsus* Pa. optimus et duo alii. Vulgo *annos.*

24. Pa. alter *animo meo.*

25. *Patens* P. a manu sec. Pa. optimus et quinque al. Vulgo *potens.* P. a manu pr. *latens.*

27. Mo. 1. pro diu. lect. *Dan. claussisset. Ib.* Pa. *ferrea turris.*

29. *Sinuatam* quinque Heins. Vulgo *mutatam.* Duo Heins. *decoratam.* Vnus *munitam.*

Facta eſt, quam fuerat, gratior illa Ioui. 30
Quod licet et facile eſt, quiſquis cupit arbore frondes
Carpat, et e magno flumine ſumat aquam.
Si qua uolet regnare diu; deludat amantem.
Hei mihi, quod monitis torqueor ipſe meis!
Cuilibet eueniat, nocet indulgentia nobis. 35
Quod ſequitur, fugio: quod fugit, uſque ſequor.
At tu, formoſae nimium ſecure puellae,
Incipe iam prima claudere nocte domum.
Incipe, quis toties furtim tua limina pulſet,
Quaerere: quid latrent nocte ſilente canes. 40
Quo ferat, aut referat ſollers ancilla tabellas:
Cur toties uacuo ſecubet ipſa toro.
Mordeat iſta tuas aliquando cura medullas:
Daque locum noſtris materiamque dolis.
Ille poteſt uacuo furari litore arenas, 45
Vxorem ſtulti ſi quis amare poteſt.
Iamque ego praemoneo; niſi tu ſeruare puellam
Incipis, incipiet deſinere eſſe mea.

Multa

Vnus Mo. pro diu. lect. *Dum nimium ſeruat cuſtos. Iunonius lö.*

32. Al. *e medio. Ibid.* al. *potet aquam.*

34. *Quod* tres Heinſ. Vulgo *de.* Al. *ne mon torquear.* Tres Heinſ. et prima ed. *nam torqueor.* Ar. cum al. compluribus *nunc torqueor.*

35. *Cuilibet* unus Mo. Vulgo *Quodlibet.* P. et al. multi *Quidlibet.*

36. *Vſque* duo ſcripti et prima ed. Vulgo *ipſe.*

38. Al. *nocte forem.* Multi *fores.*

39. *tua lumina.*

41. Al. *Quas ferat.* Nonnulli *Quid.*

44. *Daque* meliores. Vulgo *Detque.*

Multa diuque tuli: ſperaui ſaepe futurum,
Cum bene ſeruaſſes, ut bene uerba darem. 50
Lentus es, et pateris nulli patienda marito;
At mihi conceſſi finis amoris erit.
Scilicet infelix nunquam prohibebor adire?
Nox mihi ſub nullo uindice ſemper erit?
Nil metuam? per nulla traham ſuſpiria ſomnos? 55
Nil facies, cur te iure periſſe uelim?
Quid mihi cum facili, quid cum lenone marito?
Corrumpis uitio gaudia noſtra tuo.
Quid alium, quem tanta iuuet patientia, quaeris?
Me tibi riualem ſi iuuat eſſe, ueta. 60

54. Tres libri *nullo iudice.*
55. Multi codd. *ſuſpiria noctem*, uel *noctes.*
58. Mo. alter *gaudia certa.*
59. *Quaeris* P. et D. Multi *quaeras.* Al. *quaere.* Exc. Scal. *quaeres.*
60. Fr. *eſſe*, *nega.*



P. OVIDII

P. OVIDII NASONIS AMORVM LIBER TERTIVS.

ELEGIA I.

Stat uetus, et multos incaedua ſilua per annos.
Credibile eſt illi numen ineſſe loco:
Fons ſacer in medio, ſpeluncaque pumice pendens:
Et latere ex omni dulce queruntur aues.
Hic ego dum ſpatior tectus nemoralibus umbris, 5
Quod mea, quaerebam, Muſa moueret opus.
Venit odoratos Elegeïa nexa capillos:
Et, puto, pes illi longior alter erat.
Forma decens: ueſtis tenuiſſima, cultus amantis:
In pedibus uitium cauſa decoris erat. 10
Venit et ingenti uiolenta Tragoedia paſſu:
Fronte comae torua, palla iacebat humi.
Laeua manus ſceptrum late regale tenebat:
Lydius alta pedum uincla cothurnus erat.

ELEG. I. u 3. Pa. 1. *pumice ſplendens*. Mo. 1. a manu pr. *pumice uiuo*.
5. Al. *nemor. undis*.
7. Al. *Venit adornatos*. *Ib.* Heinſ. uult *pexa cap.*
9. *Cultus* Mo. Vulgo *multus*.
10. P. et B. *Et pedibus*.
13. Multi e melior. cum prima ed. *regale mouebat*.
14. Al. *apta pedum*. *Ibid. cothurnus habet*.

Et prior, Ecquis erit, dixit, tibi finis amandi? 15
O argumenti lente Poëta tui!
Nequitiam uinosa tuam conuiuia narrant:
Narrant in multas compita secta uias.
Saepe aliquis digito uatem designat euntem:
Atque ait, Hic, hic est, quem ferus urit Amor. 20
Fabula (nec sentis) tota iactaris in Vrbe;
Dum tua praeterito facta pudore refers.
Tempus erat thyrso pulsum grauiore moueri.
Cessatum satis est: incipe maius opus.
Materia premis ingenium. cane facta uirorum: 25
Haec animo, dices, area digna meo est.
Quod tenerae cantent, lusit tua Musa, puellae;
Primaque per numeros acta iuuenta suos.
Nunc habeam per te Romana Tragoedia nomen.
Implebit leges spiritus iste meas. 30
Hactenus: et mouit pictis innixa cothurnis
Densum caesarie terque quaterque caput.

Altera

15. Optimus Pa. *finis amator*. Al. *Et prior, haec dixit, quis erit tibi*. Al. *Haec prior, Ecquis erit finis tibi, dixit, amoris?* Mo. *Et prior, Ecquis erit, uates, tibi finis amandi?* P. 2. *Et prior haec, uates, quis erit t. f. a.* Sc. *Et prior heus, inquit, quis.* D. *Et prior haec, Quis erit.*

20. Al. *urget Amor.*

22. Nonnulli codd. *tua postposito, praetento, neglecto*, et similia.

23. Al *dudum grauiore.*

25. B. et Fr. *facta priorum.* Sc. *facta potentum.*

26. P. *area facta tuo.* Iun. *area grata.*

28. Al. *apta iuuenta.*

29. Al. *habeat.* Sc. *Hinc habeam.*

31. Prima ed. cum Sa. et decem al. *picto innexa cothurno*

Altera (ſi memini) limis ſubriſit ocellis.
Fallor, an in dextra myrtea uirga fuit?
Quid grauibus uerbis, animoſa Tragoedia, dixit; 35
Me premis? an numquam non grauis eſſe potes?
Imparibus tamen es numeris dignata moueri.
In me pugnaſti uerſibus uſa meis.
Non ego contulerim ſublimia carmina noſtris;
Obruit exiguas regia ueſtra fores. 40
Sum leuis; et mecum leuis eſt, mea cura, Cupido.
Non ſum materia fortior ipſa mea.
Ruſtica ſit ſine me laſciui mater Amoris;
Huic ego proueni lena, comesque Deae.
Quam tu non poteris duro reſerare cothurno, 45
Haec eſt blanditiis ianua laxa meis.
Et tamen emerui plus, quam tu, poſſe, ferendo
Multa, ſupercilio non patienda tuo.
Per me decepto didicit cuſtode Corinna
Liminis adſtricti ſollicitare fidem; 50
Delabique toro tunica uelata recincta;
Atque impercuſſos nocte mouere pedes.

33. Edd. uett. Sa. et duo al. *nam memini. Ib.* ed. Berſm. *obriſit.*
35. Fr. *trucibus uerbis.*
36. B. *Me petis.*
40. Edd. quaedam priſcae it. Gryph. et Berſm. et cod. V. cum al. *regia uaſta.* Duo codd. pro diu. lect. *ianua ueſtra.*
43. Al. *Ruſtica ſit.*
45. P. cum al. et ed. quidam *poteras.*
50. Al. *obſtricti.* Ed. Gryph. et Berſm. *obſtructi Ib. fidem.* P. Pa. optimus, Fr. et ſex al. Vulgo *forem.*
51. M. alter cum al. *uelata ſoluta.*

Vel quoties foribus duris incisa pependi,
Non uerita a populo praetereunte legi!
Quin ego me memini, dum custos saeuus abiret, 55
Ancillae missam delituisse sinu.
Quid? cum me munus natali mittis? at illa
Rumpit, et apposita barbara mersit aqua?
Prima tuae moui felicia semina mentis.
Munus habet, quod te iam petit, ista meum. 60
Desierant; coepi: Per uos utramque rogamus,
In uacuas aures uerba timentis eant.
Altera me sceptro decoras, altoque cothurno.
(Iam nunc contacto magnus in ore sonor)
Altera das nostro uicturum nomen amori. 65
Ergo ades, et longis uersibus adde breues.
Exiguum uati concede, Tragoedia, tempus.
Tu labor aeternus: quod petit illa, breue est.
Mota dedit ueniam. teneri properentur amores,
Dum uacat; a tergo grandius urget opus. 70

ELEGIA

53. Sa. et duo al. *illisa pependi*. Nonnulli *concisa, illusa, infixa, concussa*.

56. Alter M. *Ancillae missae*. Quidam *Ancillae miseram*, unde Heins. coni. *mersam*.

57. *Mittis* P. et chartac. Heins. Vulgo *misit*.

58. *Rumpit* P. et unus Mo. Vulgo *Rupit*.

61. Vulgo *Desierat*. *Ib.* al. *utrasque*.

62. *Aures* P. Pa. 3. et prima ed. Vulgo *auras*.

64. *Contacto ore* P. et optimus Pa. cum Exc. Scal. it. Fr. Mo. et Iun. Alii *contracto orbe*, *contacto orbe*, *cantato ore*. Alter Pol. *in toto multus ut orbe*. *Ib.* Apr. *orbe canor*. Quatuordecim *orbe sonus*. Sc. *tota magnus in urbe sonus*. Pa. 3. in *ore sinus*.

ELEGIA II.

Non ego nobilium ſedeo ſtudioſus equorum:
Cui tamen ipſa faues, uincat ut ille precor.
Vt loquerer tecum, ueni, tecumque ſederem:
Ne tibi non notus, quem facis, eſſet amor.
Tu curſus ſpectas, ego te. ſpectemus uterque 5
Quod iuuat, atque oculos paſcat uterque ſuos.
O, cuicunque faues, felix agitator equorum!
Ergo illi curae contigit eſſe tuae;
Hoc mihi contingat; ſacro de carcere miſſis
Inſiſtam forti mente uehendus equis. 10
Et modo lora dabo; modo uerbere terga notabo:
Nunc ſtringam metas interiore rota.
Si mihi currenti fueris conſpecta, morabor:
Deque meis manibus lora remiſſa fluent.
Ah quam pene Pelops Piſaea concidit haſta, 15
Dum ſpectat uultus, Hippodamia, tuos!
Nempe fauore ſuae uicit tamen ille puellae.
Vincamus dominae quiſque fauore ſuae.
Quid truſtra refugis? cogit nos linea iungi.

ELEG. II. u. 1. *Sedeo ſtudioſus* uterque P. B. et quatuor al. Vulgo *ſedeo ſpectator*, uel *uenio ſpectator*.

5. *Curſus* P. Vulgo *curſum*. *Ib. ſpectas* P. cum melior. Vulgo *ſpectes*.

8. Iun. *Ergo illum*. *Ib.* Mo. cum quatuor al. et prima ed. *eſſe meae*.

9. Mo. 2. *Si mihi*, 3. *Haec ſi contingant*.

14. P. unus et quidam al. *remiſſa cadent*.

15. *At quam* P. Me. et N. *Ibid. Piſaea haſta* P. B. et duo alii. Vulgo *Piſaeo axe*.

Haec in lege loci commoda Circus habet. 20
Tu tamen, a dextra quicunque es, parce puellae.
Contactu lateris laeditur ista tui.
Tu quoque, qui ſpectas poſt nos, tua contrahe crura,
Si pudor eſt, rigido nec preme terga genu.
Sed nimium demiſſa iacent tibi pallia terrae. 25
Collige; uel digitis en ego tollo meis.
Inuida ueſtis eras, quae tam bona crura tegebas:
Quoque magis ſpectes, Inuida ueſtis eras.
Talia Milanion Atalantes crura fugacis
Optauit manibus ſuſtinuiſſe ſuis. 30
Talia ſuccinctae pinguntur crura Dianae,
Cum ſequitur fortes, fortior ipſa, feras.
His ego non uiſis arſi. quid fiet ab iſtis?
In flammam flammas, in mare fundis aquas.
Suſpicor ex iſtis et caetera poſſe placere, 35
Quae bene ſub tenui condita ueſte latent.
Vis tamen interea faciles arceſſere uentos,
Quos faciat noſtra mota tabella manu?
An magis hic meus eſt animi, non aëris, aeſtus,
Captaque femineus pectora torret amor? 40

Dum

20. Tres ſcripti et multi ed. *ex lege.*
24. P. et Ar. *rigida manu.*
25. Al *dimiſſa-terra.Ibid.* vulgo *tua pallia.*
28. Tres Heinſ. *magis pecces.*
29. Al. corrupte *Mimalion, Melanion*, et *Minalion.*
31. Sa. *finguntur crura.*
37. Al. *tenues uentos.* Sc. *teneros.* Pa. 1. et al. *accedere uentos.*
38. Al. *faciet.* Al. *faciant noſtra m. flabella.* Ed. Berſm. *flagella.*

Dum loquor, alba nigro ſparſa eſt tibi puluere ueſtis.
Sordide de niueo corpore puluis abi.
Sed iam pompa uenit. linguis animisque fauete.
Tempus adeſt plauſus: aurea pompa uenit.
Prima loco fertur paſſis Victoria pennis: 45
Huc adeas; et meus hic fac, Dea, uincat amor.
Plaudite Neptuno, nimium qui creditis undis.
Nil mihi cum pelago: me mea terra capit.
Plaude tuo, miles, Marti: nos odimus arma.
Pax iuuat, et media pace repertus Amor. 50
Auguribus Phoebus, Phoebe uenantibus adſit:
Artifices in te uerte, Minerua, manus.
Ruricolae Cereri, teneroque aſſurgite Baccho:
Pollucem pugiles, Caſtora placet eques.
Nos tibi, blanda Venus, puerisque potentibus arcu 55
Plaudimus, inceptis annue, Diua, meis.
Daque nouae mentem dominae, patiatur amari.
Annuit; et motu ſigna ſecunda dedit.
Quod Dea promiſit, promittas ipſa rogamus.
Pace loquar Veneris: tu Dea maior eris. 60
Per tibi tot iuro teſtes, pompamque Deorum,
Te dominam nobis tempus in omne peti.

41. Al. *Dum tamen. Ibid.* Sc. *iſta nigro.* P. cum Exc. Scal et Pol *alba leui.* Multi *alba breui.* Pa. alter *alba tibi reſperſa eſt.*
45. *Paſſis* P. Sa. Ar. et quinque al. Vulgo *ſparſis.*
48. Al. *terra tenet.*
53. Al. *Agricolae Cereri.*
55. *Puerisque pot. arcu* P. Vulgo *puerique pot. armis.*
57. Al. *nouam mentem.*
60. Al. *loquor. Ib.* Fr. *tu mihi maior.*
61. Al. *Per ſuperos iuro.*
62. Al. *in omne fore.*

Sed pendent tibi crura: potes, ſi forte iuuabit,
Cancellis primos inſeruiſſe pedes.
Maxima iam uacuo Praetor ſpectacula Circo, 65
Quadriiuges aequo carcere miſit equos.
Cui ſtudeas uideo: uincet cuicunque fauebis.
Quid cupias, ipſi ſcire uidentur equi.
Me miſerum! metam ſpatioſo circuit orbe.
Quid facis? admoto proximus axe ſubit. 70
Quid facis, infelix? perdis bona uota puellae.
Tende precor ualida lora ſiniſtra manu.
Fauimus ignauo. ſed enim reuocate, Quirites;
Et date iactatis undique ſigna togis.
En reuocant. at, ne turbet toga mota capillos, 75
In noſtros abdas te licet uſque ſinus.
Iamque patent iterum reſerato carcere poſtes.
Euolat admiſſis diſcolor agmen equis.
Nunc ſaltem ſupera, ſpatioque inſurge patenti.
Sint mea, ſint dominae fac rata uota meae. 80
Sunt dominae rata uota meae: mea uota ſuperſunt.
Ille tenet palmam: palma petenda mihi eſt.
Riſit, et argutis quiddam promiſit ocellis.
Hoc ſatis hic. alio caetera redde loco.

ELEGIA

64. P. Mo. et tredecim al. *impoſuiſſe pedes.*
65. Al. *uacuo praeco.*
67. Al. *Cui faueas.*
70. *Subit* meliores. Al. *ſubi.*
72. Vnus Me. *flecte precor.*
73. Vulgo *ſed eum.*
78. Al. *Et uolat adm.* Iun. et tres al. *Et uolat emiſſis.* Pa. *Aduolat amiſſis.*
79. Pa unus *ſaltem propera.*
82. Vulgo *mea eſt.*
84. Al. *Hoc ſatis eſt.* Duo Heinſ. *Haec ſatis hic.*

ELEGIA III.

Esse Deos, i, crede. fidem iurata fefellit:
Et facies illi, quae fuit ante, manet.
Quam longos habuit nondum iurata capillos,
Tam longos, postquam numina lusit, habet.
Candida candorem roseo suffusa rubore 5
Ante stetit: niueo lucet in ore rubor.
Pes erat exiguus: pedis est aptissima forma.
Longa decensque fuit: longa decensque manet.
Argutos habuit, radiant ut sidus, ocellos;
Per quos mentita est perfida saepe mihi. 10
Scilicet aeterno falsum iurare puellis
Di quoque concedunt; formaque numen habet.
Perque suos illam nuper iurasse recordor,
Perque meos oculos; et doluere mei.
Dicite, Di; si uos impune fefellerit illa, 15
Alterius meritis cur ego damna tuli?
At non inuidiae uobis Cepheïa uirgo est,
Pro male formosa iussa parente mori.

Non

ELEG. III. u. 1. *I*, *crede* scribit Heins. quia in P. et optimo Pa. est *hic crede*. Vulgo *credamne*. *Ibid.* al. *periura fefellit*.

3. Al. *nondum periura*.

4. *Lusit* quinque Heins. cum Exc. Iur. Vulgo *laesit*.

6. *Stetit* Pol. Vulgo *fuit*.

7. Al. *artissima forma*.

11. *Aeterno* prima ed. cum P. Pa. optimo et sex al. Vulgo *aeterni*. Duo *aeternum*.

13. Pa. et sex al. *iurare recordor*.

14. Pa. alter cum decem al. et prima ed. *en doluere*.

15. Meliores codd. *fefellerat*.

16. Optimus Pa. et unus Mo. *meriti*.

Non ſatis eſt, quod uos habui ſine pondere teſtes,
Et mecum luſos ridet inulta Deos: 20
Vt ſua per noſtram redimat periuria poenam,
Victima deceptus decipientis ero?
Aut ſine re nomen Deus eſt, fruſtraque timetur;
Et ſtulta populos credulitate mouet:
Aut, ſi quis Deus eſt, teneras amat ille puellas; 25
Et nimium ſolas omnia poſſe iubet.
Nobis fatifero Mauors accingitur enſe:
Nos petit inuicta Palladis haſta manu.
Nobis flexibiles curuantur Apollinis arcus:
In nos alta Iouis dextera fulmen habet. 30
Formoſas Superi metuunt offendere laeſi:
Atque ultro, quae ſe non timuere, timent.
Et quiſquam pia tura focis imponere curet?
Certe plus animi debet ineſſe uiris.
Iuppiter igne ſuo lucos iaculatur et arces. 35
Miſſaque periuras tela ferire uetat.
Tot meruere peti. Semele miſerabilis arſit:
Officio eſt illi poena reperta ſuo.
At ſi uenturo ſe ſubduxiſſet amanti,
Non pater in Baccho matris haberet onus. 40

Quid

19. Al. *habuit.*
20. Tres ſcripti et edd. priſcae *laeſos deos.* Vnus Pa. *magnos.* Pol. *riſit.*
24. Mo. alter *Et uana.*
25. Prima et al. quaedam edd. uett. *ſi qui.*
27. Mo. 2. *Nobis peſtifero.*
33. *Curet* optimus Pal. Vulgo *curat.*
37. Al. *meruere pati.*
40. P. B. et Exc. Scal. *haberet opus.*

Quid queror; et toti facio conuicia coelo?
  Dî quoque habent oculos: Dî quoque pectus habent.
Si Deus ipse forem; numen sine fraude liceret
  Femina mendaci falleret ore meum.
Ipse ego iurarem uerum iurare puellas; 45
  Et non de tetricis dicerer esse Deus.
Tu tamen illorum moderatius utere dono:
  Aut oculis certe parce, puella, meis.

ELEGIA IV.

Dure uir, imposito tenerae custode puellae,
  Nil agis. ingenio quaeque tuenda suo.
Si qua metu demto casta est; ea denique casta est:
  Quae, quia non liceat, non facit, illa facit.
Vt iam seruaris bene corpus; adultera mens est: 5
  Nec custodiri, ni uelit, illa potest.
Nec mentem seruare potes, licet omnia claudas.
  Omnibus occlusis intus adulter erit.
Cui peccare licet, peccat minus. ipsa potestas
  Semina nequitiae languidiora facit. 10
Desine (crede mihi) uitia irritare uetando:
  Obsequio uincas aptius illa tuo.
Vidi ego nuper equum, contra sua uincla tenacem,
  Ore

41. *Toti* duo Heins. Vulgo *toto.*

45. *Iurare* P. Ar. et duo al. Vulgo *iurasse.*

46. P. alter, Fr. et quinque al. *de duris. Ib.* al. *esse Deis.*

ELEG. IV. u. 8 *Occlusis* duo scripti et prima ed. Vulgo *exclusis.*

12. *Vincas* unus Mo. Vulgo *uinces. Ibid.* al. *ipse tuo.*

13. Al. *sua frena.*

Ore reluctanti fulminis ire modo.
Conſtitit, ut primum conceſſas ſenſit habenas, 15
Frenaque in effuſa laxa iacere iuba.
Nitimur in uetitum ſemper, cupimusque negata.
Sic interdictis imminet aeger aquis.
Centum fronte oculos, centum ceruice gerebat
Argus: et hos unus ſaepe fefellit Amor. 20
In thalamum Danaë ſaxo ferroque perennem
Quae fuerat uirgo tradita, mater erat.
Penelope manſit, quamuis cuſtode carebat,
Inter tot iuuenes intemerata procos.
Quicquid ſeruatur, cupimus magis: ipſaque furem 25
Cura uocat. pauci, quod ſinit alter, amant.
Nec facie placet illa ſua, ſed amore mariti.
Neſcio quid, quod te ceperit, eſſe putant.
Non proba ſit, quam uir ſeruat, ſed adultera cara eſt;
Ipſe timor pretium corpore maius habet. 30
Indignere licet; iuuat inconceſſa uoluptas.

Sola

16. Al. *effuſas iubas*. Quidam ſcripti *effuſas comas*. Quatuor *effuſa coma*. *Ib*. quatuor *lapſa iacere*.

20. Pol. 2. et Pa. 1. *hos omnes*.

21. Vulgo *thalamo*, et *perenni*.

22. Al. *uirgo credita*.

23. Al. *careret*. Sc. *uacaret*.

24. *Tot iuuenes* P. Ar. et Exc. Scal. Vulgo *tam multos*.

25. Vnus Mo. *ipſa latronem*.

26. Multi ed. et ſcripti *Praeda uocat*. Al. *Cura facit*. *Ib*. Pa. *ament*.

27. Fr. *amore magiſtri*.

29. Ed. prima, Pa. 1. et ſeptem al. *proba ſit*.

31. Al. *indulgere licet*. *Ib*. al. *iuuet*. Multi ed. et ſcripti *placet*.

Sola placet; Timeo, dicere ſi qua poteſt.
Nec tamen ingenuam ius eſt ſeruare puellam.
Hic metus externae corpora gentis agat.
Scilicet ut poſſit cuſtos, Ego, dicere, feci, 35
In laudem ſerui caſta ſit illa tui.
Ruſticus eſt nimium, quem laedit adultera coniux;
Et notos mores non ſatis Vrbis habet:
In qua Martigenae non ſunt ſine crimine nati
Romulus Iliades, Iliadesque Remus. 40
Quo tibi formoſam, ſi non niſi caſta placebat?
Non poſſunt ullis iſta coire modis.
Si ſapis, indulge dominae; uultusque ſeueros
Exue: nec rigidi iura tuere uiri.
Et cole, quos dederit (multos dabit) uxor amicos. 45
Gratia ſic minimo magna labore uenit.
Sic poteris iuuenum conuiuia ſemper inire:
Et, quae non dederis, multa uidere domi.

ELEGIA

33. Sc. *fas eſt.*
34. Alter Mo. *gentis habet.*
35. Duo Heinſ. *tibi dicere.*
36. Iun. *Per laudem.* Sa. et alter P. *In laudes.*
41. *Quo tibi formoſam* P. et optimus Pa. *formoſa* Ar. Vulgo *Quid tibi formoſa.*
41. Al. corrupte *ſi non tibi caſta placebit.*
46. Quinque ex melior. *multa labore.* Mo. 3. *parta labore.*
47. Pol. et Mo. *ſemper adire.*
48. Al. *non tuleris. Ibid.* B. cum al. *uidere dari.*

ELEGIA V.

Nox erat: et ſomnus laſſos ſubmiſit ocellos.
Terruerunt animum talia uiſa meum.
Colle ſub aprico celeberrimus ilice lucus
Stabat; et in ramis multa latebat auis.
Area gramineo ſuberat uiridiſſima prato, 5
Vuida de guttis lene ſonantis aquae.
Ipſe ſub arboreis uitabam frondibus aeſtum;
Fronde ſub arborea ſed tamen aeſtus erat.
Ecce, petens uariis immixtas floribus herbas,
Conſtitit ante oculos candida uacca meos. 10
Candidior niuibus, tunc cum cecidere recentes;
In liquidas nondum quas mora uertit aquas.
Candidior, quod adhuc ſpumis ſtridentibus albet,
Et modo ſiccatam, lacte, relinquit ouem.
Taurus erat comes huic, feliciter ille maritus: 15
Cumque ſua teneram coniuge preſſit humum.
Dum iacet, et lente reuocatas ruminat herbas,
Atque iterum paſto paſcitur ante cibo;
Viſus erat, ſomno uires adimente, ferenti
Cornigerum terrae depoſuiſſe caput. 20

Huc

ELEG. V. u. 1. Sa. pro diu. lect. *lapſos ſubmiſit.*
2. *Terruerunt* P. Vulgo *Terruerant.*
3. P. *creberrimus ilice.*
5. Al. *nitidiſſima prato.*
6. *Vuida* P. Vulgo *Humida. Ibid.* Pa. 2. *lene fluentis.*
9. Vnus M. *innexas floribus.*
13. Vnus M. *candentibus albet.* Pa. *ſtridentibus ardet.*
18. P. *facto paſcitur. Ibid.* unus Pa. *ruminat ejcas.*
19. *Ferenti* P. Ar. et unus Mo. Cod. Me. *uirenti.* Vulgo *ferendi.*
20. P. et Ar. *terra.*

Huc leuibus cornix pennis delapsa per auras
  Venit; et in uiridi garrula sedit humo.
Terque bouis niueae petulanti pectora rostro
  Fodit; et albentes abstulit ore iubas.
Illa locum taurumque diu cunctata relinquit. 25
  Sed niger in uaccae pectore liuor erat.
Vtque procul uidit carpentes pabula tauros;
  (Carpebant tauri pabula laeta procul)
Illuc se rapuit, gregibusque immiscuit illis;
  Et petiit herbae fertilioris humum. 30
Dic, age, nocturnae, quicunque es, imaginis augur,
  (Si quid habent ueri) uisa quid ista ferant.
Sic ego: nocturnae sic dixit imaginis augur,
  Expendens animo singula uisa suo:
Quem tu mobilibus foliis uitare uolebas, 35
  Sed male uitabas, aestus amoris erat.
Vacca puella tua est. aptus color ille puellae.
  Tu uir, et in uacca compare taurus eras.
Pectora quod rostro cornix fodiebat acuto;

Ingeni-

24. Fragm. Pat. *Caedit; et alb.* Sc. *Rodit. Ibid.* uulgo *ore notas*, quod praefert Burm. Fr. *inde notas.* Al. *ore comas.*

28. Al. *pabula lata.* L. *lecta.*

29. Vulgo *Illic.*

30. *Humum* P. Sa. Exc. Iur. et quatuor al. it. prima ed. Vulgo *opem.*

32. Al. *ista ualent.* Iun. *uelint.*

33. Iun. *Sic mihi nocturnae respondit im*

34. *Expendens* alter M. Al. *Excudens.* Quidam *Exponens*, uel *Expediens.* Vnus *Attendens.* Vnus A. *Excutiens. Ib.* al. *singula dicta.*

35. Al. *uitare solebas*

Ingenium dominae lena mouebit anus. 40
Quod cunctata diu taurum ſua uacca reliquit;
Frigidus in uiduo deſtituere toro.
Liuor, et aduerſo maculae ſub pectore nigrae,
Pectus adulterii labe carere negant.
Dixerat interpres. gelido mihi ſanguis ab ore 45
Fugit; et ante oculos nox ſtetit alta meos.

ELEGIA VI.

Amnis, arundinibus limoſas obſite ripas,
Ad dominam propero; ſiſte parumper aquas.
Nec tibi ſunt pontes, nec quae ſine remigis ictu
Concaua traiecto cymba rudente uehat.
Paruus eras, memini; nec te tranſire refugi; 5
Summaque uix talos contigit unda meos.
Nunc ruis oppoſito niuibus de monte ſolutis;
Et turpi craſſas gurgite uoluis aquas.
Quid properaſſe iuuat? quid parca dediſſe quieti
Tempora? quid nocti conſeruiſſe diem? 10
Si tamen hic ſtandum; ſi non datur artibus ullis
Vlterior noſtro ripa premenda pedi.

Nun

40. Vulgo *laeua mouebat.* V. *prona mouebat.* M. *perfida mouit. Mouebit* quatuor Heinſ. pro *mouebat*

45. Vnus M. *gelidus.*

46. Vnus M. *atra meos.*

ELEG. VI. u. 3. Vnus V. *ſunt lintres. Ib.* ſeptem Heinſ. *remigis uſu.* Duo Mo. *rem. arte.*

7. Al. *oppoſitis.* P. et al complures *appoſito. Ibid.* Mo 3. *ſub monte.*

8. Mo. *turpi emiſſas.*

9. *Parca* P. et Fr. cum Exc Iur. et Scal. Al. *parua*, ut *pauca.*

Nunc ego, quas habuit pennas Danaeïus heros,
Terribili denſum cum tulit angue caput;
Nunc opto currum; de quo Cerealia primum 15
Semina uenerunt in rude miſſa ſolum.
Prodigioſa loquor ueterum mendacia uatum;
Nec tulit haec, nec fert, nec feret ulla dies.
Tu potius, ripis effuſe capacibus amnis,
(Sic aeternus eas) labere fine tuo. 20
Non eris inuidiae, torrens, (mihi crede) ferendae,
Si dicar per te ſorte retentus amans.
Flumina deberent iuuenes in amore iuuare.
Flumina ſenſerunt ipſa, quid eſſet amor.
Inachus in Melie Bithynide pallidus iſſe 25
Dicitur, et gelidis incaluiſſe uadis.
Nondum Troia fuit luſtris obſeſſa duobus,
Cum rapuit uultus, Xanthe, Neaera tuos.
Quid? non Alpheon diuerſis currere terris
Virginis Arcadiae certus adegit amor? 30
Te quoque promiſſam Xantho, Penêe, Creüſam
Phthiotum terris occuluiſſe ferunt.

16. N. et quatuor al. *Semina creuerunt.*

18. *Nec fert* duo Mo. N. Me et unus Pa. Vulgo *umquam.*

19. Fr. *effuſe rapacibus.* Burm. uult *riuis effuſe rapacibus.*

22. Al. *retentus amor.*

25. Vulgo mendoſe *in media.* Quidam *in Nymrha.*

27. Mo. Scr. Pa. et quatuor al. *oppreſſa duobus.*

31. Quidam *Penêe*, *Neaeram.*

32. *Phthiotum* repoſuit Heinſ. ex P. in quo *Phiotum.* Vulgo *Phthiiadum*, [illegible] *dum* et *Phiciadum.*

Quid referam Asopon, quem cepit Martia Thebe,
  Natarum Thebe quinque futura parens?
Cornua si tua nunc ubi sint, Acheloë, requiram; 35
  Herculis irata fracta querêre manu.
Nec tanti Calydon, nec tota Aetolia tanti;
  Vna tamen tanti Deïanira fuit.
Ille fluens diues septena per ostia Nilus,
  Qui patriam tantae tam bene celat aquae, 40
Fertur in Euadne collectam Asopide flammam
  Vincere gurgitibus non potuisse suis.
Siccus ut amplecti Salmonida posset Enipeus,
  Cedere iussit aquam: iussa recessit aqua.
Nec te praetereo, qui, per caua saxa uolutans, 45
  Tiburis Argei spumifer arua rigas.
Ilia cui placuit, quamuis erat horrida cultu,
  Vngue notata comas, ungue notata genas.
Illa, gemens patruique nefas, delictaque Martis,
  Errabat nudo per loca sola pede. 50
Hanc amnis rapidis animosus uidit ab undis;
  Raucaque de mediis sustulit ora uadis:
Atque ita, Quid nostras, inquit, teris anxia ripas,
  Ilia, ab Idaeo Laomedonte genus?

Quo

40. Al. *non bene* N. et Pa. 1. *tanta aqua.* Pa. 3. *fractae aquae.* Mo. *Qui fontem tantae.* Vnus Heins. *Qui patriae tantas t b. c. aquas.*
45. Sa. et Me. *praeteream.* *Ib.* al. *uolutas.* Ed. Gryph, a. 1554. *uolutus.*
46. Al. *pomifer arua.*
47. Mo. unus *horrida cultus.* Al. *horr. uultu.*
50. Pol. unus *loca sicca.*
51. Al. *in undis.*

Quo cultus abiere tui? quid sola uagaris? 55
Vitta nec euinctas impedit alba comas?
Quid fles, et madidos lacrymis corrumpis ocellos?
Pectoraque insana plangis aperta manu?
Ille habet et silices et uiuum in pectore ferrum,
Qui tenero lacrymas lentus in ore uidet. 60
Ilia, pone metus; tibi regia nostra patebit:
Teque colent amnes; Ilia, pone metus.
Tu centum, aut plures, inter dominabere Nymphas:
Nam centum, aut plures flumina nostra tenent.
Ne me sperne, precor, tantum, Troiana propago: 65
Munera promissis uberiora feres.
Dixerat illa, oculos in humum deiecta modestos,
Spargebat tepidos flebilis imbre sinus.
Ter molita fugam, ter ad altas restitit undas,
Currendi uires cripiente metu. 70
Sera tamen scindens inimico pollice crinem,
Edidit indignos ore tremente sonos:

56. Fr. N. Mo. duo et V. unus *nec incultas*. Alter Pol. *impexas*. *Ibid.* multi *impedit alla*.

57. Olim editi et unus Mo. a manu sec. *teneros ocellos*.

58. Al. *insana tundis*. *Ibid.* al. *acerba manu*. Med. 1. *tundis inepta manu*.

59. *Viuum* P. et Exc. Scal. Vulgo *durum*.

60. *Lentus* P. et Exc. Scal. Vulgo *laetus*.

63. Pol. *celebrabere Nymph.*

65. *Troiana* Exc. P. et Scal. cum quatuor Heins. Vulgo *Romana*.

66. Fr. *ulteriora feres*.

68. Al. *tepido*. P. Pa. optimus, unus M. et Sa. pro diu. lect. *teneros*.

70. Plurimi scripti et prima ed. *impediente metu*.

71. Al. *Saeua tamen*. Nonnulli *Sero*.

O utinam mea lecta forent, patrioque ſepulcro
Condita, dum poterant uirginis oſſa legi!
Cur modo Veſtalis taedas inuitor ad ullas 75
Turpis, et Iliacis inficianda focis?
Quid moror? en digitis deſignor adultera uulgi.
Deſit famoſis, qui notet ora, pudor.
Hactenus; et ueſtem tumidis praetendit ocellis:
Atque ita ſe in rapidas perdita miſit aquas. 80
Suppoſuiſſe manus ad pectora lubricus amnis
Dicitur; et ſocii iura dediſſe tori.
Te quoque credibile eſt aliqua caluiſſe puella:
Sed nemora et ſiluae crimina ueſtra tegunt.
Dum loquor, increuit latis ſpatioſius undis, 85
Nec capit admiſſas alueus altus aquas.
Quid mecum, furioſe, tibi? quid mutua differs
Gaudia? quid coeptum, ruſtice, rumpis iter?
Quid? ſi legitimum flueres, ſi nobile flumen?
Si tibi per terras maxima fama foret? 90
Nomen habes nullum, riuis collecte caducis;
Nec tibi ſunt fontes, nec tibi certa domus.
Fontis habes inſtar pluuiamque niuesque ſolutas;

Quas

73. 74. *Lecta* pro uulg. *tecta* reſcribit Heinſ. quia P. uerſu ſeq. habet *oſſa legi*. Vulgo *oſſa tegi*. *Ibid.* N. *paruoque ſepulcro.*

77. Al. *et digitis.*

78. *Famoſis* Pa. Vulgo *famoſus.*

79. Al *timidis ocellis.*

83. Pa *tenera caluiſſe*. P. 2. et Exc. Voſſ. *aliqua incaluiſſe*. Fr. *tepuiſſe.*

85. Al. *ſpatioſus in undis.* Vulgo *uaſtis ſpatioſus in u.*

87. P. 2. et Exc. Voſſ. *mutua perdis.*

91. Al. *niuibus coll.*

Quas tibi diuitias pigra miniſtrat hiems.
Aut lutulentus agis brumali tempore curſus: 95
Aut premis arentem puluerulentus humum.
Quis te tum potuit ſitiens haurire uiator?
Quis dixit grata uoce, Perennis eas?
Damnoſus pecori curris, damnoſior agris.
Forſitan haec alios; me mea damna mouent. 100
Huic ego uae demens narrabam fluminum amores?
Iactaſſe indigno nomina tanta pudet.
Neſcio quid ſpectans, Acheloon et Inachon amnes,
Et potui nomen, Nile, referre tuum.
At tibi pro meritis opto, non candide torrens, 105
Sint rapidi ſoles, ſiccaque ſemper hiems.

ELEGIA VII.

At non formoſa eſt, at non bene culta puella;
At, puto, non uotis ſaepe petita meis!
Hanc tamen in nullos tenui male languidus uſus,
Sed iacui pigro crimen onusque toro.
Nec potui cupiens, pariter cupiente puella, 5

Y 4 Ingui-

97. *Tum* P. Vulgo *umquam. Ibid.* Mo. 3. *haurire natator.*

99. Quidam codd. *pecori, cultis.*

101. Al. *nae demens*, uel *nunc demens.* Vnus Med. *ah demens.* Sc. *uah dem.* Iun. *cur dem.*

103. Al. *Neſcio quem*, F. et B. *quam.* P. et Exc. Iur. *Neſcio quem huc ſpectas.* N. et duo al. *hunc ſpectans.*

106. N. *rabidi ſoles.*

ELEG. VII. u. 1. 2. *At* pro uulg. *Aut* ter geminant P. Sa. et tres al. cum Naugerianis.

4. Al. *Sic iacui.*

Inguinis effoeti parte iuuante frui.
Illa quidem noſtro ſubiecit eburnea collo
Brachia, Sithonia candidiora niue:
Oſculaque inſeruit cupidae luctantia linguae:
Laſciuum femori ſuppoſuitque femur. 10
Et mihi blanditias dixit, Dominumque uocauit:
Et quae praeterea publica uerba iuuant.
Tacta tamen ueluti gelida mea membra cicuta,
Segnia propoſitum deſtituere ſuum.
Truncus iners iacui, ſpecies, et inutile pondus: 15
Nec ſatis exactum eſt, corpus an umbra forem.
Quae mihi uentura eſt (ſi quidem uentura) ſenectus,
Cum deſit numeris ipſa iuuenta ſuis?
Ah pudet annorum! quo me iuuenemque uirumque,
Nec iuuenem, nec me ſenſit amica uirum. 20
Sic flammas aditura pias aeterna ſacerdos
Surgit, et a caro fratre uerenda ſoror.
At nuper bis flaua Chlide, ter candida Pitho,
Ter Libas officio continuata meo.
Exigere a nobis anguſta nocte Corinnam, 25
Me

8. Pa. *Sidonia.*
9. *Cupidae linguae* prima ed. et tres ſcripti. Vulgo *cupide luct. lingua.* Quidam *cupida lingua.* Duo *cupidis linguis.* P. et tres al. *cupide linguis.*
14. Scr. et duo al. *propoſ. deſeruere. Ib. ſuum* Exc. Pol. et B. Vulgo *meum.*
15. *Pondus* P. Fr. et al. nonnulli. Al. *lignum*, uel *ſignum* Ar. *pondusque et inutile lignum.*
17. Complures codd. *ſi qua eſt uentura.*
19. *Quo* P. pro *quod.*
23. *Chlide* ſcribit Heinſ. e P. in quo *Clide.* Vulgo *Chie.* B. *Clyte.* Al. aliter.

Me memini numeros sustinuisse nouem.
Num mea Thessalico languent deuota ueneno
Corpora? num misero carmen et herba nocent?
Sagane Poenicea desixit nomina cera,
Et mediam tenues in iecur egit acus? 30
Carmine laesa Ceres sterilem uanescit in herbam:
Deficiunt laesi carmine fontis aquae;
Ilicibus glandes, cantataque uitibus uua
Decidit; et nullo poma mouente fluunt.
Quis uetat et neruos magicas torpere per artes? 35
Forsitan impatiens sit latus inde meum.
Huc pudor accessit; facti pudor ipse nocebat:
Ille fuit uitii causa secunda mei.
At qualem uidi tantum tetigique puellam,
Sic etiam tunica tangitur ipsa sua. 40
Illius ad tactum Pylius iuuenescere possit,
Tithonosque annis fortior esse suis.
Haec mihi contigerat; sed uir non contigit illi.
Quas nunc concipiam per noua uota preces?

26. Al. *Et memini.*
27. Multi scripti *Nunc mea*, uel *Non mea.*
28. Exc. P. et duo Mo. *uirus et herba.*
29. Quidam *Punicea.*
30. Al. *urget acus.*
31. Sc. et Fr. *tenuem uanescit. Ib.* Iun. in *auram.*
32. *Laesi* P. et Pa. optimus it. edd. Ald. Gryph. et al. Vulgo *laesae.*
34. Plurimi codd. *mouente cadunt.*
37. Ita Mo. 1. et edd. Gryph. Micyll. et al. Vulgo interpungunt post *facti.* Mo. unus *Huic. p. acc. facto.* N. *accessit; facto.*
39. *Tantum* P. A. Mo. tres et duo al. Vulgo *qualem.*
41. *Ad tactum* P. Vulgo a *tactu.* B. *ad tactus.* Al *attactu.*

Credo etiam magnos, quo ſum tam turpiter uſus, 45
Muneris oblati poenituiſſe Deos.
Optabam certe recipi; ſum nempe receptus:
Oſcula ferre; tuli: proximus eſſe; fui.
Quo mihi fortunae tantum? quo regna ſine uſu?
Quid, niſi poſſedi diues auarus, opes? 50
Sic aret mediis taciti uulgator in undis;
Pomaque, quae nullo tempore tangat, habet.
A tenera quiſquam ſic ſurgit mane puella,
Protinus ut ſanctos poſſit adire Deos.
Sed, non blanda, puto, non optima perdidit in me 55
Oſcula: non omni ſollicitauit ope.
Illa graues potuit quercus, adamantaque durum,
Surdaque blanditiis ſaxa mouere ſuis.
Digna mouere fuit certe Diuosque uirosque;
Sed neque tum uixi, nec uir, ut ante, fui. 60
Quid iuuet, ad ſurdas ſi cantet Phemius aures?
Quid miſerum Thamyran picta tabella iuuet?
At quae non tacita formaui gaudia mente!
Quos ego non finxi diſpoſuique modos!
Noſtra tamen iacuere, uelut praemortua, membra 65
Turpi-

49. *Quo mihi* et *quo regna.* P. et optimus Pa. Vulgo *Quid mihi* et *quid regna.* Iun. et quatuor al. *quid dona ſine uſu.* Mo. 3 *quo dona.*

50. P. 2. *Quid mihi.*

54. Pa. 2. *magnos Deos.*

59. *Viuosque* P. et Exc. Iun. Vulgo *diuosque.*

61. *Iuuet* ſcribit Heinſ. quia in P. eſt *iubet.* Vulgo *iuuat. Ibid.* B. *ſi clamet. Ib.* al. *Phineus aures.* Fr. et quatuor al. *Thracius.*

62 Al. *Thamyrin.* Exc. P. *coecum Tham.* Duo al. *lippum.*

64. Plurimi MSS. et ed. prima *diſpoſuique iocos.*

Turpiter, hesterna languidiora rosa.
Quae nunc ecce rigent intempestiua, ualentque:
Nunc opus exposcunt militiamque suam.
Quin istic pudibunda iaces, pars pessima nostri;
Sic sum pollicitis captus et ante tuis. 70
Tu dominam fallis: per te deprensus inermis
Tristia cum magno damna pudore tuli.
Hanc etiam non est mea dedignata puella
Molliter admota sollicitare manu.
Sed postquam nullas consurgere posse per artes, 75
Immemoremque sui procubuisse uidet;
Quid me ludis? ait: quis te, male sane, iubebat
Inuitum nostro ponere membra toro?
Aut te traiectis Aeaea uenefica lanis
Deuouet? aut alio lassus amore uenis. 80
Nec mora: desiluit tunica uelata recincta:
Et decuit nudos proripuisse pedes.
Neue sine possent intactam scire ministrae;
Dedecus hoc sumta dissimulauit aqua.

ELEGIA

67. *Rigent* prima ed. et sex scripti. Vulgo *uigent*.

69. Al. *iace. Ib.* Med. 1. et prima ed. *pessima rerum.*

70. Al. *Sic sim. Ib. captus et* unus Mo. Vulgo *captus ut.*

71. *Dominam* N. cum tribus al. Vulgo *dominum. Ibid.* Fr Scr. et duo al. *deceptus inermis.*

79. Al. *traiectis ranis.* P. cum al. *terra lectis ramis.* Sa. *delectis ramis.* Quidam al. *traiectis ramis, selectis ramis, collectis ramis, detectis ramis, iactatis ramis, transiectis ramis, traiectis uenis, conuectis ramis, Lethaeis rammis.* Heins. coni. *traiectis lamnis. Ibid.* Iun. et Pa. 3. *Circea uenefica.*

81. Al. *dissiluit.* Sc. *prosiluit.*

82. Al. *praeripuisse.*

ELEGIA VIII.

Et quiſquam ingenuas etiamnum ſuſpicit artes,
Aut tenerum dotes carmen habere putat?
Ingenium quondam fuerat pretioſius auro:
At nunc barbaries grandis, habere nihil.
Cum pulchre noſtri dominae placuere libelli; 5
Quo licuit libris, non licet ire mihi.
Cum bene laudauit, laudato ianua clauſa eſt.
Turpiter huc illuc ingenioſus eo.
Ecce recens diues, parto per uulnera cenſu,
Praeferitur nobis, ſanguine paſtus eques. 10
Hunc potes amplecti formoſis, uita, lacertis?
Huius in amplexus, uita, uenire potes?
Si neſcis, galeam caput hoc portare ſolebat:
Enſe latus cinctum, quod tibi ſeruit, erat.
Laeua manus, cui nunc ſerum male conuenit aurum, 15
Scuta tulit. dextram tange, cruenta fuit.
Qua periit aliquis, potes hanc contingere dextram?
Heu! ubi mollities pectoris illa tui?
Cerne cicatrices, ueteris ueſtigia pugnae.

Quae-

ELEG. VIII. u. 1. *En quiſquam* P. Vulgo *Et quiſquam. Ib.* al. *ſuſcipit.* N. *ſuſtinet.*
3. Pa. 2 *ſpecioſius auro,*
5. Al. *pulchrae.*
7. Med. alter, Pa. 1. V. et Pol. 1. *bene laudaui, laudani.*
10. *Paſtus* P. 1. Vulgo *fectus.* Vnus Mo. et Exc. Iur. *ſanguinolentus eques.* P. 2. *ſangu. ſparſus.* Optimus Pa. *ſangu. partus.*
11. 12. *Vita* utroque uerſu P. Vulgo *ſtulta.* Pa. *fulta.*
12 Al. *amplexu, ſtulta, iacere.* Be. *in amplexus ſola uenire.*

Quaesitum est illi corpore, quicquid habet. 20
Forsitan et, quoties hominem iugulauerit, ille
Indicet. hoc fassas tangis, auara, manus?
Ille ego, Musarum purus Phoebique sacerdos,
Ad rigidas canto carmen inane fores.
Discite, qui sapitis, non quae nos scimus inertes, 25
Sed trepidas acies, et fera castra sequi:
Proque bono uersu primum deducite pilum.
Hoc tibi, si uelles, possit, Homere, dari.
Iuppiter admonitus nihil esse potentius auro,
Corruptae pretium uirginis ipse fuit. 30
Dum merces aberat; durus pater, ipsa seuera,
Aerati postes, ferrea turris erat:
Sed postquam sapiens in munera uenit adulter;
Praebuit ipsa sinus: et dare iussa dedit.
At cum regna senex coeli Saturnus haberet; 35
Omne lucrum tenebris alta premebat humus.
Aeraque et argentum, cumque auro pondera ferri
Manibus admorat: nullaque massa fuit.
At meliora dabat; curuo sine uomere fruges,
Pomaque, et in querceu mella reperta caua. 40
Nec ualido quisquam terras findebat aratro:

Signabat

20. Vnus Heinf. *illi sanguine.*
21. Sa. *hostem iugul.*
22. Ar. *Dicat et hoc fassas.*
24. Vnus Mo. et Iun. *nomen inane.*
25. *Non quae nos* unus Mo. Ar. pro diu. lect. et unus Heinf. Vulgo *non haec quae.*
26. *Castra* P. Sa. et unus Mo. Vulgo *bella.*
31. Fr. *ipsaque dura.*
35. Sc. *cum iura.*
41. *Terras findebat* Exc Pol. Vulgo *terram scindebat.* Exc. Iur. *terras aperibat.* Pa

Signabat nullo limite mensor humum.
Non freta demissi uerrebant eruta remi.
Vltima mortali tum uia litus erat.
Contra te sollers, hominum Natura, fuisti; 45
Et nimium damnis ingeniosa tuis.
Quo tibi, turritis incingere moenibus urbes?
Quo tibi, discordes addere in arma manus?
Quid tibi cum pelago? terra contenta fuisses.
Cur non et coelum, tertia regna, petis? 50
Qua licet, affectas coelum quoque. templa Quirinus,
Liber, et Alcides, et modo Caesar, habent.
Eruimus terra solidum pro frugibus aurum.
Possidet inuentas sanguine miles opes.
Curia pauperibus clausa est: dat census honores; 55
Inde grauis iudex; inde seuerus eques.
Omnia possideant: illis Campusque, Forumque
Seruiat: hi pacem crudaque bella gerant.
Tantum ne nostros auidi praedentur amores;
Et satis est, aliquid pauperis esse sinant. 60

At

1. et V. *Nec terram ualido cultor scindebat ar.*

42. *Mensor* P. et sex al. Vulgo *fossor.*

43. Cod. Marii *demisso remo.* P. *dimissi uerr. er. remo.* Iun. *demisso uerrebat nauita remo.*

47. 48. Al. *Quid tibi.*

48. Al. *arma uiros.*

50. Exc. Scal. *regna facis.* P. *dona facis.*

52. P. *Viribus et Alcides,* unde coni. Heins. *Virbius, Alcides.*

58. Al. *saeuaque bella.*

59. *Praedentur* Fr. a manu sec. et unus Heins. cum al. *lucrentur.* Margo Bersin. et ed. Gryph. a. 1554. *liceantur.* Al. *uenentur, precientur, lanientur, luctentur,* et similia.

60. Al. *aliquam.*

At nunc, exaequet tetricas licet illa Sabinas,
Imperat ut captae, qui dare multa poteſt.
Me prohibet cuſtos: in me timet illa maritum.
Si dederim, tota cedet uterque domo.
O, ſi neglecti quiſquam Deus ultor amantis 65
Tam male quaeſitas puluere mutet opes!

ELEGIA IX.

Memnona ſi mater, mater plorauit Achillen,
Et tangunt magnas triſtia fata Deas;
Flebilis indignos, Elegeïa, ſolue capillos.
Ah nimis ex uero nunc tibi nomen erit!
Ille tui uates operis, tua fama, Tibullus 5
Ardet in extructo, corpus inane, rogo.
Ecce, puer Veneris fert euerſamque pharetram,
Et fractos arcus, et ſine luce facem.
Adſpice, demiſſis ut eat miſerabilis alis;
Pectoraque infeſta tundat aperta manu. 10
Excipiunt ſparſi lacrymas per colla capilli,
Oraque ſingultu concutiente ſonant.
Fratris in Aeneae ſic illum funere dicunt
Egreſſum tectis, pulcher Iüle, tuis.
Nec minus eſt confuſa Venus, moriente Tibullo, 15

Quam

61. Vnus Med. *rigidas licet.* Alii *duras, fortes, tetras.* Vnus F. *tacitas.*
66. Pa. 1. *uertat opes.*
ELEG. IX. u. 1. P. 2. et Me. *ſi mater fleuit Ach.*
2. Pol. *Si tangunt.*
4. Quidam *nomen ineſt.*
14. Al. *Egreſſum caſtris.*
15. Duo ſcripti *concuſſa Venus.*

Quam iuueni rupit cum ferus inguen aper.
At ſacri uates, et Diuûm cura uocamur:
Sunt etiam, qui nos numen habere putent.
Scilicet omne ſacrum mors importuna profanat:
Omnibus obſcuras iniicit illa manus. 20
Quid pater Iſmario, quid mater, profuit Orpheo?
Carmine quid uictas obſtupuiſſe feras?
Aelinon in ſiluis idem pater, Aelinon, altis
Dicitur inuita concinuiſſe lyra.
Adiice Maeoniden, a quo, ceu fonte perenni, 25
Vatum Pieriis ora rigantur aquis;
Hunc quoque ſumma dies nigro ſubmerſit Auerno;
Diffugiunt auidos carmina ſola rogos.
Durat opus uatum, Troiani fama laboris,
Tardaque nocturno tela retexta dolo. 30
Sic Nemeſis longum, ſic Delia, nomen habebunt;
Altera, cura recens, altera, primus amor.

Quid

16. Al. *iuuenis. Ib.* Pa. 2. *rapuit cum.*

19. N. *importuna fatigat.*

22. Pa. optimus *obripuiſſe feras*, forte *obriguiſſe.*

23. *Aelinon* utroque loco reponit Heinſ. et ſic primo certe loco V. Med. et P. a manu pr. Vulgo primo loco *Et Linon*, altero P. Pa. optimus, Ar. et tres al. *et Linon altis*, al. *editus altis*, *abditus altis*, *edidit altis*, *abditum in altis*, uel *expoſitum*, et ſimil.

24. Al. *inuicta. Ibid.* al. *conticuiſſe.*

25. Vulgo *Adſpice Maeon.*

27. *Submerſit* Sa. et tres al. Vulgo *demerſit.* Fr. et alius Heinſ. *dimiſit.* Heinſ. uult *demiſit.*

28. *Diffugiunt* uetuſtiores cod. et pr. ed. Vulgo *effugiunt.* Vnus Mo. *defugiunt.*

30. Duodecim Heinſ. *retenta dolo*, octo al. *retecta*, unde Heinſ. coni. *relecta.*

Quid uos ſacra iuuant? quid nunc Aegyptia proſunt
  Siſtra? quid in uacuo ſecubuiſſe toro?
Cum rapiant mala fata bonos, (ignoſcite faſſo) 35
  Sollicitor nullos eſſe putare Deos.
Viue pius; moriere pius. cole ſacra; colentem
  Mors grauis a templis in caua buſta trahet.
Carminibus confide bonis. iacet ecce Tibullus.
  Vix manet e tanto parua quod urna capit. 40
Tene, ſacer Vates, flammae rapuere rogales;
  Pectoribus paſci nec timuere tuis?
Aurea ſanctorum potuiſſent templa Deorum
  Vrere, quae tantum ſuſtinuere nefas.
Auertit uultus, Erycis quae poſſidet arces. 45
  Sunt quoque, qui lacrymas continuiſſe negent.
Sed tamen hoc melius, quam ſi Phaeacia tellus
  Ignotum uili ſuppoſuiſſet humo.
Hinc certe madidos fugientis preſſit ocellos
  Mater; et in cineres ultima dona tulit: 50
Hic ſoror in partem miſera cum matre doloris Venit,

33. *Vos* P. et quinque al. Vulgo *nos*. Al. *nunc*.

35. Meliores *rapiunt*. R. *Cum mala fata bonos perdant*.

37. *Moriere pius* P. cum al. N. *moriture pius*. Vulgo *Viue tamen moriture pius*. Al. *Viue pius, moriere tamen*. Quidam *Viue tamen, moriere pius*, et *Viue pius, moriere pius*.

38. Al. *Mors tamen*. Me. *Sors grauis*. *Ibid.* margo Berſm. et unus Heinſ. *in ſua*.

39. Exc. Iur. *ille Tibullus*.

40. *E tanto* unus Pa. et unus V. Vulgo *e toto*. *Ibid.* unus Mo. unus Me. et Fr. *curua urna*.

49. *Hinc* P. et Pa. Vulgo *Hic*. Quidam *Huic*. *Ib.* uulgo *certe manibus*.

50. Al. *dona dedit*.

51. Al. *dolori*. Antiqua ed. *mixti cum matre dolorum*.

Venit, inornatas dilaniata comas.
Cumque tuis ſua iunxerunt Nemeſisque, priorque
Oſcula: nec ſolos deſtituere rogos.
Delia diſcedens, Felicius, inquit, amata 55
Sum tibi: uiximſti, dum tuus ignis eram.
Cui Nemeſis, Quid ais? tibi ſint mea damna dolori,
Me tenuit moriens deficiente manu.
Si tamen e nobis aliquid, niſi nomen et umbra,
Reſtat; in Elyſia ualle Tibullus erit. 60
Obuius huic uenias, hedera iuuenilia cinctus
Tempora, cum Caluo, docte Catulle, tuo.
Tu quoque (ſi falſum eſt temerati crimen amici)
Sanguinis atque animae prodige Galle tuae.
His comes umbra tua eſt; ſi quid modo corporis 65
umbra eſt.
Auxiſti numeros, culte Tibulle, pios.
Oſſa quieta, precor, tuta requieſcite in urna:
Et ſit humus cineri non oneroſa tuo.

ELEGIA X.

Annua uenerunt Cerealis tempora ſacri.
Secubat in uacuo ſola puella toro.
Flaua

52. Al. *dilacerata comas.*
53. Sc. *Cumque tuis oculis Nemeſis iunxere priorque.*
57. *Sint* Mo. Iun. et Pa. 3. Vulgo *ſunt.*
59. Sc. et alius *niſi corpus.* Be. *niſi corporis umbra.*
60. Fr. *Tibullus eas.*
61. Pa. 2. *myrto iuuenilia.* *Ib.* quatuor libri *iuuen. uinctus.*
65. *Si quid modo c. u. eſt* Exc. Iur. et tres al. codd. Vulgo *ſi qua eſt modo.* P. a manu ſec. *ſi quae modo.*
ELEG. X. u 2. Quidam *in uiduo.* Al. *medio.*

Flaua Ceres, tenues ſpicis redimita capillos,
Cur inhibes ſacris commoda noſtra tuis?
Te, Dea, munificam gentes ubicunque loquuntur: 5
Nec minus humanis inuidet ulla bonis.
Ante nec hirſuti torrebant farra coloni:
Nec notum terris area nomen erat.
Sed glandem quercus, oracula prima, ferebant.
Haec erat, et teneri ceſpitis herba, cibus. 10
Prima Ceres docuit turgeſcere ſemen in agris;
Falce coloratas ſubſecuitque comas.
Prima iugo tauros ſupponere colla coëgit;
Et ueterem curuo dente reuellit humum.
Hanc quiſquam lacrymis laetari credit amantum, 15
Et bene tormentis ſecubituque coli?
Nec tamen eſt (quamuis agros amet illa feraces)
Ruſtica: nec uiduum pectus amoris habet.
Cretes erunt teſtes; nec fingunt omnia Cretes:
Cretes, nutrito terra ſuperba Ioue. 20
Illic, ſideream mundi qui temperat arcem,
Exiguus tenero lac bibit ore puer.
Magna fides teſti: teſtis laudatur alumno.

5. P. *gentes ubi quaeque.* F. *gentes quaecunque.*
6. Al. *inuidet illa.* Sa. et duo al. *inuidioſa bonis.*
10. Al. *Haec cibus, et t. c. h. torus.*
13. *Iugo* Exc. Pol. Vulgo *iugis.*
15. Al. *laetari ridet,* uel *credat.*
17. Sc. *colat illa.* V. et Pa. 1. *habet illa.*
18. Al. *uacuum pectus.*
20. P. *Crete.* Pa. *Crete eſt.*
21. Pa. 1. Mo. 2. et Fr. *ſidereum axem.*

Fassuram Cererem crimina nota puto.
Viderat Iasium Cretaea Diua sub Ida 25
Figentem certa terga ferina manu.
Vidit, et ut tenerae flammam rapuere medullae;
Hinc pudor, ex alia parte trahebat amor.
Victus amore pudor, sulcos arere uideres,
Et sata cum minima parte redire sui. 30
Cum bene iactati pulsarant arua ligones,
Ruperat et duram uomer aduncus humum,
Seminaque in latos ierant aequaliter agros;
Irrita decepti uota colentis erant.
Diua, potens frugum, siluis cessabat in altis: 35
Deciderant longae spicea serta comae.
Sola fuit Crete fecundo fertilis anno.
Omnia, qua tulerat se Dea, messis erant.
Ipse locus nemorum canebat frugibus Ide,
Et ferus in silua farra metebat aper. 40
Optauit Minos similes sibi legifer annos:
Optauit Cereris longus ut esset amor.
Quod tibi secubitus tristes, Dea flaua, fuissent;
Hoc cogar sacris nunc ego ferre tuis.

Cur

24. Quinque Heins. *crimina nostra.*
27. Quatuor MSS. et ed. prima *teneras flammae rap. medullas.*
28. Al. *ex illa.* Sa. *ast alia.*
31. Al. *pulsarunt.* Iur. *purgarunt.*
33. Fr. Sa. Be. et 14. alii *steterant aequal.* Mo. 3. *ierant aequalia campos.*
35. Al. *siluis errabat.*
36. Al. *longe.* Alter Mo. *longa coma.*
38. Pa. *Optima, qua---erat.*
39. Ha. *Ille locus.*
43. *Quod* unus Pa. Vulgo *Qui.* Al. *Quid.*
44. *Hoc* idem Pa. Vulgo *Hos.*

Cur ego ſim triſtis, cum ſit tibi nata reperta; 45
Regnaque, quam Iuno, ſorte minora regat?
Feſta dies, Veneremque uocat, cantusque merumque.
Haec decet ad dominos munera ferre Deos.

ELEGIA XI.

Multa diuque tuli: uitiis patientia uicta eſt.
Cede fatigato pectore, turpis Amor.
Scilicet aſſerui iam me, rupique catenas:
Et quae depuduit ferre, tuliſſe pudet.
Vicimus; et domitum pedibus calcamus Amorem. 5
Venerunt capiti cornua ſera meo.
Perfer, et obdura: dolor hic tibi proderit olim.
Saepe tulit laſſis ſuccus amarus opem.
Ergo ego ſuſtinui, foribus tam ſaepe repulſus,
Ingenuum dura ponere corpus humo. 10
Ergo ego neſcio cui, quem tu complexa tenebas,
Excubui clauſam, ſeruus ut, ante domum.
Vidi ego, cum foribus laſſus prodiret amator,

46. Al. *quae Iuno. Ib.* P. et ſex al. *ſorte minore.*
47. Al. *Cereremque colat.*
48. Mo. 1. *Haec decet.*
ELEG. XI. u. 1. Multi codd. *diu tulimus.*
2. V. *triſtis Am.* Vnus Med. *dulcis.*
3. *Rupique* Sc. Vulgo *fugique.*
4. *Depuduit* Exc. Iur. Vulgo *non puduit.*
5. N. et al. *Vincimus. Ib.* alter Med. *et dominum.*
8. Sa. et tres al. *tulit lapſis.*
11. Iun. *neſcio quem dum tu compl.* Pa. 1. *neſcio quem tu nunc.*
12. Exc. Scal. P. et Iur. *ante forem.*
13. Vnus Mo. et alius *prodiret apertis.*

Inualidum referens emeritumque latus.
Hoc tamen eſt leuius, quam quod ſum uiſus ab illo. 15
Eueniat noſtris hoſtibus ille pudor.
Quando ego non fixus lateri ſpatiantis adhaeſi,
Ipſe tuus cuſtos, ipſe uir, ipſe comes?
Scil cet et populo per me cantata placebas.
Cauſa fuit multis noſter amoris amor. 20
Turpia quid referam uanae mendacia linguae,
Et periuratos in mea damna Deos?
Quid iuuenum tacitos inter conuiuia nutus;
Verbaque compoſitis diſſimulata notis?
Dicta erat aegra mihi: praeceps amensque cucurri. 25
Veni; et riuali non erat aegra meo.
His, et quae taceo, duraui ſaepe ferendis.
Quaere alium pro me, qui queat iſta pati.
Iam mea, uotiua puppis redimita corona,
Lenta tumeſcentes aequoris audit aquas. 30
Deſine blanditias, et uerba potentia quondam,
Perdere. non ego ſum ſtultus, ut ante fui.
Luctantur, pectusque leue in contraria tendunt,
Hac amor, hac odium: ſed, puto, uincit amor.
[Odero, ſi potero: ſi non, inuitus amabo. 35
Nec iuga taurus amat: quae tamen odit, habet.]

Ne-

17. P. cum al. *patienter adhaeſi.*
19. Al. *Scilicet ut -- placebat. Cantata* Fr. et Pa. Vulgo *comitata.*
28. *Queat* Med. et ed. prima. Vulgo *uelit.*
30. *Lenta* Ar. Vulgo *laeta.*
32. Scr. *ego nunc.*
33. Be *pectusque meum. Ib.* al. *in contraria ducunt.* Nonnulli *uertunt.*
34. Al. *uincet.*

Nequitiam fugio: fugientem forma reducit.
Auerſor morum crimina: corpus amo.
Sic ego nec ſine te, nec tecum uiuere poſſum:
Et uideor uoti neſcius eſſe mei. 40
Aut formoſa fores minus, aut minus improba, uellem.
Non facit ad mores tam bona forma malos.
Facta mouent odium; facies exorat amorem.
Me miſerum! uitiis plus ualet illa ſuis.
Parce, per ô lecti ſocialia iura, per omnes 45
(Qui dent fallendos ſe tibi ſaepe) Deos,
Perque tuam faciem, magni mihi numinis inſtar,
Perque tuos oculos, qui rapuere meos;
Quicquid eris, mea ſemper eris. tu ſelige tantum,
Me quoque uelle uelis, anne coactus amem? 50
Lintea dem potius, uentisque ferentibus utar;
Vt quamuis nolim, cogar amare tamen.

ELEGIA XII.

Quis fuit ille dies, quo triſtia ſemper amanti
Omina non albae concinuiſtis aues?
Quodue putem ſidus noſtris occurrere fatis?
Quosue Deos in me bella mouere querar?
Quae modo dicta mea eſt, quam coepi ſolus amare, 5
Cum multis uereor ne ſit habenda mihi.

43. Vulgo *merent odium.*
44. Me. alter *plus placet.*
46. *Dent* N. Vulgo *dant.*
ELEG. XII. u. 3. Al. *occurrere uotis.*
4. Fr. a manu ſec. *bella parare.*
6. Iun. *ſit amanda.*

Fallimur? an noſtris innotuit illa libellis?
Sic erat: ingenio proſtitit illa meo.
Et merito. quid enim formae praeconia feci?
Vendibilis culpa facta puella mea eſt. 10
Me lenone placet. duce me perductus amator.
Ianua per noſtras eſt adaperta manus.
An proſint, dubium; nocuerunt carmina certe.
Inuidiae noſtris illa fuere bonis.
Cum Thebe, cum Troia forent, cum Caeſaris acta; 15
Ingenium mouit ſola Corinna meum.
Auerſis utinam tetigiſſem carmina Muſis;
Phoebus et inceptum deſtituiſſet opus!
Nec tamen, ut teſtes mos eſt audire Poëtas,
Malueram uerbis pondus abeſſe meis. 20
Per nos Scylla, patri canos furata capillos,
Pube premit rabidos inguinibusque canes.
Nos pedibus pennas dedimus, nos crinibus angues.
Victor Abantiades alite fertur equo.
Idem per ſpatium Tityon porreximus ingens: 25
Et tria uipereo fecimus ora cani.
Fecimus Enceladon iaculantem mille lacertis;
Ambiguae captos uirginis ore uiros.
Aeolios Ithacis incluſimus utribus Euros: Pro-

8. Al. *Sic eſt.* Sa. et duo al. *ſic erit.*

11. Al. *productus.* Be. Iun. Mo. unus et quatuor al. *conductus. Ib.* Mo. 1. *perd. adulter.*

13. Al. *carmina ſemper.* Al. *docuerunt carm. ſemper.*

17. Al. *Aduerſis.*

20. Al. *Maluerim. Ib.* Fr. *pondus adeſſe*, tres al. *ineſſe.*

21. P. et quinque al. *caros capillos.*

22. Al. *rapidos.*

29. Fr. *induximus utribus.*

Proditor in medio Tantalus amne ſitit. 30
De Niobe ſilicem, de uirgine fecimus urſam:
Concinit Odryſiam Cecropis ales Ityn.
Iuppiter aut in aues, aut ſe transformat in aurum:
Aut ſecat impoſita uirgine taurus aquas.
Proteа quid referam, Thebanaque femina, dentes? 35
Qui uomerent flammas ore, fuiſſe boues?
Flere genis electra tuas, Auriga, ſorores?
Quaeque rates fuerint, nunc maris eſſe Deas?
Auerſamque diem menſis furialibus Atrei?
Duraque percuſſam ſaxa ſecuta lyram? 40
Exit in immenſum fecunda licentia uatum:
Obligat hiſtorica nec ſua uerba fide.
Et mea debuerat falſo laudata uideri
Femina. credulitas nunc mihi ueſtra nocet.

ELEGIA XIII.

Cum mihi pomiferis coniux foret orta Faliſcis;
Moenia contigimus uicta, Camille, tibi.
Caſta ſacerdotes Iunoni feſta parabant

37. Ita alter M. Vulgo *genis aurigatuas* (uel *ſuis*) *electra ſor.*

38. *Fuerint* octo He inſ. Vulgo *fuerant.*

40. Fr. Be. Sa. et multi al. *percuſſas lyras.*

41 Al. *iucunda lic.* Fr. Sc. Pa. duo, Be. et octo al. *facunda.*

ELEG. XIII. u. 1. Pa. 3. et duo al. it. ed. prima *piniferis.*

2. Exc. P. et Iur. cum octo ſcriptis *culta, Camille.* Multi *iuncta tibi*, uel *tuis.*

3. Mo. 3. et ed. prima *Iunnia.*

Per celebres ludos, indigenamque bouem.
Grande morae pretium, ritus cognoſcere: quamuis 5
Difficiles cliuis huc uia praebet iter.
Stat uetus, et denſa praenubilus arbore lucus.
Adſpice; concedas numen ineſſe loco.
Accipit ara preces, uotiuaque tura piorum;
Ara per antiquas facta ſine arte manus. 10
Hinc, ubi praeſonuit ſollenni tibia cantu;
It per uelatas annua pompa uias.
Ducuntur niueae, populo plaudente, iuuencae,
Quas aluit campis herba Faliſca ſuis:
Et uituli, nondum metuenda fronte minaces; 15
Et minor ex humili uictima porcus hara:
Duxque gregis cornu per tempora dura recuruo.
Inuiſa eſt dominae ſola capella Deae.
Illius indicio ſiluis inuenta ſub altis
Dicitur inceptam deſtituiſſe fugam. 20

Nunc

4. MSS. plerique et prima ed. *Et celebres. Ib.* Exc. Iur. *indigenaeque Ioui.*

5. 6. Sex Heinſ. *Grande uoco meritum.* M. unus *cliuus huc mihi,* alter *cliuus ſed uia.* Be. et unus Heinſ. *uia fecit iter,* alius *ducit iter.* Vnus Med. et Pol. *ritus cognoſcere Graios, Difficilis quamuis huc u. p. i.*

8. Vulgo *numinis eſſe locum.*

11. *Hinc* tres Heinſ. Vulgo *Hic.* Sa. *Hac. Ib. praeſonuit* ſex ſcripti, Vulgo *perſonuit.*

12. Fr. et Pa. 1. *uallatas uias.* Sc. *uulgatas. Ib.* Pa. unus *aurea pompa.* Mo. 1. et Fr. a manu ſec. *candida pompa.*

14. R. Be. et ſex al. *terra Faliſca.*

15. P. 2. *metuendi fronte minaci.*

17. Se. *Virque gregis. Ib.* Fr. *dura retoruo,* uel *retorto.*

20. Al. *detinuiſſe fugam.* Fr. pro diu.lect. *deſtituiſſe uiam.*

Nunc quoque per pueros iaculis inceſſitur index;
Et pretium auctori uulneris ipſa datur.
Qua uentura Dea eſt, iuuenes timidaeque puellae
Praeuerrunt latas ueſte iacente uias.
Virginei crines auro gemmaque premuntur: 25
Et tegit auratos palla ſuperba pedes.
More patrum Graio uelatae ueſtibus albis
Tradita ſuppoſito uertice ſacra ferunt.
Ore fauent populi, tunc cum uenit aurea pompa:
Ipſa ſacerdotes ſubſequiturque ſuas. 30
Argiua eſt pompae facies. Agamemnone caeſo,
Et ſcelus et patrias fugit Haleſus opes.
Iamque pererratis profugus terraque, fretoque,
Moenia felici condidit alta manu.
Ille ſuos docuit Iunonia ſacra Faliſcos. 35
Sint mihi, ſint populo ſemper amica ſuo.

ELEGIA

24. *Praeuerrunt* Exc. Scal. P. et Iur. it. Ar. pro diu. lect. Vulgo *Praebuerant*. Vnus V. *Praebuerunt*. Vnus Med. *Velarant*. Iun. *Praeuertunt*. Alius V. *Strauerunt*.

25. P. 2. R. unus, duo Mo. et tres al. *gemmaque teguntur*.

26. Med. *Et terit*.

27. *Graio* Ar. et pro diu. lect. Sa. et B. Optimus Pa. *Graium*. Exc. P. Scal. et Iur. *Grato*. Vulgo *ſancte*, uel *ſanctae*.

28. Sa. *Condita ſuppoſito*.

29. Vnus Pol. et Mo. *fauet populus*.

30. Fr. Iun. Sc. et plures al. *conſequiturque*. *Ib.* al. *ſuos*.

33. Ed Gryph. a. 1554. *terraque marique*.

34. Fr. Be. et 14. al. cum ed. prima *condidit aptd*. Pol. *aucta*.

36. Fr. et P. 2. pro uar, lect. *amata ſuo*.

ELEGIA XIV.

Non ego, ne pecces, cum ſis formoſa, recuſo;
Sed ne ſit miſero ſcire neceſſe mihi.
Nec te noſtra iubet fieri cenſura pudicam:
Sed, tantum tentes diſſimulare, rogat.
Non peccat quaecunque poteſt peccaſſe negare: 5
Solaque deformem culpa profeſſa facit.
Quis furor eſt, quae nocte latent, ſub luce fateri?
Et quae clam facias, facta referre palam?
Ignoto meretrix corpus iunctura Quiriti
Appoſita populum ſubmouet ante ſera. 10
Tu tua proſtitues famae peccata ſiniſtrae;
Commiſſi perages indiciumque tui?
Sit tibi mens melior, ſaltemue imitere pudicas;
Teque probam, quamuis non eris, eſſe putem:
Quae facis, haec facito; tantum feciſſe negato: 15

Nec

ELEG. XIV. u. 1. Scr. *recuſem.*
4. *Tantum tentes* Exc. Iur. Vulgo *tamen ut tentes.* Me. et Be. *tantum ut tentes.* Pa. *Hoc tamen ut. Ibid.* al. *rogo.*
6. Al *Solaque famoſam.* Alter M. *Solaque peccatum.*
7. *Sub luce* duo Heinſ. ex melior. Vulgo *in luce.* Me. *cum luce.*
10. *Appoſita* P. cum Exc. Iur. Vulgo *Oppoſita.*
11. Al. *fama pecc. ſiniſtra.*
13. R. a manu pr. *imitere Sabinas.*

Nec pudeat coram uerba modesta loqui.
Est qui nequitiam locus exigat. omnibus illum
Deliciis imple. stet procul inde pudor.
Hinc simul exieris; lasciuia protinus omnis
Absit: et in lecto crimina pone tuo. 20
Illic nec tunicam tibi sit posuisse rubori;
Nec femori impositum sustinuisse femur:
Illic purpureis condatur lingua labellis;
Inque modos Venerem mille figuret amor.
Illic nec uoces, nec uerba iuuantia cessent: 25
Spondaque lasciua mobilitate tremat.
Indue cum tunicis metuentem crimina uultum;
Et pudor obscenum diffiteatur opus.
Da populo, da uerba mihi: sine nescius errem;
Et liceat stulta credulitate frui. 30
Cur toties uideo mitti recipique tabellas?
Cur pressus prior est interiorque torus?
Cur plus, quam somno, turbatos esse capillos;
Collaque, conspicio, dentis habere notam?

Tan-

16. Mo. 3. et tres al. *uarba pudica.*
18. *Stet* P. Vulgo *sit.*
21. *Rubori* Sa. Vulgo *pudori.*
25. Tres Heins. *iuuantia desint.*
34. Ita *compositi dentis* N. *conspicuo.* Heins. legit *conspicui.*

Tantum non oculos crimen deducis ad ipſos. 35
Si dubitas famae parcere; parce mihi.
Mens abit, et morior; quoties peccaſſe fateris:
Perque meos artus frigida gutta fluit.
Tunc amo: tunc odi fruſtra, quod amare neceſſe eſt.
Tunc ego, ſed tecum, mortuus eſſe uelim. 40
Nil equidem inquiram; nec, quae celare parabis,
Inſequar: et falſi criminis inſtar erit.
Si tamen in media deprenſa tenebere culpa,
Et fuerint oculis probra uidenda meis;
Quae bene uiſa mihi fuerint, bene uiſa negato. 45
Concedent uerbis lumina noſtra tuis.
Prona tibi uinci cupientem uincere palma eſt.
Sit modo, Non feci, dicere lingua memor.
Cum tibi contingat uerbis ſuperare duobus;
Etſi non cauſa, iudice uince tuo. 50

ELEGIA

37. Sa. *Mens fugit.* Be. et Ar. *hebet.*
38. Pa. 2. *gutta cadit.*
39. Al. *Nunc amo, nunc odi.* Heinſ. coni. *Tunc amens odi fruſtra.*
42. Optimus Pa. *facti muneris inſtar.* P. Sa. et quinque al. *falſi muneris.*
45. Sa. et Mo. 1. *negabo.*
49. Al. *Cum bene.*

ELEGIA XV.

Quaere nouum uatem, tenerorum mater Amorum:
Raditur hîc Elegis ultima meta meis.
Quos ego compoſui, Peligni ruris alumnus:
Nec me deliciae dedecuere meae.
Si quid id eſt, uſque a proauis uetus ordinis haeres, 5
Non modo militiae turbine factus eques.
Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo:
Pelignae dicar gloria gentis ego.
Quam ſua libertas ad honeſta coëgerat arma,
Cum timuit ſocias anxia Roma manus. 10
Atque aliquis ſpectans hoſpes Sulmonis aquoſi
Moenia, quâ campi iugera pauca tenent,
Quae tantum, dicet, potuiſtis ferre Poëtam,
Quantulacunque eſtis, uos ego magna uoco.
Culte puer, puerique parens Amathuſia culti, 15

Aurea

ELEG. XV. u. 2. *Raditur* corr. Heinſ. Vulgo *Traditur*. *Hic Elegis* unus Mo. Al. *haec*. Sc. *his*. *Ibid.* al. *ultima charta*. Optimus Pa. *nota*. Me. *cura*.

4. Vnus Mo. *deliciae tuae*.

6. Quidam codd. *Non modo fortunae munere*. Vnus *Non ego fortunae munere*.

9. Al. *Quem*.

10. Vnus Mo. *Martia Roma*.

12. Al. *quae campi*. *Ib.* Pa. 1. et duo al. *iugera parua*.

15. *Amathuſia culti* coni. Heinſ. e veſtigiis optimi Pa. in quo *Amathuntia culta*; et

Aurea de campo uellite ſigna meo.
Corniger increpuit thyrſo grauiore Lyaeus:
Pulſanda eſt magnis area maior equis.
Imbelles Elegi, genialis Muſa, ualete;
Poſt mea manſurum fata ſuperſtes opus. 20

Sc. *amat hoſtia cultus.* Ar. pro diu. lect. *amat hoſtia cultu.* Vulgo *mihi tempore longo.* Exc. Iur. et unus Mo. *mihi tempore in omni.*

20. In Pa. 2. adiiciebatur hoc diſtichon: *Hic ego qui iaceo, tenerorum luſor amorum, Ingenio perii Naſo poëta meo.*

P. OVIDII

P. OVIDII NASONIS
ARTIS
AMATORIAE
LIBRI TRES

P. OVIDII NASONIS ARTIS AMATORIAE LIBER PRIMVS.

Si quis in hoc artem populo non nouit amandi;
Me legat; et lecto carmine doctus amet.
Arte citae, ueloque rates, remoque mouentur:
Arte leues currus, arte regendus Amor.
Curribus Automedon, lentisque erat aptus habenis: 5
Tiphys in Haemonia puppe magiſter erat.
Me Venus artificem tenero praefecit Amori.
Tiphys et Automedon dicar Amoris ego.
Ille quidem ferus eſt, et qui mihi ſaepe repugnet.

2. Cod. R. Bo. et duo al. *Hoc legat. Ib.* quidam *doctus eat*, *erat*, uel *erit*.
3. *Mouentur* R. Bo. et al. nonnulli cum Exc. Scal. et P. Vulgo *reguntur*.
4. Scripti plerique *leuis*.
9. *Repugnet* Exc. P. et Scal. cum optimo R. et Bo. Vulgo *repugnat*.

Sed puer eſt; aetas mollis et apta regi. 10
Phillyrides puerum cithara perfecit Achillen;
Atque animos placida contudit arte feros.
Qui toties ſocios, toties exterruit hoſtes,
Creditur annoſum pertimuiſſe ſenem.
Quas Hector ſenſurus erat, poſcente magiſtro, 15
Verberibus iuſſas praebuit ille manus.
Aeacidae Chiron, ego ſum praeceptor Amoris.
Saeuus uterque puer: natus uterque Dea.
Sed tamen et tauri ceruix oneratur aratro:
Frenaque magnanimi dente teruntur equi. 20
Et mihi cedet Amor: quamuis mea uulneret arcu
Pectora, iactatas excutiatque faces.
Quo me fixit Amor, quo me uiolentius uſſit;
Hoc melior facti uulneris ultor ero.
Non ego, Phoebe, datas a te mihi mentior artes: 25
Nec nos aëriae uoce monemur auis:
Non mihi ſunt uiſae Clio Cliüsque ſorores,
Seruanti pecudes uallibus, Aſcra, tuis.
Vſus opus mouet hoc. uati parete perito.
Vera canam. coeptis, mater Amoris, ades. 30
Eſte procul uittae tenues, inſigne pudoris;
Quaeque tegis medios, inſtita longa, pedes.

Nos

10. Quidam codd. *aetas mobilis, apta regi.* Al. *mollius apta*, uel *arte regi.*
11. Al. *praefecit Achillen.*
13. Al. *perterruit.*
14. Pa. unus et duo al. *Dicitur annoſ.*
16. Pa. *iuſſis.* Ha. *caeſas.*
19. Vnus A. et unus V. *tauri curuis onerantur aratris.*
21. R. *ſauciet arcu.*
25. Al. *mentiar.*
29. Al. *opus monet.*

Nos Venerem tutam, conceſſaque furta, canemus:
Inque meo nullum carmine crimen erit.
Principio, quod amare uelis, reperire labora, 35
Qui noua nunc primum miles in arma uenis.
Proximus huic labor eſt, placitam exorare puellam.
Tertius, ut longo tempore duret amor.
Hic modus; haec noſtro ſignabitur area curru:
Haec erit admiſſa meta terenda rota. 40
Dum licet, et loris paſſim potes ire ſolutis;
Elige, cui dicas, Tu mihi ſola places.
Haec tibi non tenues ueniet delapſa per auras.
Quaerenda eſt oculis apta puella tuis.
Scit bene uenator, ceruis ubi retia tendat: 45
Scit bene, qua frendens ualle moretur aper.
Aucupibus noti frutices. qui ſuſtinet hamos,
Nouit quae multo piſce natentur aquae.
Tu quoque, materiam longo qui quaeris amori,
Ante frequens quo ſit diſce puella loco. 50
Non ego quaerentem uento dare uela iubebo:
Nec tibi, ut inuenias, longa terenda uia eſt.
Andromedan Perſeus nigris portarit ab Indis,

36. Ba. *primus.*
37. Al. *placidam.*
39. Al. quidam *hic noſtro ſign.* Be. *hic nobis.*
40. Al. *meta premenda.* Vnus V. et A. *tenenda.*
45. Arg. *retia ponat.*
47. Fragm. Bo. et quidam al. *continet hamos.*
48. Be. unus et duo al. *qua multo.* Ba. *quam multo.*
50. Vnus Heinſ. *locum.*
53. 54. *Portarit* et *Raptaque ſit* coni. Nauger. atque ita ed. Gryph. a. 1554. Vulgo ſcripti et ed. *portauit*, et *Raptaque ſic.*

Raptaque fit Phrygio Graia puella uiro.
Tot tibi tamque dabit formosas Roma puellas; 55
Haec habet, ut dicas, quicquid in orbe fuit.
Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos;
Aequore quot pisces, fronde teguntur aues;
[Quot coelum stellas, tot habet tua Roma puellas:
Mater et Aeneae constat in urbe sui.] 60
Seu caperis primis et adhuc crescentibus annis;
Ante oculos ueniet uera puella tuos:
Siue cupis iuuenem; iuuenes tibi mille placebunt.
Cogêris uoti nescius esse tui.
Seu te forte iuuat sera et sapientior aetas; 65
Hoc quoque (crede mihi) plenius agmen erit.
Tu modo Pompeia lentus spatiare sub umbra,
Cum sol Herculei terga Leonis adit:
Aut ubi muneribus nati sua munera mater
Addidit, externo marmore diues opus. 70
Nec tibi uitetur, quae, priscis sparsa tabellis,

Porti-

55. *Tamque* cod. Scal. Vulgo *namque*.
56. Vnus Be. *in orbe manet*.
59. Hoc distichon Ouidianae notae non esse contendit Heins.
60. R. *constitit*. Fragm. O. *in Aeneae constitit*. Ed Gryph. a. 1554. *urbe sua*.
62. Vnus Heins. *grata puella*.
63. C. *mille patebunt*.
64. Scripti plerique *Cogeris et*.
66. Al. *crebrius agmen*. Vnus Pa. *lenius*.
67. Quidam codd. *laetus spatiare*.
68. V. *colla leonis*. Pa. *membra*. Duo al. *signa*. *Ibid.* Pat. *leonis habet*.
70. Pa. et quinque al. *aeterno marmore*.
71. Duo codd. *quae pictis*. Voss. *quae pressis*.

Porticus auctoris Liuia nomen habet.
Quaque parare necem miseris patruelibus ausae
Belides, et stricto stat ferus ense pater.
Nec te praetereat Veneri ploratus Adonis; 75
Cultaque Iudaeo septima sacra Syro.
Neu fuge linigerae Memphitica templa iuuencae:
Multas illa facit, quod fuit ipsa Ioui.
Et fora conueniunt (quis credere possit?) amori;
Flammaque in arguto saepe reperta foro. 80
Subdita quâ Veneris facto de marmore templo
Appias expressis aëra pulsat aquis.
Illo saepe loco capitur consultus Amori:
Quique aliis cauit, non cauet ipse sibi.
Illo saepe loco desunt sua uerba diserto: 85
Resque nouae ueniunt, causaque agenda sui est.
Hunc Venus e templis, quae sunt confinia, ridet.
Qui modo patronus, nunc cupit esse cliens.
Sed tu praecipue curuis uenare theatris.

74. Al. *stricto barbarus ense.*

76. Pa. *septima festa. Ib. Syro* fragm. Bo. pro diu. lect. Vulgo *uiro.* Fragm. Bo. *Deo.*

77. *Linigerae* optimus R. Exc P. et duo tresue al. Vulgo *Niligenae.* Scripti plerique *lanigerae. Ibid.* N.V.et duo al. *tecta iuuencae.* Al. *sacra iuuencae.*

78. Duo Pa. A. et Be. *ante Ioui.*

79. Be. et quidam al. *Ad fora. Ibid.* Be. (*qui credere posset*) Idem et sedecim al. *amoris Flammaque.*

80. Duo *referta foro.* Alius *repleta.*

83. *Amori* fragm. Bo. et cod. Heins. Al. *amore*, uel *amoris.*

86. *Sui est* cod. Pol. Vulgo *sua est.* Vnus V. et Pa. *subit.* Ro. *subest.*

Haec loca ſunt uoto fertiliora tuo. 90
Illic inuenies, quod ames, quod ludere poſſis,
Quodque ſemel tangas, quodque tenere uelis.
Vt redit itque frequens longum formica per agmen
Granifero ſolitum cum uehit ore cibum;
Aut ut apes, ſaltusque ſuos et olentia nactae 95
Paſcua, per flores et thyma ſumma uolant;
Sic ruit in celebres cultiſſima femina ludos;
Copia iudicium ſaepe morata meum.
Spectatum ueniunt, ueniunt ſpectentur ut ipſae.
Ille locus caſti damna pudoris habet. 100
Primus ſollicitos feciſti, Romule, ludos:
Cum iuuit uiduos rapta Sabina uiros.
Tunc neque marmoreo pendebant uela theatro:
Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.
Illic, quas tulerant nemoroſa Palatia, frondes 105
Simpliciter poſitae; ſcena ſine arte fuit.
In gradibus ſed t populus de ceſpite factis;
Qualibet hirſutas fronde tegente comas.
Reſpiciunt, oculisque notant ſibi quiſque puellam,
Quam uelit: et tacito pectore multa mouent. 110
Dumque, rudem praebente modum tibicine Tuſco,
Ludius aequatam ter pede pulſat humum; In

92. Mo. C. et al. *quod retinere.* Nonnulli *et retinere.* Me. 1 *Quamque ſemel tangas, hanc retinere uelis.*

94. O. et quinque al. *ſolidum.*

97 Quidam *gratiſſima.* Al. *promtiſſima.* Alius *pulcherrima.*

100. Iun. *pudoris erat.*

104. Fr. et al. Heinſ. *pulpita tincta.*

108. V. *Quamlibet.*

111. Margo Berſm. *praeeunte modos.*

112. *Ludius* Scal Pol. et pro diu. lect. Mo. Vulgo *Lydius.*

In medio plauſu (plauſus tunc arte carebat)
Rex populo praedae ſigna petenda dedit.
Protinus exiliunt, animum clamore fatentes, 115
Virginibus cupidas iniciunt que manus.
Vt fugiunt aquilas, timidiſſima turba, columbae,
Vtque fugit iuſos agna nouella lupos;
Sic illae timuere uiros ſine more ruentes.
Conſtitit in nulla, qui fuit ante, color. 120
Nam timor unus erat; facies non una timoris.
Pars laniat crines: pars ſine mente ſedet:
Altera moeſta ſilet; fruſtra uocat altera matrem:
Haec queritur; ſtupet haec: haec manet, illa fugit.
Ducuntur raptae, genialis praeda, puellae: 125
Et potuit multas ipſe decere pudor.
Si qua repugnarat nimium, comitemque negarat;
Sublatam cupido uir tulit ipſe ſinu.
Atque ita, Quid teneros lacrymis corrumpis ocellos?
Quod matri pater eſt, hoc tibi, dixit, ero. 130
Romule, militibus ſciſti dare commoda ſolus.
Haec mihi ſi dederis commoda, miles ero.

117. V. alter *trepidiſſima turba.*
118. Quinque Heinſ. *Vt fugit inuiſos.* Vnus Pat. *Vtque fugit rapidos.*
119. *Sine more* Sch. Vulgo *ſine lege. Ib.* O. et duo al. *ſine lege furentes.*
120. V. *Conſtitit et nulli.*
122. V. unus et Iun. *laniant.*
122. R. et M. *ſine mente ruit.* Be. Iun. et tres al. *iacet.* Vnus *manet.*
125. Duo libri *genialis turba.*
126. Iun. *Et poterat. Ibid.* al. *decere timor.*
127. Al. *repugnarat* et *negarat.*
131. Multi *dare munera.* Al. *praemia.*

Scilicet ex illo ſollennia more theatra
Nunc quoque formoſis inſidioſa manent.
Nec te nobilium fugiat certamen equorum: 135
Multa capax populi commoda Circus habet.
Nil opus eſt digitis, per quos arcana loquaris:
Nec tibi per nutus accipienda nota eſt.
Proximus a domina, nullo prohibente, ſedeto:
Iunge tuum lateri, quam potes, uſque latus: 140
Et bene, quod cogit, ſi nolit, linea iungi;
Quod tibi tangenda eſt lege puella loci.
Hic tibi quaeratur ſocii ſermonis origo:
Et moueant primos publica uerba ſonos.
Cuius equi ueniant, facito, ſtudioſe requiras. 145
Nec mora; quiſquis erit, cui fauet illa, faue.
At cum pompa frequens coeleſtibus ibit eburnis,
Tu Veneri dominae plaude fauente manu.
Vtque fit, in gremium puluis ſi forte puellae
Deciderit, digitis excutiendus erit. 150
Et, ſi nullus erit puluis, tamen excute nullum.
Quaelibet officio cauſa ſit apta tuo.

Pallia

138. Vnus V. *per nictus.*
139. Multi e ſcriptis *ad dominam.* Heinſ. coni. *at dominam.*
140. Al. *qua potes.*
141. Al. *ſi nolis.*
142. *Quod* R. et unus Pa. Vulgo *Qua.* O. *Quid.* V. 1. *Quo. Ib.* Be. *tibi iungenda eſt.*
143. Pa. *Hinc tibi.*
147. *Coeleſtibus ibit eburnis* C. pro diu. lect. Iur. et fragm. O. Vulgo *certantibus ibit ephebis.* Be. *citantibus ephebis.* A. *cantantibus.* M. *plaudentibus.* Alius *gaudentibus.* Alius *currentibus.*
150. Quidam codd. *diſcutiendus,* uel *reiiciendus.*

Pallia ſi terrae minium demiſſa iacebunt;
Collige, et immunda ſedulus effer humo.
Protinus officij pretium, patiente puella, 155
Contingent oculis crura uidenda tuis.
Reſpice praeterea, poſt uos quicunque ſedebit,
Ne premat oppoſito mollia terga genu.
Parua leues capiunt animos. fuit utile multis,
Puluinum facili compoſuiſſe manu. 160
Profuit et tenui uentum mouiſſe tabella;
Et caua ſub teneram ſcamna dediſſe pedem.
Hos aditus Circusque nouo praebebit amori,
Sparſaque ſollicito triſtis arena foro.
Illa ſaepe puer Veneris pugnauit arena: 165
Et qui ſpectauit uulnera, uulnus habet.
Dum loquitur, tangitque manum, poſcitque libellum;
Et quaerit, poſito pignore, uincat uter;
Saucius ingemuit, telumque uolatile ſenſit:
Et pars ſpectati muneris ipſe fuit. 170
Quid? modo cum belli nauali imagine Caeſar
Perſidas induxit Cecropidasque rates?

Nempe

153. R. et O. *terra dimiſſa.*
154. Al. *in munda humo. Ib.* nonnulli *aufer humo.*
155. R. O. et unus Heinſ. *officio. Ib.* A. *praeſtante puella.*
156. Be. et quinque al. *Contigerint.*
160. Multi *puluinar. Ibid.* Voſſ. *molli manu. Ib.* duo Be. et tredecim al. *ſuppoſuiſſe.*
161. Ita unus V. et Ar. Al. *tenues uentos.* Plerique ſcripti *tenui uentos.* Pa. *uentos tenui m. flabello* R. et O. *tenui uento m. tabellam.* Apr. *uentos m. tabello.* F. *ſcabella.* Duo al. *flagello.*
167. Quidam ſcripti et ed. *manu.*
170. *Muneris* R. O. Exc. Scal. et P. Vulgo *uulneris.*

Nempe ab utroque mari iuuenes, ab utroque puellae
  Venere: atque ingens orbis in Vrbe fuit.
Quis non inuenit, turba quod amaret in illa? 175
  Eheu, quam multos aduena torſit Amor!
Ecce parat Caeſar domito, quod deſuit, orbi
  Addere. nunc, Oriens ultime, noſter eris.
Parthe, dabis poenas: Craſſi gaudete ſepulti,
  Signaque barbaricas non bene paſſa manus. 180
Vitor adeſt; primisque ducem profitetur in armis:
  Bellaque non puero tractat agenda puer.
Parcite natales, timidi, numerare Deorum:
  Caeſaribus uirtus contigit ante diem.
Ingenium cœleſte ſuis uelocius annis 185
  Surgit; et ignauae fert male damna morae.
Paruus erat, manibusque duos Tirynthius angues
  Preſſit: et in cunis iam Ioue dignus erat.
Nunc quoque qui puer es, quantus tum, Bacche, fuiſti,
  Cum timuit thyrſos Iudia uicta tuos! 190
Auſpiciis animisque patris, puer, arma mouebis:
  Et uinces animis auſpiciisque patris.
Tale rudimentum tanto ſub nomine debes;
  Nunc iuuenum princeps, deinde future ſenum.
Cum tibi ſint fratres; fratres ulciſcere laeſos: 195
  Cumque pater tibi ſit; iura tuere patris.
Induit arma tibi genitor patriaeque tuusque:

Hoſtis

179. L. *gaudete ſepulchra.* 181. Be. et quinque al. *Vitor adeſt. Ibid. armis* ſex Heinſ. Vulgo *annis.* Fr. et duo al. it. ed. una uetus *ab annis.* Vnus *ab armis.* 191. Al. *annisque patris.* 197. Edd. quaedam Vene-

Hoſtis ab inuito regna parente rapit.
Tu pia tela feres, ſceleratas ille ſagittas:
Stabunt pro ſignis iusque piumque tuis. 200
Vincuntur cauſa Parthi; uincantur et armis.
Eoas Latio dux meus addat opes.
Maisque pater, Caeſarque pater, date numen eunti.
Nam Deus e uobis alter es, alter eris.
Auguror en; uinces: uotiuaque carmina reddam: 205
Et magno nobis ore ſonandus eris.
Conſiſtes; aciemque meis hortabere uerbis.
O deſint animis ne mea uerba tuis!
Tergaque Parthorum, Romanaque pectora dicam;
Telaque, ab auerſo quae iacit hoſtis equo. 210
Qui fugis, ut uincas, quid uicto, Parthe, relinquis?
Parthe, malum iam nunc Mars tuus omen habet.
Ergo erit illa dies, qua tu, pulcherrime rerum,
Quattuor in niueis aureus ibis equis?
Ibunt ante duces, onerati colla catenis; 215
Ne poſſint tuti, qua prius, eſſe fuga.

Spe-

tae, Ald. et Berſm. *Praebuit arma.*

198. Plurimi libri *ab inuicto.* Be. *Ha puer inuicto r. p. tulit.* Duo libri *par. capit.*

202. A. *dux nouus.*

203. Al. *date lumen.*

204. Ita Aldinae. Vulgo *Eſt Deus in uobis alter, et alter erit.*

207. Exc. Voſſ. *Conſiſtes et quemque. Ib.* tres codd. *tuis uerbis.*

208. Vnus V. *Fac deſint.*

211. *Qui fugis* a coni. Heinſ. Vulgo *Quid* Ar. *Quod.* Apr. *Quo. Ibid. uicto* ſex Heinſ. et Fragm. Bo. Vulgo *uictos.* Ar. *quia te uicto parte relinques.*

213. R. *Quando erit. Ibid.* Be. et unus Heinſ. *pulcherrime regum.*

214. Me. *candidus ibis.*

Spectabunt laeti iuuenes, mixtaeque puellae:
Diffundetque animos omnibus ista dies.
Atque aliqua ex illis cum Regum nomina quaeret,
Quae loca, qui montes, quaeue ferantur aquae; 220
Omnia responde: nec tantum si qua rogabit;
Et quae nescieris, ut bene nota refer.
Hic est Euphrates, praecinctus arundine frontem:
Cui coma dependet caerula, Tigris erit.
Hos facito Armenios: haec est Danaeïa Persis: 225
Vrbs in Achaemeniis uallibus ista fuit.
Ille, uel ille, daces. et erunt, quae nomina dicas:
Si poteris, uere: si minus, apta tamen.
Dant etiam positis aditum conuiuia mensis:
Est aliquid, praeter uina, quod inde petas. 230
Saepe illic positi teneris adducta lacertis
Purpureus Bacchi cornua pressit Amor.
Vinaque cum bibulas sparsere Cupidinis alas,
Permanet, et capto stat grauis ille loco.
Ille quidem pennas uelociter excutit udas: 235
Sed tamen et spargi pectus amore nocet.
Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos:

Cura

217. Pa. *laetaeque puellae.* Tres *pariterque.* V. *nuptaeque.* Vnus *timidaeque.*
218. Duo libri *una dies.*
223. Be. *arundine crinem.*
224. C. *coma respondet*, unde Heins. coni. *resplendet.*
225. *Facito* coni. Heins. Vulgo *fac.* R. et duo al. *facis.*
225. Margo Bersm. *Danaëia proles.*
231. *Positi* R. Vulgo *positis.* Pa. et ed. quidam *positus.*
234. Libri uett. *Et coepto*, uel *cepto.*
236. Pa. *tamen adspergi. Ib.* unus Heins. *amore solet.*

Cura fugit multo diluiturque mero.
Tunc ueniunt risus; tunc pauper cornua sumit:
Tunc dolor et curae, rugaque frontis abit. 240
Tunc aperit mentes, aeuo rarissima nostro,
Simplicitas; artes excutiente Deo.
Illic saepe animos iuuenum rapuere puellae:
Et Venus in uinis, ignis in igne fuit.
Hic tu fallaci nimium ne crede lucernae. 245
Iudicio formae noxque merumque nocent.
Luce deas coeloque Paris spectauit aperto;
Cum dixit Veneri, Vincis utramque, Venus.
Nocte latent mendae, uitioque ignoscitur omni:
Horaque formosam quamlibet illa facit. 250
Consule de gemmis, de tincta murice lana;
Consule de facie corporibusque diem.
Quid tibi femineos coetus, uenatibus aptos,
Enumerem? numero cedet arena meo.
Quid referam Baias, praetextaque litora uelis, 255
Et, quae de calido sulfure fumat, aquam?
Hinc aliquis uulnus referens in pectore, dixit;
Non haec (ut fama est) unda salubris erat.
Ecce suburbanae templum nemorale Dianae,
Partaque per gladios regna nocente manu. 260

Illa

240. Vnus R. *Tunc pauor.* C. *Tunc etiam curae.*
242. Iun. *excut. mero.*
244. *In uinis* ed. Ald. Vulgo *in uenis.*
245. Vnus Pa. *Ne tu f. n. te crede.*
248. Apr. et C. *utramque Deam.*
255. Fr. O. *litora Bais.* Heinf. coni. *Baulis.*
256. Multi *manat, aquam.* Nonnulli *aqua.*

Illa quod eſt uirgo, quod tela Cupidinis odit;
Multa dedit populo uulnera, multa dabit.
Hactenus, unde legas quod ames, ubi retia ponas,
Praecipit imparibus uecta Thalia rotis.
Nunc tibi, quae placuit, quas ſit capienda per artes, 265
Dicere praecipuae molior artis opus.
Quiſquis ubique uiri, dociles aduertite mentes;
Pollicitisque fauens, uulgus, adeſte meis.
Prima tuae menti ueniat fiducia, cunctas
Poſſe capi; capies: tu modo tende plagas. 270
Vere prius uolucres taceant, aeſtate cicadae;
Maenalius lepori det ſua terga canis:
Femina quam iuueni, blande tentata, repugnet.
Haec quoque, quam poteris credere nolle, uolet.
Vtque uiro furtiua Venus, ſic grata puellae. 275
Vir male diſſimulat: tectius illa cupit.
Conueniat maribus, ne quam nos ante rogemus;
Femina iam partes uicta rogantis agat.
Mollibus in pratis adnugit femina tauro:
Femina cornipedi ſemper adhinnit equo. 280
Fortior in nobis, nec tam furioſa libido.
Legiti-

263. Al. *retia tendas*. O. *pones*.
264. Al. *Thalia modis*. Iur. *notis*.
267. Vnus Heinſ. et antiquae edd. uſque ad Ald. *faciles aduertite*.
268. Multi ſcripti et ed. *adeſto*.
269. R. et O. *fiducia formae*.
273. V. unus *blande captata*.
276. Al. *rectius*, *tutius*, *fortius illa cupit*.
278. Al. *aget*. O. *blanda rogansque cogat*.
281. *Fortior* Apr. et primae edd. Vulgo *Parcior*.

Legitimum finem flamma uirilis habet.
Byblida quid referam, uetito quae fratris amore
Arſit; et eſt laqueo fortiter ulta nefas?
Myrrha patrem, ſed non quo filia debet, amauit: 285
Et nunc obducto cortice preſſa latet.
Illius et lacrymis, quas arbore fundit odora,
Vnguimur; et dominae nomina gutta tenet.
Forte ſub umbroſis nemoroſae uallibus Idae
Candidus, armenti gloria, taurus erat; 290
Signatus tenui media inter cornua nigro.
Vna fuit labes; caetera lactis erant.
Illum Gnoſiadesque Cydoneaeque iuuencae
Optarunt tergo ſuſtinuiſſe ſuo.
Paſiphaë fieri gaudebat adultera tauri: 295
Inuida formoſas oderat illa boues.
Nota cano. non hoc, centum quae ſuſtinet urbes,
Quamuis ſit mendax, Creta negare poteſt.
Ipſa nouas frondes, et prata tenerrima, tauro
Fertur inadſueta ſubſecuiſſe manu. 300
It comes armentis; nec ituram cura moratur
Coniugis: et Minos a boue uictus erat.

Quo

282. Me. *Legitimam.*
285. *Quo* meliores. Al. *ut.* Margo Gryph. et Berſm. *qua.*
286. Tres libri *abducto.* C. et unus Pa. *adducto.*
291. Al. *tenui uirga.* Vnus V. *gyro.*
293. *Gnoſiadesque* legit Heinſ. pro uulg. *Gnoſiades. Ib.* al. *Cydoniadeſque.*
295. Apr. *tauro.*
296. C. *formoſos.* Vnus Be. *deformes.*
299. Nonnulli codd. *per prata.*
301. Fr. et duo al. *Fit comes.*

Quo tibi, Pasiphaë, pretiosas sumere uestes?
Iste tuus nullas sentit adulter opes.
Quid tibi cum speculo montana armenta petenti? 305
Quid toties positas fingis, inepta, comas?
Crede tamen speculo, quod te negat esse iuuencam.
Quam cuperes fronti cornua nata tuae!
Siue placet Minos; nullus quaeratur adulter;
Siue uirum mauis fallere, falle uiro. 310
In nemus et saltus thalamo regina relicto
Fertur, ut Aonio concita Baccha Deo.
Ah quoties uaccam uultu spectauit iniquo,
Et dixit, Domino cur placet ista meo!
Adspice, ut ante ipsum teneris exultet in herbis: 315
Nec dubito, quin se stulta decere putet.
Dixit; et ingenti iam dudum de grege duci
Iussit; et immeritam sub iuga panda trahi:
Aut cadere ante aras, commentaque sacra coëgit:
Et tenuit laeta pellicis exta manu. 320
Pellicibus quoties placauit numina caesis!
Atque ait, exta tenens, Ite, placete meo!
Et modo se Europen fieri, modo postulat Iö:
Altera quod bos est; altera uecta boue.
Hanc tamen impleuit, uacca deceptus acerna, 325
Dux

303. *Quo* coni. Heins. Vulgo *Quid*. R. *Quod*.
313. Pa. unus *uultu speculatur*.
316. Al. *placere putet*.
318. *Panda* quatuor scripti et prima ed. Vulgo *curua*.
319. Pa. unus et Apr. pro diu. lect. *mentitaque sacra*.
322. Duo scripti *placete uiro*.
325. Vnus V. deceptus *albena*.

Dux gregis: et partu proditus auctor erat.
Cressa Thyestea si se abstinuisset amore;
(O quantum est, uni posse placere uiro!)
Non medium rupisset iter, curruque retorto
Auroram uersis Phoebus adisset equis. 330
Filia purpureos Niso furata capillos,
Pube premit rabidos inguinibusque canes.
Qui Martem terra, Neptunum effugit in undis,
Coniugis Atrides uictima dira fuit.
Cui non deflata est Ephyraeae flamma Creüsae? 335
Et nece natorum sanguinolenta parens?
Fleuit Amyntorides per inania lumina Phoenix:
Hippolytum pauidi diripuistis equi.
Quid fodis immeritis, Phineu, sua lumina natis?
Poena reuersura est in caput ista tuum. 340
Omnia feminea sunt ista libidine mota:
Acrior est nostra, plusque furoris habet.
Ergo age, ne dubita cunctas superare puellas;

327. Vnus Pa. *se tenuisset.*
329. Quinque codd. et edd. Ven. Micyll. Bersm. Vincent. et Plant. *rapuisset iter. Ibid.* unus Heins. *curruque rotato.*
330. L. *Auroram aduersis.*
331. Post hunc uersum in plerisque scriptis et olim editis inseruntur hi duo: *Puppe cadens celsa facta refertur auis.* (uel *Hunc hostem patitur cum reliquis auibus.*) *Altera Scylla maris monstrum medicamine Circes*, pro quo Pat. Treuisani *Filia sed Phorci correpta cupidine Glauci.* Alii codd. aliter exhibent hos uersus, quos merito ut spurios exulare iussit Heinsius cum desint etiam in O. et R. 2.
338. Vulgo *rapidi equi.* R. O. et quatuor al. *rabidi.*
341. O. *ista cupidine plena.*
343. Nonnulli *nec* uel *ne dubites. Ibid.* al. *superare puellas.*

Vix erit e multis, quae neget, una, tibi.
Quae dant, quaeque negant, gaudent tamen esse rogatae. 345
Vt iam fallaris, tuta repulsa tua est.
Sed cur fallaris, cum sit noua grata uoluptas?
Et capiant animos plus aliena suos?
Fertilior seges est alienis semper in agris:
Vicinumque pecus grandius uber habet. 350
Sed prius ancillam captandae nosse puellae
Cura sit: accessus molliat illa tuos.
Proxima consiliis dominae sit ut illa, uideto;
Neue parum tacitis conscia fida iocis.
Hanc tu pollicitis, hanc tu corrumpe rogando; 355
Quod petis, e facili, si uolet illa, feres.
Illa legat tempus (medici quoque tempora seruant)
Quo facilis dominae mens sit, et apta capi.
Mens erit apta capi tunc, cum laetissima rerum,
Vt seges in pingui luxuriabit humo. 360
Pectora dum gaudent, nec sunt adstricta dolore,
Ipsa patent: blanda tum subit arte Venus.
Tum, cum tristis erat, defensa est Ilios armis:

Militi-

346. Vnus Be. *stulta repulsa.*

348. *Suos* Iur. et Pol. cum al. quibusdam. Vulgo *suis.*

351. *Captandae* Apr. Vulgo *captatae.*

352. O. et plerique al. *molliet illa.*

353. O. et Pet. *sit an illa. Ib.* C. *conciliis.*

354. Ha. *missa iocis.*

357. *Legat* R. et Apr. Vulgo *leget.*

360. R. et O. cum al. nonnullis *luxuriauit.* Iur. *luxuriatur.* Vnus V. *luxuriarit.*

361. Al. *attrita dolore.* Vnus *abstracta.* V. *adstricta labore.*

362. Mo. *Ipsa patet.*

Militibus grauidum laeta recepit equum.
Tum quoque tentanda eſt, cum pellice laeſa dolebit: 365
Tum facias opera, ne ſit inulta, tua.
Hanc matutinos pectens ancilla capillos
Iacitet: et uelo remigis addat opem.
Et, ſecum tenui ſuſpirans murmure, dicat:
Vt puto, non poteris ipſa referre uicem. 370
Tum de te narret: tum perſuadentia uerba
Addat; et inſano iuret amore mori.
Sed propera, ne uela cadant, auraeque reſidant.
Vt fragilis glacies, interit ira mora.
Quaeris, an hanc ipſam proſit uitiare miniſtram? 375
Talibus admiſſis alea grandis ineſt.
Haec a concubitu ſit ſedula; tardior illa:
Haec dominae munus te parat, illa ſibi.
Caſus in euentu eſt. licet haec indulgeat auſis;
Conſilium tamen eſt abſtinuiſſe meum. 380
Non ego per praceps et acuta cacumina uadam:
Nec iuuenum quiſquam, me duce, captus erit.
Si tamen illa tibi, dum dat, recipitque tabellas,
Corpore, non tantum ſedulitate, placet;

367. Nonnulli *matutino*. *Ib.* N. et O. *pectentem*.

373. O *properet*. *Ib.* *auraeque* unus Pa. Vulgo *iraeque*. Duo al. *uiresque*. *Ibid.* unus cod. *iraeque recedant*. Be. *reſiſtant*.

375. *Vitiare* duo Heinſ. Vulgo *uiolare*. Vnus *mollire*.

377. *A concubitu* R. a manu pr. cum Exc. Scal. et P. Vulgo *ad concubitum*.

378. Al. *munus temperat*.

379. Al. *licet hic*.

381. Vnus cod. *acuta Ceraunia*. *Ib.* duo libri *cacumina ducam*.

Fac domina potiare prius; comes illa ſequatur. 385
Non tibi ab ancilla eſt incipienda Venus.
Hoc unum moneo (ſi quid modo creditur arti;
Nec mea dicta rapax per mare uentus agit.)
Aut non tentaris, aut perfice. tollitur index;
Cum ſemel in partem criminis ipſa uenit. 390
Non auis utiliter uiſcatis effugit alis:
Non bene de laxis caſſibus exit aper.
Saucius arrepto piſcis teneatur ab hamo.
Perprime tentatam: nec, niſi uictor, abi.
Tum neque te prodet communi obnoxia culpae: 395
Factaque erunt dominae dictaque nota tibi.
Sed bene celetur, bene ſi celabitur index,
Notitiae ſuberit ſemper amica tuae.
Tempora qui ſolis operoſa colentibus arua,
Fallitur, et nautis adſpicienda putat. 400
Nec ſemper credenda Ceres fallacibus aruis:
Nec ſemper uiridi concaua puppis aquae.
Nec teneras ſemper tutum captare puellas.
Saepe dato melius tempore fiet idem.

Siue

388. Al. *agat.*
389. *Non tentaris* a coni. Heinſ. Al. *numquam tentes.* R. et multi al. *non tentaſſes.* Iur. et al. *non tentabis.* O. *tentares. Ib.* Fr. pro uar. lect. *pellitur index.*
393. Al. *piſcis retinetur.*
394. Al. *Opprime tent.*
395. *Obnoxia culpae* corr. Heinſ. nam duo codd. *noxia culpae*, Pat. unus *obnoxia culpa.* Vulgo *noxia culpa.* Al. *conſcia culpae.*
400. Pa. unus et alius *accipienda putet.*
401. Pa. *tradenda Ceres.*
402. C. *ſemper liquidae.*
403. Duo Heinſ. *tentare puellas.*

Siue dies aderit natalis; ſiue Kalendae, 405
Quas Venerem Marti continuaſſe iuuat:
Siue erit ornatus, non ut fuit ante, ſigillis,
Sed regum expoſitas Circus habebit opes;
Differ opus, tunc triſtis hiems, tunc Pliades inſtant:
Tunc tener aequorea mergitur Hoedus aqua. 410
Tunc bene deſinitur: tunc, ſi quis creditur alto,
Vix tenuit lacerae naufraga membra ratis.
Tunc licet incipias, qua flebilis Allia luce
Vulneribus Latiis ſanguinolenta fuit:
Quaque die redeunt, rebus minus apta gerendis, 415
Culta Palaeſtino ſeptima feſta Syro.
Magna ſuperſtitio tibi ſit natalis amicae:
Quaque aliquid dandum eſt, illa ſit atra dies.
Cum bene uitaris; tamen auferet. inuenit artem
Femina, qua cupidi carpat amantis opes. 420
Inſtitor ad dominam ueniet diſcinctus emacem:
Expediet merces teque ſedente ſuas.
Quas illa, inſpicias, ſapere ut uideare, rogabit.
Oſcula deinde dabit: denide rogabit, emas.
Hoc fore contentam multos iurabit in annos. 425

405. *Aderit* duo Heinſ. Vulgo *ſuberit*. Duo *fuerit*.
408. *Expoſitas* duo Heinſ. Vulgo *poſitas*.
410. Al. *Tunc et in aequor*.
411. Ca. et L. *bene differtur*. Alius *diſpicitur*. *Ib*. Me. *ſe qui credidit alto*. R. *te qui credidit*. Pat. *ſi quis credidit*.
413. *Tu* O. Vulgo *Tunc*.
416. *Syro* Exc. P. et Scal. Vulgo *uiro*.
417. Duo Pa. et duo al. *Multa ſuperſtitio*. Me. 1. *Vana*.
421. 422. O. et duo al. *ueniat* et *Expediat*.
423. N. *ſcire ut*. Be. *capere*.

Nunc opus esse sibi, nunc bene dicet emi.
Si non esse domi, quos des, causabere numos;
Littera poscetur; ne didicisse iuuet.
Quid? quasi natali cum poscit munera libo?
Et, quoties opus est, nascitur ipsa sibi? 430
Quid? cum mendaci damno moestissima plorat;
Elapsusque caua fingitur aure lapis?
Multa rogant utenda dari: data reddere nolunt.
Perdis; et in damno gratia nulla tuo.
Non mihi, sacrilegas meretricum ut prosequar artes, 435
Cum totidem linguis sint satis ora decem.
Cera uadum tentet, rasis infusa tabellis:
Cera tuae primum nuntia mentis erit.
Blanditias ferat illa tuas; imitataque amantum
Verba, nec exiguas, quisquis es, adde preces. 440
Hectora donauit Priamo, prece motus, Achilles:
Flectitur iratus uoce rogante Deus.
Promittas facito: quid enim promittere laedit?
Pollicitis diues quilibet esse potest.
Spes tenet in tempus semel est si credita, longum: 445
Illa quidem fallax, sed tamen apta Dea est.

Si

428. Ita R. O. aliique nonnulli. Vulgo *nec didicisse iuuat.*

431. Vnus Be. *mordaci damno.* Edit. Micyll. *Quid quo mend.*

433. Al. *reddenda dari.* Quidam *tradenda sibi.* Vnus *optanda dari.* He. *credenda dari.*

435. Al. *persequar.*

437. O. *raris tabellis.* Pa. *roseis.*

438. *Nuntia* O. Sa. et unus Pa. Vulgo *conscia.*

439. N. *imitataque mentem.* O. *amorum.* Heins. coni. *amantem* uel *amorem.*

Si dederis aliquid, poteris ratione relinqui.
Praeteritum tulerit, perdideritque nihil.
At quod non dederis, ſemper uideare daturus.
Sic dominum ſterilis ſaepe fefellit ager. 450
Sic, ne perdiderit, non ceſſat perdere luſor:
Et reuocat cupidas alea blanda manus.
Hoc opus, hic labor eſt: primo ſine munere iungi.
Ne dederit gratis, quae dedit, uſque dabit.
Ergo eat; et blandis peraretur littera uerbis: 455
Exploreſque animos, primaque tentet iter.
Littera Cydippen, pomo perlata, fefellit:
Inſciaque eſt uerbis capta puella ſuis.
Diſce bonas artes, (moneo) Romana iuuentus;
Non tantum, trepidos ut tueare reos. 460
Quam populus, iudexque grauis, lectusque Senatus;
Tam dabit eloquio uicta puella manus.
Sed lateant uires; nec ſis in fronte diſertus.
Effugiant cerae uerba moleſta tuae.
Quis, niſi mentis inops, tenerae declamet amicae? 465
Saepe ualens odii littera cauſa fuit.

448. Vnus Pat. *tuleris. Ib.* R. 3. *perdiderisque.*

449. Al. *Et quae non.* O. *At quae.* Vnus *At ſi non.* N. *Sed quod.* Tres *Et ſi.*

452. *Blanda* cod. Zinzerlingii, C. et quatuor al. Vulgo *ſaepe.*

454. *Ne dederit* R. O. et A. Vulgo *Si dederit.* Alius *Nec ded.*

455. Duo codd. *portetur littera.* Vnus *tractetur.* Tres *paretur.* Alius *properetur.*

457. Be. et quinque al. *perlecta fefellit.* Quidam *praelata, prolata, delata.*

463. Duo Pa. *Lateant artes. Ib.* duo *in fronte ſeuerus.*

464. *Cerae* tres Heinſ. Vulgo *uoces. Ib.* Arg. *uerba magiſtra.*

Sit tibi credibilis ſermo, conſuetaque uerba:
Blanda tamen, praeſens ut uideare loqui.
Si non accipiet ſcriptum, illectumque remittet;
Lecturam ſpera: propoſitumque tene. 470
Tempore difficiles ueniunt ad aratra iuuenci:
Tempore lenta pati frena docentur equi:
Ferreus aſſiduo conſumitur annulus uſu:
Interit aſſidua uomer aduncus humo.
Quid magis eſt ſaxo durum? quid mollius unda? 475
Dura tamen molli ſaxa cauantur aqua.
Penelopen ipſam (perſta modo) tempore uinces.
Capta uides ſero Pergama; capta tamen:
Legerit, et nolit reſcribere; cogere noli.
Tu modo blanditias fac legat uſque tuas. 480
Quae uoluit legiſſe, uolet reſcribere lectis.
Per numeros uenient iſta gradusque ſuos.
Forſitan et primo ueniet tibi littera triſtis;
Quaeque roget, ne ſe ſollicitare uelis.
Quod rogat illa, timet: quod non rogat, optat, 485
ut inſtes.
Inſequere; et uoti poſtmodo compos eris.
Interea, ſiue illa toro reſupina feretur;
Lecticam dominae diſſimulanter adi:

Neue

467. Al. *conſultaque uerba.*
468. Be. unus *ſic uideare.*
469. Sex libri *intactumque remittet.*
474. Iun. *Et perit aſſid.*
480. Al. *legat ipſa.*
482. *Venient* O. et quatuor al. Vulgo *ueniunt.* Duo *ueniant.*
487. Al. *feratur.*
488. Vnus Heinſ. *diſſimulator.*

Neue aliquis uerbis odiosas afferat aures,
Quam potes, ambiguis callidus abde notis. 490
Seu pedibus uacuis illi spatiosa teretur
Porticus: hic socias tu quoque iunge moras.
Et modo praecedas facito; modo terga sequaris:
Et modo festines, et modo lentus eas.
Nec tibi de mediis aliquot transire columnas 495
Sit pudor, aut lateri continuasse latus.
Nec sine te cuiuo sedeat spatiosa theatro:
Quod spectes, humeris afferet illa suis.
Illam respicias, illam mirere licebit;
Multa supercilio, multa loquare notis. 500
Et plaudas, aliquam mimo saltante puellam;
Et faueas illi, quisquis agatur amans.
Cum surget, surges; donec sedet illa, sedebis.
Arbitrio dominae tempora perde tuae.
Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos: 505
Nec tua mordaci pumice crura teras.
Ista iube faciant, quorum Cybeleïa mater
Concinitur Phrygiis exululata modis.
Forma uiros neglecta decet. Minoïda Theseus

Abs-

489. R. O. et unus V. *offeret.*

492. Iun. et quinque al. *huic socias. Ib.* quinque codd. *tu modo. Ib.* Voss. *iunge manus.*

495. Ita O. et decem al. Vulgo *aliquam transire columnis.* Ar. et quidam al. *aliquot columnis.*

497. Al. *speciosa theatro.*

498. Al. *afferat.* Apr. et C. *auferat.* Voss. *oculis afferat.*

501. Ita Exc. Scal. et cod. O. Vulgo *aliquo mimo saltante. puellae.*

503. Al. *surgit surgas — sedeto.*

Abſtulit, a nulla tempora comtus acu. 510
Hippolytum Phaedra, nec erat bene cultus, amauit.
Cura Deae, ſiluis aptus, Adonis erat.
Munditiae placeant: fuſcentur corpora Campo:
Sit bene conueniens, et ſine labe toga.
Linguaque ne rigeat: careant rubigine dentes: 515
Nec uagus in laxa pes tibi pelle natet.
Nec male deformet rigidos tonſura capillos:
Sit coma, ſit docta barba reſecta manu.
Et nihil emineant, et ſint ſine ſordibus ungues:
Inque caua nullus ſtet tibi nare pilus. 520
Nec male odorati ſit triſtis anhelitus oris:
Nec laedant nares uirque, paterque gregis.
Caetera laſciuae faciant, concede, puellae:
Et ſi quis male uir quaerit habere uirum.
Ecce ſuum uatem Liber uocat. hic quoque amantes 525
Adiuuat; et flammae, qua calet ipſe, fauet.
Gnoſis in ignotis amens errabat arenis,
Qua breuis aequoreis Dia feritur aquis.
Vtque erat a ſomno tunica uelata recincta,
Nuda pedem, croceas irreligata comas; 530
Theſea crudelem ſurdas clamabat ad undas,

Indigno

510. Ald. poſterior, Micyl. et al. edd. *cultus acu.*
513. Ha. *corpora ſole.*
518. O. et R. *ſit tuta.* Heinſ. coni. *ſcita.*
522. Duo Heinſ. *duxque paterque.*
527. Duo libri *Gnoſias. Ib.* Mo. *errabat in aruis.*
528. Quidam codd. *inſula fertur aquis.* Nonnulli *unda refertur.* Duo *Chia feritur.*
529. Al. *e ſomno.*

Indigno teneras imbre rigante genas.
Clamabat, flebatque simul; sed utrumque decebat:
Nec facta est lacrymis turpior illa suis.
Iamque iterum tundens mollissima pectora palmis, 535
Perfidus ille abiit: quid mihi fiet? ait.
Quid mihi fiet? ait, sonuerunt cymbala toto
Litore, et attonita tympana pulsa manu.
Excidit illa metu, rupitque nouissima uerba:
Nullus in exanimi corpore sanguis erat. 540
Ecce Mimallonides sparsis in terga capillis:
Ecce leues Satyri, praeuia turba Dei:
Ebrius ecce senex pando Silenus asello,
Vix sedet; et pressas continet arte iubas.
Dum sequitur Bacchas, Bacchae fugiuntque petuntque; 545
Quadrupedem ferula dum malus urguet eques;
In caput aurito cecidit delapsus asello.
Clamarunt Satyri, Surge age, surge, Pater.
Iam Deus e curru, quem summum texerat uuis,
Tigribus adiunctis aurea lora dabat. 550
Et color, et Theseus, et uox abiere puellae:
Terque fugaam petiit: terque retenta metu.
Horruit,

532. Pa. unus *indigno croceas.*
533. Apr. *utrumque placebat.*
544. Vnus Pat. *comprimit arte.*
545. Pa. *fugiuntque premuntque.*
546. R. *male sedit eques.*
547. Be. unus *arrepto cecidit.*
548. O. et Sa. *surge, senex.*
549. *E curru* quinque Heins. Vulgo *in curru.*
551. Pol. et Ha. *Et color et sensus.* Al. nonnulli *Iam color et sensus.* Vnus Be. *Iam color et timidae uires abiere P.*

Horruit, ut ſteriles, agitat quas uentus, ariſtae:
Vt leuis in madida canna palude tremit.
Cui Deus, En adſum tibi cura fidelior, inquit: 555
Pone metum; Bacchi, Gnoſias, uxor eris.
Munus habe coelum: coelo ſpectabile ſidus
Saepe reges dubiam Creſſa Corona ratem.
Dixit; et e curru, ne tigres illa timeret,
Deſilit: (impoſito ceſſit arena pedi.) 560
Implicitamque ſinu (neque enim pugnare ualebat)
Abſtulit: ut facile eſt omnia poſſe Deo.
Pars, Hymenaee, canunt: pars clamant, Euie, euoë!
Sic coëunt ſacro nupta Deusque toro.
Ergo, ubi contigerint poſiti tibi munera Bacchi, 565
Atque erit in ſocii femina parte tori;
Nycteliumque patrem, nocturnaque ſacra precare,
Ne iubeant capiti uina nocere tuo.
Hic tibi multa licet ſermone licentia tecto
Dicere, quae dici ſentiat illa ſibi: 570

Blandi-

553. Fr. R. duo et tres al. *ariſtas.*

554. A. et Voſſ. *in media.*

557. Multi ſcripti et olim ed. *coeli. Ib. ſpectabile* Ar. Vulgo *ſpectabere.* Be. unus *coeli ſpectabile.*

558. Al. *Creſſa puella.*

560. Be. et Pa. *Deſiluit: poſito c. a. pede.*

562. R. et unus Pat. *in facili eſt.* O. et V. unus *en facile eſt.* Be. *Abſtulerat. facile eſt.*

563. Iur. et Be. unus *Pars Hymenaea uocat, pars altera clamat ebohe. Hymenaea* multi codd. Al. *pars Euion Euie clamat, pars altera clamat echion, pars altera Euoë clamant*, et ſimil.

565. Mo. et tres al. *contingent.*

569. *Licentia tecto* duo Pa. et C. Vulgo *latentia ſicto.* Al. *latentia tecto.*

Blanditiasque leues tenui perſcribere uino;
Vt dominam in menſa ſe legat illa tuam:
Atque oculos oculis ſpectare fatentibus ignem.
Saepe tacens uocem uerbaque uultus habet.
Fac primus rapias illius tacta labellis 575
Pocula; quaque bibet parte puella, bibas.
Et quodcunque cibi digitis libauerit illa,
Tu pete: dumque petes, ſit tibi tacta manus.
Sint etiam tua uota uiro placuiſſe puellae.
Vtilior uotis factus amicus erit. 580
Huic, ſi ſorte bibes, ſortem concede priorem:
Huic detur capiti demta corona tuo.
Siue ſit inferior, ſeu par, prior omnia ſumat:
Neu dubites illi uerba ſecunda loqui.
Tuta frequensque uia eſt, per amicum fallere nomen. 585
Tuta frequensque licet ſit uia; crimen habet.
Inde procurator nimium quoque multa procurat,
Et ſibi mandatis plura uidenda putat.
Certa tibi a nobis dabitur menſura bibendi:

Officium

571. R. et quatuor al. *praeſcribere.*

573. Tres libri *fouentibus ignem.*

576. Iur. cum quibusdam al. *tu quoque parte bibas.*

577. *Quodcunque cibi* unus V. Vulgo *quemcunque cibum.*

580. R., et multi al. *Vtilior uobis.* Alius R. *uerbis.*

581. *Sorte* Exc. P. et Scal. Vulgo *forte.*

582. *Demta* Iur. A. unus et N. Vulgo *miſſa.*

584. *Neu* codd. Scal. et Iur. Vulgo *Ne. Ib.* Pa. *proxima uerba.*

585. *Amicum* Iun. et unus V. Vulgo *amici.*

587. 588. Al. *Inde propinator*, et *multa propinet*, ac deinde *putet.* Iur. et tres al. *iubenda putet.* Ro. *bibenda.*

Officium praeſtent mensque p.d.sque ſuum. 590
Iurgia praecipue, uino ſtimulata, caueto,
Et nimium faciles ad fera bella manus.
Occidit Eurytion ſtulte data uina bibendo.
Aptior eſt dulci menſa merumque ioco.
Si uox eſt, canta: ſi mollia brachia, ſalta: 595
Et, quacunque potes dote placere, place.
Ebrietas ut uera nocet, ſic ficta iuuabit.
Fac titubet blaeſo ſubdola lingua ſono:
Vt, quicquid facies dicesue proteruius aequo,
Credatur nimium cauſa fuiſſe merum. 600
Et, Bene, dic, dominae; bene, cum quo dormiat illa:
Sed male ſit tacita mente precare uiro.
At, cum diſcedet menſa conuiua remota;
(Ipſa tibi acceſſus turba locumque dabit)
Inſere te turbae: leuiterque admotus eunti, 605
Velle latus digitis; et pede tange pedem.
Colloquio iam tempus adeſt, fuge ruſtice longe
Hinc pudor: audentem Forsque Venusque iuuant.
Non tua ſub noſtras ueniat facundia leges.

Fac

590. Vnus Iun. *Officium faciat*. Pat. *ſeruent*.
591. Iun. et decem al. *ſtimulante*.
592. R. Fr. et ſex al. *fera uerba*. Vnus Heinſ *fera tela*.
596. C. et 15. alii *arte placere*. Vnus V. *parte*.
603. Voſſ. *conuiua relicta*.
604. Vnus V. *locusque dabunt*. Iur. *locumque dabunt*.
605. Pa. *pariterque admotus*.
606. Multi ſcripti *Pelle latus*. Voſſ. et tres al. *Molle latus*. Voſſ. et duo al. *Tange*.
608. Sa. *audentes*. Vulgo *audacem*.
609. Al. *ueniet*.

Fac tantum incipias, ſponte diſertus eris. 610
Eſt tibi agendus amans, imitandaque uulnera uerbis.
Hinc tibi quaeratur qualibet arte fides.
Nec credi labor eſt: ſibi quaeque uidetur amanda.
Peſſima ſit, nulli non ſua forma placet.
Saepe tamen uere coepit ſimulator amare: 615
Saepe, quod incipiens finxerat eſſe, fuit.
Quo magis ô faciles imitantibus eſte, puellae.
Fiet amor uerus, qui modo falſus erat.
Blanditiis animum furtim deprendere nunc ſit:
Vt pendens liquida ripa ſubitur aqua. 620
Nec faciem, nec te pigeat laudare capillos;
Et teretes digitos, exiguumque pedem.
Delectant etiam caſtas praeconia formae.
Virginibus curae eſt grataque forma ſua.
Nam cur in Phrygiis Iunonem et Pallada ſiluis 625
Nunc quoque iudicium non tenuiſſe pudet?
Laudatas oſtentat auis Iunonia pennas:
Si tacitus ſpectes, illa recondit opes.
Quadrupedes, inter rapidi certamina curſus,
Depexaeque iubae, plauſaque colla, iuuant. 630

Nec

610. Al. *tantum cupias.*
612. Al. *Haec tibi.* Ed. Gryph. a. 1554. *Hîc tibi.*
613. Vnus Heinſ. *uidentur.*
616. Be. *Seque quod.*
617. Iun. *faciles iurantibus.*
618. Al. *fictus erat.*
619. Al. *deprend. fas ſit.* R. O. et Exc. Scal. *non ſit.*
620. Iun. *bibula aqua. Ib.* L. *ripa ſalitur.* Ar. et Be. *cauatur.*
627. *Oſtentat* Sa. et quatuor al. Vulgo *oſtendit.* He. *oſtendat.* Ar. et Apr. *extendit.*

Nec timide promitte: trahunt promissa puellas.
  Pollicito testes quoslibet adde Deos.
Iuppiter ex alto periuria ridet amantum;
  Et iubet Aeolios irrita ferre Notos.
Per Styga Iunoni falsum iurare solebat 635
  Iuppiter: exemplo nunc fauet ipse suo.
Expedit esse Deos: et, ut expedit, esse putemus.
  Dentur in antiquos tura merumque focos.
Nec secura quies illos similisque sopori
  Detinet. innocue uiuite; numen adest. 640
Reddite depositum: pietas sua foedera seruet:
  Fraus absit: uacuas caedis habete manus.
Ludite, si sapitis, solas impune puellas:
  Hac minus est una fraude tuenda fides.
Fallite fallentes: ex magna parte profanum 645
  Sunt genus. in laqueos, quos posuere, cadant.
Dicitur Aegyptos caruisse iuuantibus arua
  Imbribus; atque annos sicca fuisse nouem.
Cum Thrasius Busirin adit, monstratque piari
  Hospitis effuso sanguine posse Iouem. 650
Illi Busiris, Fies Iouis hostia primus,
  Inquit, et Aegypto tu dabis hospes aquam.

Et

632. Al. *Pollicitis.*
635. *Falsum* omnes fere scripti. Al. *falso.* Ed. prima *Per falsum Styga Iun.*
640. Al. *innocui.*
641. Voss. *sua pignora.*
644. R. et al. quidam *Haec magis est.* O. et Exc. Scal. cum al. *Hac magis est.* Iur. et tres al. *Hac magis est una parte. Ib.* al. *pudenda fides.*
645. Pat. *Fallite fallaces.*
650. R. *affuso.*
651. Cod. Paa *Iouis infula.*

Et Phalaris tauro uiolenti membra Perilli
Torruit. infelix imbuit auctor opus.
Iustus uterque fuit. neque enim lex aequior ulla, 655
Quam necis artifices arte perire sua.
Ergo, (ut periuras merito periuria fallunt,)
Exemplo doleat femina lusa suo.
Et lacrymae prosunt: lacrymis adamanta mouebis.
Fac madidas uideat, si potes, illa genas. 660
Si lacrymae (neque enim ueniunt in tempore semper)
Deficient; uda lumina tange manu.
Quis sapiens blandis non misceat oscula uerbis?
Illa licet non det; non data sume tamen.
Pugnabit primo fortassis; et, Improbe, dicet. 665
Pugnando uinci sed tamen illa uolet.
Tantum, ne noceant teneris male rapta labellis,
Neue queri possit dura fuisse, caue.
Oscula qui sumsit, si non et caetera sumet;
Haec quoque, quae data sunt, perdere dignus erit. 670
Quantum defuerat pleno post oscula uoto;
Hei mihi! rusticitas, non pudor ille fuit.
Vim licet appelles, grata est uis ista puellis:

655. Apr. *Dignus uterque.*
657. Ita quinque Heins. Vulgo *et periuras --- fallant.* Scripti plerique *ut fallant* R. et O. *ut fallent.*
658. *Lusa* cod. Heins. Vulgo *laesa.*
662. Codd. R. it. Pol. et quinque al. *uncta manu*, quod praefert Heins. O. *cuncta.* Tres *tincta.* Duo *unda.* He. *inita* uel *tincta.*
666. Al *se tamen.*
669. Al. *caetera sumsit*, uel *sumit.*
670. Al. *dignus erat.*
671. Iur. et Apr. *oscula facto.*
673. *Apelles* Iur. et Apr. Vulgo *appellent.*

Quod iuuat, inuitae ſaepe, dediſſe uolunt.
Quaecunque eſt ſubita Veneris uiolata rapina, 675
Gaudet: et improbitas muneris inſtar habet.
At quae, cum cogi poſſet, non tacta receſſit,
Vt ſimulet uultu gaudia, triſtis erit.
Vim paſſa eſt Phoebe; uis eſt allata ſorori:
Et gratus raptae raptor uterque fuit. 680
Fabula nota quidem, ſed non indigna referri,
Scyrias Haemonio iuncta puella uiro.
Iam Dea laudatae dederat ſua praemia formae,
Colle ſub Idaeo uincere digna duas.
Iam nurus ad Priamum diuerſo uenerat orbe; 685
Graiaque in Iliacis moenibus uxor erat.
Iurabant omnes in laeſi uerba mariti:
Nam dolor unius, publica cauſa fuit.
Turpe, niſi hoc matris precibus tribuiſſet, Achilles:
Veſte uirum longa diſſimulatus erat. 690
Quid facis, Aeacida? non ſunt tua munera lanae.
Tu titulos alia Palladis arte petas.
Quid tibi cum calathis? clypeo manus apta tenendo eſt.
Penſa

678. Edd. antiquiores *Cum ſimulat.*
679. *Allata* R. O. et ſex al. Vulgo *illata.* Fr. *oblata.*
680. Al. *raptis.*
682. Al. *uicta puella.*
683. Al. *mala praemia.* Vnus V. et Med. 1. *male.*
684. *Duas* tres Heinſ. O. pro diu. lect. et prima ed. Vulgo *Venus.*
686. *Graiaque* Iur. et al. nonnulli it. prima ed. Vulgo *Grataque.*
691. Me. *munia lanae.*
692. Quidam MSS. et ed. *pete.* Pol. *feres.* N. *tene.*
693. *Tenendo eſt* reponit Burm. ex O. in quo *tenenda eſt.* Vulgo *apta terendo* Nonnulli *terenda eſt.* V. *terendo eſt.* Al. *apta ferendo,* Bo. et

Penſa quid in dextra, qua cadet Hector, habes?
Reiice ſuccinctos operoſo ſtamine fuſos. 695
Quaſſanda eſt iſta Pelias haſta manu.
Forte erat in thalamo uirgo regalis eodem:
Haec illum ſtupro comperit eſſe uirum.
Viribus illa quidem uicta eſt, ita credere oportet:
Sed uoluit uinci uiribus illa tamen. 700
Saepe, Mane, dixit, cum iam properaret Achilles:
Fortia nam poſita ſumſerat arma colo.
Vis ubi nunc illa eſt? quid blanda uoce moraris
Auctorem ſtupri, Deïdamia, tui?
Scilicet, ut pudor eſt quondam coepiſſe priorem, 705
Sic alio gratum eſt incipiente pati.
Ah nimia eſt iuueni propriae fiducia formae,
Expectat ſi quis, dum prior illa roget!
Vir prior accedat: uir uerba precantia dicat.
Excipiet blandas comiter illa preces. 710
Vt potiare, roga: tantum cupit illa rogari.
Da cauſam uoti principiumque tui.
Iuppiter ad ueteres ſupplex Heroïdas ibat:
Corripuit magnum nulla puella Iouem.
Si tamen a precibus tumidos accedere flatus 715

unus Heinſ. *clypeis ferendis*, alius *tenendis*.

694. Al. *cadat*.

705. *Quondam* tres ſcripti et prima ed. Vulgo *quiddam*. Al. *quadam*, uel *quandam*.

710. Al. *molliter illa*.

714. Quidam codd. *Increpuit magnum*, uel *Corrupit*.

715. R. O. Iur. et al. nonnulli *abſcedere*. *Ib. flatus* O. Vulgo *faſtus*.

Senſeris; incepto parce, referque pedem.
Quod refugit, multae cupiunt: odere, quod inſtat.
Lenius inſtando taedia tolle tui.
Nec ſemper Veneris ſpes eſt profitenda roganti:
Intret amicitiae nomine tectus amor. 720
Hoc aditu uidi tetricae data uerba puellae:
Qui fuerat cultor, factus amator erat.
Candidus in nauta turpis color: aequoris unda
Debet et a radiis ſideris eſſe niger.
Turpis et agricolae, qui uomere ſemper adunco, 725
Et grauibus raſtris ſub Ioue uerſat humum.
Et tibi, Palladiae petitur cui palma coronae,
Candida ſi fuerint corpora; turpis eris.
Palleat omnis amans: hic eſt color aptus amanti.
Hic decet: hoc uultu non ualuiſſe putent. 730
Pallidus in Lyrice ſiluis errabat Orion:
Pallidus in lenta Naïde Daphnis erat.
Arguat et macies animum: nec turpe putaris,
Palliolum nitidis impoſuiſſe comis.

Atte-

722. Quidam *cultor uictus*, unde Rouerius coni. *dictus*, Heinſ. *fictus*.

725. Al. *in agricola*, et *quia uomere*.

727. Al. *Et tu*. R. O. Iur. et tres al. *Et tua*. N. *At tibi*. *Ibid. palma* quatuor Heinſ. Vulgo *fama*.

730. Vulgo *Hoc decet: hoc multi non uoluiſſe putant*. Exc. Scal. et P. et quidam al. *Hic decet, hunc multi*. Prima ed. *hic multi non*. *Hoc* a coni. Heinſ. *Vultu* unus Heinſ. *Putent* R. et duo al.

731. Iur. *in Licea*. R. et unus Heinſ. *in Linces*. Al. *Lincea*, *Liceae*, *Linces*, *Lineam*, et ſimil. Heinſ. coni. *in Dirces ſiluis*.

734. Al. *Pileolum nitidis*. *Ib.* Pa. *praepoſuiſſe*.

Attenuent iuuenum uigilatae corpora noctes; 735
Curaque, et e magno qui fit amore, dolor.
Vt uoto potiare tuo, miserabilis esto:
Vt, qui te uideat, dicere possit, Amas.
Conquerar, an moneam, mixtum fas omne nefasque?
Nomen amicitia est, nomen inane fides. 740
Hei mihi! non tutum est; quod ames, laudare sodali.
Cùm tibi laudanti credidit, ipse subit.
At non Actorides lectum temerauit Achillis:
Quantum ad Pirithoum, Phaedra pudica fuit.
Hermionen Pylades, quo Pallada Phoebus, amabat: 745
Quodque tibi geminus, Tyndari, Castor erat.
Si quis idem sperat, iacturas poma myricas
Speret: et in medio flumine mella petat.
Nil, nisi turpe iuuat: curae est sua cuique uoluptas.
Haec quoque ab alterius grata dolore uenit. 750
Heu facinus! non est hostis metuendus amanti.
Quos credis fidos, effuge; tutus eris.
Cognatum fratremque caue, carumque sodalem:
Praebebit ueros haec tibi turba metus.

735. *Attenuent* tres Heinf. Vulgo *Attenuant.*

736. Al. *in magno.* Duo scripti et edd. antiquae et Micyll. *et immenso am.*

739. O. *Conquerar admoneam.* R. *Cum querar admoneam.* Vnus Heinf. *Conquerar an sileam.* Exc. Pol. tres Heinf. et Be. unus *Conqu. an taceam. Ibid.* al. *fas esse nefasque.*

741. Pat. *iactare sodali.*

743. R. O. et al. quidam *Achilles.*

745. R. *quod Pallada.* Al. *quæ.*

747. *Iacturas* R. O. et sex al. Vulgo *laturas.*

748. Al. *e medio.*

752. Pol. et sex al. *credis tutos.*

753. Al. *fidumque sod.*

Finiturus eram: ſed ſunt diuerſa puellis 755
Pectora. mille animos excipe mille modis.
Nec tellus eadem parit omnia. uitibus illa
Conuenit; haec oleis; hac bene farra uirent.
Pectoribus mores tot ſunt, quot in orbe figurae:
Qui ſapit, innumeris moribus aptus erit. 760
Vtque leues Proteus modo ſe tenuabit in undas;
Nunc leo, nunc arbor, nunc erit hirtus aper.
Hi iaculo piſces, illi capiuntur ab hamis:
Hos caua contento retia fune trahunt.
Nec tibi conueniat cunctos modus unus ad annos. 765
Longius inſidias cerua uidebit anus.
Si doctus uideare rudi, petulansue pudenti;
Diffidet miſerae protinus illa ſibi.
Inde fit, ut, quae ſe timuit committere honeſto,
Vilis in amplexus inferioris eat. 770
Pars ſuperat coepti, pars eſt exhauſta, laboris.
Hic teneat noſtras anchora iacta rates.

756. Pa. et al. *decipe mille.* Be. *accipe.*

761. Vulgo *leuis. Ib. tenuabit* prima ed. et unus V. Vulgo *tenuabat.* R. et duo al. *tenuauit. Ib.* Be. unus et quatuor al. *in undis.*

762. *Erit* Fragm. O. cod. R. et duo al. Vulgo *erat.*

763. Multi *Hic iac.* et *illic cap. Ib.* Pat. *retinentur ab.*

766. *Cerua* R. a manu pr. et O. pro diu. lect. Vulgo *curua.*

771. Tres libri *eſt exacta.*

772. R. *teneat feſſas.*

P. OVIDII

P. OVIDII NASONIS ARTIS AMATORIAE LIBER SECVNDVS.

Dicite, Iö Paean: et, iö, bis dicite, Paean:
Decidit in caſſes praeda petita meos.
Laetus amans donet uiridi mea carmina palma:
Praeferar Aſcraeo Maeonioque ſeni.
Talis ab armiferis Priameïus hoſpes Amyclis 5
Candida cum rapta coniuge uela dedit.
Talis erat, qui te curru uictore ferebat,
Vecta peregrinis Hippodamia rotis.
Quid properas, iuuenis? mediis tua pinus in undis
Nauigat: et longe, quem peto, portus abeſt. 10
Non ſatis eſt ueniſſe tibi me uate puellam.
Arte mea capta eſt: arte tenenda mea eſt.
Nec minor eſt uirtus, quam quaerere, parta tueri.
Caſus ineſt illic: hic erit artis opus.
Nunc mihi, ſi quando, Puer et Cytherêa, faueto: 15

3. Pa. *amans ornet. Ib.* N. *pari mea tempora.* Quatuordecim *tempora palma.* Apr. Be. et duo al. *mea tempora myrto.* C. Pa. tres et quatuor al. *lauro.*

11. Al. *Non ſatis inueniſſe tibi eſt me.*

Nunc Erato: nam tu nomen amoris habes.
Magna paro; quas possit Amor remanere per artes
Dicere, tam uasto peruagus orbe puer.
Et leuis est, et habet geminas, quibus euolet, alas.
Difficile est illis imposuisse modum. 20
Hospitis effugio praestruxerat omnia Minos.
Audacem pennis reperit ille uiam.
Daedalus ut clausit conceptum crimine matris
Semibouemque uirum, semiuirumque bouem;
Sit modus exilio, dixit, iustissime minos: 25
Accipiat cineres terra paterna meos.
Et quoniam in patria, fatis agitatus iniquis,
Viuere non potui, sit mihi posse mori.
Da reditum puero, senis est si gratia uilis:
Si non uis puero parcere, parce seni. 30
Dixerat haec. sed et haec, et multo plura licebat
Dicere: regressus non dabat, ille uiro.
Quod simul ac sensit, Nunc, ô nunc, Daedale, dixit,
Materiam, qua sis ingeniosus, habes.
Possidet et terras, et possidet aequora Minos: 35
Nec tellus nostrae, nec patet unda fugae.
Restat iter coelo: coelo tentabimus ire.

Da

19. Al. *auolet*. Multi *aduolat*.
21. Al. *praeclusérat omnia*.
28. *Sit mihi* Exc. Iur. Vulgo *da mihi*.
32. *Regressus* prima ed. et sex scripti. Vulgo *at egressus*. Scripti plerique *Et egressus*.
34. Fr. *habe*.
35. *En* Arg. V. unus et pro diu. lect. Ar. Vulgo *et*.
37. *Iter coelo* Exc. Pol. et duo al. Vulgo *coeli*.
Ib. Sa. et duo al. *coelum tentab.*

Da ueniam coepto, Iuppiter alte, meo.
Non ego ſidereas affecto tangere ſedes.
Qua fugiam dominum, nulla, niſi iſta, uia eſt. 40
Per Styga detur iter: Stygias tranabimus undas.
Sint mihi naturae iura nouanda meae.
Ingenium mala ſaepe mouent. quis crederet umquam,
Aërias hominem carpere poſſe uias?
Remigium uolucres diſponit in ordine pennas: 45
Et leue per lini uincula nectit opus:
Imaque pars ceris adſtringitur igne ſolutis:
Finitusque nouae iam labor artis erat.
Tractabat ceramque puer pennasque renidens,
Neſcius haec humeris arma parata ſuis. 50
Cui pater, His, inquit, patria eſt adeunda carinis:
Hac nobis Minos effugiendus ope.
Aëra non potuit Minos; alia omnia clauſit.
Quem licet, inuentis aëra rumpe meis.
Sed tibi nec uirgo Tegeaea, comesque Bootae 55
Enſiger Orion adſpiciendus erit.

Me

38. Edd. Ven. Micyll. et Berlm. *Iupiter alme.*

39. V. et alius *ſcandere ſedes.*

41. Be. et ſex al. *tranſibimus undas.* A. *tentabimus.*

42. *Sint* R. et Exc. P. Vulgo *Sunt. Ib.* R. *iura mouenda*, et a manu ſec. *negata.*

45. Quinque Heinſ. *uolucris.*

49. R. *pinnasque. Ib.* ſex *renitens.* Duo *remittens.* Pa. et V. *recudens.* Duo *recenter.* R. *renectit.*

51. 52. R. *hac inquit -- carina, Hac nobis -- eff. erit.*

54. Al. *Qua licet.* Nonnulli *Quam licet, Quemlibet, Quamlibet.*

55. *Bootae* optimus R. et unus Pat. Vulgo *Bootes.*

56. Vulgo *Enſifer.*

Me pennis ſectare datis. ego praeuius ibo.
Sit tua cura ſequi: me duce tutus eris.
Nam ſiue aetherias uicino ſole per auras
Ibimus: impatiens cera caloris erit. 60
Siue humiles propiore freto iactabimus alas;
Mobilis aequoreis penna madeſcet aquis.
Iter utrumque uola: uentos quoque, nate, timeto;
Quaque ferent aurae, uela ſecunda dato.
Dum monet; aptat opus puero, monſtratque moueri: 65
Erudit infirmas ut ſua mater aues.
Inde ſibi factas humeris accommodat alas:
Inque nouum timide corpora librat iter.
Iamque uolaturus paruo dedit oſcula nato:
Nec patriae lacrymas continuere genae. 70
Monte minor collis, campis erat altior aequis:
Hinc data ſunt miſerae corpora bina fugae.
Et mouet ipſe ſuas, et nati reſpicit alas
Daedalus; et curſus ſuſtinet uſque ſuos.
Iamque nouum delectat iter: poſitoque timore 75
Icarus audaci fortius arte uolat.
Hos aliquis, tremula dum captat arundine piſces,
Vidit; et inceptum dextra reliquit opus.
Iam Samos a laeua fuerant Naxosque relictae,
Et Paros, et Clario Delos amata Deo. 80
Dextra Lebynthos erant, ſiluisque umbroſa Calymne,
Cincta-

59. Le. *ſub auras.*
68. *Inque nouum* Me. Vulgo *Perque.*
78. Nonnulli *relinquit.* V- nus V. *remiſit.* R. alter *remittit.*
81. *Erant* unus Heinſ. et V. Vulgo *erat. Ibid. Caly-*

Cinctaque piscosis Astypalaea uadis:
Cum puer, incautis nimium temerarius ausis,
Altius egit iter, deseruitque ducem.
Vincla labant; et cera Deo propiore liquescit: 85
Nec tenues uentos brachia mota tenent.
Territus e summo despexit in aequora coelo:
Nox oculis pauido uenit oborta metu.
Tabuerant cerae; nudos quatit ille lacertos:
Et trepidat; nec, quo sustineatur, habet. 90
Decidit: atque cadens, Pater, ô pater, auferor, inquit.
Clauserunt uirides ora loquentis aquae.
At pater infelix, iam non pater, Icare, clamat,
Icare, clamat, ubi es? quoue sub axe uolas?
Icare, clamabat: pennas adspexit in undis. 95
Ossa tegit tellus: aequora nomen habent.
Non potuit Minos hominis compescere pennas:
Ipse Deum uolucrem detinuisse paro.
Fallitur, Haemonias si quis decurrit ad artes;
Datque, quod a teneri fronte reuellet equi. 100
Non facient, ut uiuat amor, Medeïdes herbae;

Mixta-

mne emend. Nauger. et Heins. Vulgo *Pachynne*. Alii substituerunt *Calydne*. R. ueterrimus *Palismne*. Prima ed. cum MSS. nonnullis *Palymne*.

83. *Ausis* V. Vulgo *annis*. Med. 1. et prima ed. *armis*. Vnus V. et unus A. *alis*.

84. *Ducem* Mo. et Me. Vulgo *patrem*.

86. Al. *uenti*. N. *aurae*.

93. Al. *nec iam pater*, et *non iam*.

95. L. *Icare dum clamat*.

96. Apr. et octo al. *Ossa tenet*.

100. *Reuellet* R. Vulgo *reuellit*. Tres codd. *reuellat*.

101. Me. et quatuor al. *ut duret*.

Mixtaque cum magicis naenia Marſa ſonis.
Phaſias Aeſoniden, Circe tenuiſſet Vlixen
Si modo ſeruari carmine poſſit amor.
Nec data profuerint pallentia philtra puellis. 105
Philtra nocent animis; uimque furoris habent.
Sit procul omne nefas. ut ameris, amabilis eſto:
Quod tibi non facies, ſolaue forma dabit.
Sis licet antiquo Nireus adamatus Homero;
Naïadumque tener crimine raptus Hylas; 110
Vt dominam teneas, nec te mirere relictum,
Ingenii dotes corporis adde bonis.
Forma bonum fragile eſt; quantumque accedit ad annos
Fit minor; et ſpatio carpitur ipſa ſuo.
Nec uiolae ſemper, nec hiantia lilia florent, 115
Et riget amiſſa ſpina relicta roſa.
Et tibi iam cani uenient, formoſe, capilli:
Iam uenient rugae, quae tibi corpus arent.
Iam molire animum, qui duret, et adſtrue formae:

Solus

102. *Naenia Marſa* optimus R. Exc. Scal. et P. Vulgo *merſa uenena*. Codd. Pa. *Marſa uenena.*

105. Al. *profuerant*. He. *profuerunt*. Quatuor *proficiunt*.

Ibid. Vnus Pa. *pollentia.*

109. *Sis licet* Mo. Al. *Sic licet*. Quinque Heinſ. *Scilicet*. Vnus *Si licet*.

110. V. 1. *crimina.*

115. *Hiantia* unus Pa. A. Ha. Me. Cau. et Fr. Al. *ſemper*, uel *mollia*, uel *candida*. Optimus R. *hyacinthia*. Sex al. *cinthia*, pro *Cynthia*, h. e. Apollinea. Be unus *cincia*.

116. Pa. et unus Heinſ. *Aret et amiſſa*. Fr. *Et caret am.*

119. *Formae* optimus R. Exc. Scal. et ſeptem al. Vulgo *formam.*

Solus ad extremos permanet ille rogos. 120
Nec leuis, ingenuas pectus coluisse per artes,
Cura sit; et linguas edidicisse duas.
Non formosus erat, sed erat facundus Vlixes:
Et tamen aequoreas torsit amore Deas.
O quoties illum doluit properare Calypso; 125
Remigioque aptas esse negauit aquas!
Haec Troiae casus iterumque iterumque rogabat.
Ille referre aliter saepe solebat idem.
Litore constiterant: illic quoque pulchra Calypso
Exigit Odrysii fata cruenta ducis. 130
Ille leui uirga, (uirgam nam forte tenebat)
Quod rogat, in spisso litore pingit opus.
Haec, inquit, Troia est: (muros in litore fecit:)
Hic tibi sit Simoïs: haec mea castra puta.
Campus erat, (campumque facit) quem caede Dolonis 135
Sparsimus, Haemonios dum uigil optat equos.
Illic Sithonii fuerant tentoria Rhesi:
Hac ego sum raptis parte reuectus equis.
Pluraque pingebat: subitus cum Pergama fluctus
Abstulit, et Rhesi cum duce castra suo. 140
Tum Dea, Quas, inquit, fidas tibi credis ituro,
Perdiderint undae nomina quanta, uides?

Ergo

120. Vnus Be. *pertinet ille.* Vnus Me. *castra.*
122. Apr. *addidicisse.*
124. V. *traxit amore.*
127. Cau. et prima ed. *Hic Troiae.*
130. Multi *facta cruenta.*
132. Th. *uersat opus.*
138. Al. *sum captis. Ibid. parte* Ha. Vulgo *nocte. Ib.* al. *reuersus equis.*

Ergo age, fallaci timide confide figurae,
Quiſquis es: aut aliquid corpore pluris habe.
Dextera praecipue capit indulgentia mentes: 145
Aſperitas odium, ſaeuaque uerba, mouent.
Odimus accipitrem, quia ſemper uiuit in armis,
Et pauidum ſolitos in pecus ire lupos.
At caret inſidiis hominum, quia mitis, hirundo:
Quaſque colat turres Chaonis ales habet. 150
Eſte procul lites, et amarae proelia linguae.
Dulcibus eſt uerbis mollis alendus amor.
Lite fugent nuptaeque uiros, nuptasque mariti:
Inque uicem credant res ſibi ſemper agi.
Hoc decet uxores: dos eſt uxoria, lites. 155
Audiat optatos ſemper amica ſonos.
Non legis iuſſu lectum ueniſtis in unum:
Fungitur in uobis munere legis amor.
Blanditias molles, auremque iuuantia uerba
Affer, ut aduentu laeta ſit illa tuo. 160
Non ego diuitibus uenio praeceptor Amoris:
Nil opus eſt illi, qui dabit, arte mea.

Secum

143. Duo Heinſ. *timide ne crede.* Duo al. *nimium ne crede.*

144. Al. *atque aliquid. Ib.* unus Heinſ. pro uar. lect. *corpore maius.*

146. *Verba mouent* C. et Ar. Vulgo *bella mouet.* Quatuor Heinſ. *uerba mouet.*

151. N. *Ite procul. Ib.* R. et N. *iurgia linguae.* Quatuor *praemia.*

152. Iun. *eſt ſignis. Ib.* duo Heinſ. *alliciendus amor.*

153. 154. *Fugent* et *credant* R. et L. cum Exc. P. et Scal. Vulgo *fugant et credunt.*

160. Me. 1. et Iun. *Profer.*

161. Al. *praecept. amandi.*

Secum habet ingenium, qui, cum libet, Accipe, dicit.
Cedimus: inuentis plus placet ille meis.
Pauperibus uates ego ſum; quia pauper amaui. 165
Cum dare non poſſem munera, uerba dabam.
Pauper amet caute: timeat maledicere pauper:
Multaque, diuitibus non patienda, ferat.
Me memini iratum dominae turbaſſe capillos:
Haec mihi quam multos abſtulit ira dies! 170
Nec puto, nec ſenſi tunicam laniaſſe; ſed ipſa
Dixerat: et pretio eſt illa redemta meo.
At uos, qui ſapitis, ueſtri peccata magiſtri
Effugite: et culpae damna timete meae.
Proelia cum Parthis, cum culta pax ſit amica; 175
Et iocus, et cauſas quicquid amoris habet.
Si nec blanda ſatis, nec erit tibi comis amanti;
Perfer, et obdura; poſtmodo mitis erit.
Flectitur obſequio curuatus ab arbore ramus.
Frangis; ſi uires experiere tuas. 180
Obſequio tranantur aquae: nec uincere poſſis
Flumina; ſi contra, quam rapit unda, nates.
Obſequium tigresque domat Numidasque leones.

Ruſtica

163. Vnus Pa. *qui cuilibet.*
164. Al. *plus habet.* Plures cum ed. pr. et Exc. P. ac Scal. *plus ualet.*
170. Multi MSS. *Heu mihi,* uel *Hei.*
173. Vulgo *ſi ſapitis.*
177. Al. *comis amica.*
180. Al. *Franges. Ib.* nonnulli *experiare.*
183. *Numidasque* R. cum Exc. P. et Scal. ac duodecim al. Vulgo *tumidosque.* Nonnulli *Numidosque, mundosque, timidosque, undasque.*

Ruſtica paullatim taurus aratra ſubit.
Quid fuit aſperius Nonacrina Atalanta? 185
Succubuit meritis trux tamen illa uiri.
Saepe ſuos caſus, nec mitia facta puellae;
Fleſſe ſub arboribus Milaniona ferunt.
Saepe tulit iuſſo fallacia retia collo:
Saepe fera toruos cuſpide fixit apros. 190
Senſit et Hylaei contentum ſaucius arcum:
Sed tamen hoc arcu notior alter erat.
Non te Maenalias armatum ſcandere ſiluas,
Nec iubeo collo retia ferre tuo.
Pectora nec miſſis iubeo praebere ſagittis. 195
Artis erunt cauto mollia iuſſa meae.
Cede repugnanti; cedendo uictor abibis.
Fac modo, quas partes illa iubebit, agas.
Arguet, arguito; quicquid probat illa, probato:
Quod dicet, dicas: puod negat illa, neges. 200
Riſerit, arride: ſi flebit, flere memento.
Imponat leges uultibus illa tuis.

Seu

187. Al. *immitia facta.*
188. *Milaniona* R. Al. *Melaniona*, *Minaliona*, *Mimaliona.*
189. Al. *fallentia retia.*
190. Apr. *feros miſſa cuſp.* Al. *ſaeua* uel *iuſſa cuſp.*
191. Aldinae et al. *Senſit et Ilei. Ib.* Fr. *contortum arcum.*
192. Iun. *certior alter.* Be. et al. *fortior.*
193. Duo ſcripti *Maenalios montes.* Vnus Heinſ. *Maenalias rupes.*
195. Al. *Corpora nec. Ibid.* duo codd. *nec Scythicis.* V. unus *nec fixis.*
196. *Cauto* a coni. Heinſ. Vulgo *cautae.* Quidam *certe.* Be. *certae.* Vnus Heinſ. *tantae.*
198. Alter R. *illa ſubibit Ib.* multi *iubebit*, *eas.*

Seu ludet, numerosque manu iactabit eburnos;
Tu male iactato, tu male iacta dato.
Seu iacies talos, uictam ne poena sequatur, 205
Damnosi facito stent tibi saepe canes:
Siue latròcinii sub imagine calculus ibit;
Fac pereat uitreo miles ab hoste tuus.
Ipse tene distenta suis umbracula uirgis:
Ipse face in turba, qua uenit illa, locum. 210
Nec dubita tereti scamnum producere lecto:
Et tenero soleam deme, uel adde, pedi.
Saepe etiam dominae, quamuis horrebis et ipse,
Algentis manus est calfacienda sinu.
Nec tibi turpe puta (quamuis tibi turpe, placebit) 215
Ingenua speculum sustinuisse manu.
Ille, fatigatae perdendo monstra nouercae,
Qui meruit coelum, quod prior ipse tulit,
Inter Iöniacas calathum tenuisse puellas
Creditur, et lanas excoluisse rudes. 220
Paruit imperio dominae Tirynthius heros.
I nunc; et dubita ferre, quod ipse tulit:

204. Al. *tu bene iacta dato.*
206. Voss. *Damnosos.*
209. Al. *distincta tuis.*
211. Be. et unus Heins. *supponere lecto.* Voss. et Ha. *subducere.*
213. Nonnulli *algebis et ipse.*
214. Fr. *calfac. manu.*
215. *Quamuis tibi* Sa. et Me. 1. Vulgo *quamuis sit.*
217. *Perdendo* sex scripti et pr. ed. Vulgo *uincendo.* K. cum Exc. Scal. et al. *praebendo.* Arg. *perimendo.* Duo *premendo.*
219. Al. *Ionïcas* uel *Ionias inter.* C. *Inter Achaïadas.* Heins. uult *Inter Maeonidas*, uel *Mygdonidas.*

Iussus adesse foro, iussa maturius hora
Fac semper uenias; nec nisi serus abi.
Occurras aliquo tibi dixerit; omnia differ; 225
Curre; nec inceptum turba moretur iter.
Nocte domum repetens epulis perfuncta redibit:
Tunc quoque pro seruo, si uocat illa, ueni.
Rure eris, et dicet, Venias, (Amor odit inertes)
Si rota defuerit, tu pede carpe uiam. 230
Nec graue te tempus sitiensue Canicula tardet,
Nec uia per iactas candida facta niues.
Militiae species amor est: discedite segnes.
Non sunt haec timidis signa tuenda uiris.
Nox, et hiems, longaeque uiae, saeuique dolores 235
Mollibus his castris, et labor omnis inest.
Saepe feres imbrem coelesti nube solutum;
Frigidus, et nuda saepe iacebis humo.
Cynthius Admeti uaccas pauisse Pheraeas
Fertur, et in parua delituisse casa. 240
Quod Phoebum decuit, quem non decet? exue fastus,
Curam mansuri quisquis amoris habes.

Si

223. Vnus Be. *maturior.*
224. Be. unus et septem al. *iussus abi.*
232. Vnus cod. *per altas.* Duo *perque altas.* Be. *per latas.* Duo *per longas.*
234. Iur. cum multis al. *signa ferenda.* Pat. *tenenda.* Duo *arma ferenda.*
235. Multi ed. Be. unus et tres al. *saeuique labores.* Iun. *calores.*
236. Al. *dolor omnis.*
237. Vnus *nube fluentem.*
238. Al. *in nuda. Ib.* Exc. Iur. *manebis humo.*
239. *Pheraeas* unus V.Pat. cum al. et pr. ed. Vulgo *per aestus.* Multi *per herbas.* R. Iur. L. et Exc. Scal. ac P. *Pherei.* Mo. *seruasse Pheraeas.*

Si tibi per tutum planumque negabitur ire,
Atque erit appoſita ianua fulta ſera;
At tu per praeceps tecto delabere aperto: 245
Det quoque furtiuas alta feneſtra uias.
Laeta erit, ut cauſam tibi ſe ſciet eſſe pericli.
Hoc dominae certi pignus amoris erit.
Saepe tua poteras, Leandre, carere puella;
Tranabas, animum noſſet ut illa tuum. 250
Nec pudor ancillas, ut quaeque erit ordine prima,
Nec tibi ſit ſeruos demeruiſſe pudor.
Nomine quemque ſuo (nulla eſt iactura) ſaluta:
Iunge tuis humiles, ambitioſe, manus.
Sed tamen et ſeruo (leuis eſt impenſa) roganti 255
Porrige fortunae munera parua tuae.
Porrige et ancillae, qua poenas luce pependit
Luſa maritali Gallica ueſte manus.
Fac plebem (mihi crede) tuam: ſit ſemper in illa
Ianitor, et thalami qui iacet ante fores. 260
Nec dominam iubeo pretioſo munere dones:
Parua, ſed e paruis callidus apta dato.
Dum bene diues ager, dum rami pondere nutant;

243. *Planumque* unus V. Vulgo *placitumque*. Al. *placidumque*.
244. *Appoſita* alter R. Vulgo *oppoſita*.
245. Vnus R. *delab. ab alto*.
247. Be. *ſe feret*. Pa. *ſe ſentiat*. Be. et tres al. *ſentiet*.
250. Voſſ. et duo al. *ſciret ut*.
252. Mo. et unus V. *emeruiſſe*.
254. *Tuis* optimus R. et ed. Gryph. a. 1554. Vulgo *tuas*.
260. Arg. *quae iacet*.
261. Me. *munere dites*.

Afferat in calatho ruſtica dona puer.
Rure ſuburbano poteris tibi dicere miſſa; 265
Illa uel in Sacra ſint licet emta Via.
Afferat aut uuas, aut quas Amaryllis amabat;
At nunc caſtaneas non amat illa nuces.
Quin etiam turdoque licet, miſſaque columba,
Te memorem dominae teſtificere tuae. 270
Turpiter his emitur ſpes mortis, et orba ſenectus.
Ah pereant, per quos munera crimen habent!
Quid tibi praecipiam teneros quoque mittere uerſus?
Hei mihi! non multum carmen honoris habet.
Carmina laudantur: ſed munera magna petuntur. 275
Dum modo ſit diues, barbarus ipſe placet.
Aurea nunc uere ſunt ſecula. plurimus auro
Venit honos: auro conciliatur amor.
Ipſe licet Muſis uenias comitatus, Homere;
Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras. 280
Sunt tamen et doctae, rariſſima turba, puellae:
Altera non doctae turba, ſed eſſe uolunt.
Vtraque laudentur per carmina: carmina lector
Commendet dulci qualiacunque ſono.
His ergo, aut illis, uigilatum carmen in ipſas, 285
Forſitan

266. Quidam *Illa tibi in.*
268. *Non amat* R. Exc. Scal. et unus Pat. Vulgo *nunc amat*. Ha. et Be. *aut amat*, unde Heinſ. coni. *haut*.
269. Al. *tardoque licet. Ib. columba* ſeptem MSS. Al. *corona.*
272. C. et Sa. *quorum munera.*
282. Al. *non doctae, ſed tamen eſſe.* Iun. *Caetera non doctae.*
285. Al. *atque illis.*

Forſitan exigui muneris inſtar erit.
At, quod eris per te facturus; et utile credis,
Id tua te facito ſemper amica roget.
Libertas alicui fuerit promiſſa tuorum;
Hanc tamen a domina fac petat ille tua. 290
Si poenam ſeruo, ſi uincula ſaeua remittis,
Quod facturus eras, debeat illa tibi.
Vtilitas tua ſit: titulus donetur amicae.
Perde nihil: partes illa potentis agat.
Sed te, cuicunque eſt retinendae cura puellae, 295
Attonitum forma fac putet eſſe ſua.
Siue erit in Tyriis; Tyrios laudabis amictus:
Siue erit in Cois, Coa decere puta.
Aurata eſt, ipſo tibi ſit pretioſior auro:
Gauſapa ſi ſumſit; gauſapa ſumta proba. 300
Adſtiterit tunicata; Moues incendia; clama:
Sed timida, caueat frigora, uoce roga.
Compoſitum diſcrimen erit; diſcrimina lauda:
Torſerit igne comam; torte capille place.
Brachia ſaltantis, uocem mirare canentis: 305
Et, quod deſierit, uerba querentis habe.
Ipſos concubitus, ipſum uenerere licebit,

286. Tres Heinſ. *inſtar habet.*
291. Sa. *poenam nocuo.*
294. Al. *petentis agat.*
295. Al. *Sed tu.*
300 Apr. et Pa. *Gauſape ſi. Ib.* al. *ſumit.*
303. Ha. et Fr. *Cum poſitum diſcr.*
304. *Place* R. et tres al. cum prima ed. Vulgo *places.*
305. Al. *uenerere canentis.* Iun. Voſſ. et unus Be. *mirere.*
306. *Quod* R. et duo al. Vulgo *cum.*

Quod iuuat; et querula gaudia uoce notes.
Vt fuerit torua uiolentior illa Medusa;
Fiet amatori lenis et aequa suo. 310
Tantum, ne pateas uerbis simulator in illis,
Effice: nec uultu destrue dicta tuo.
Si latet ars, prodest; affert deprensa pudorem:
Atque adimit merito tempus in omne fidem.
Saepe sub autumno (cum formosissimus annus, 315
Plenaque purpureo subrubet uua mero;
Cum modo frigoribus premimur, modo soluimur aestu)
Aëre non certo corpora languor habet.
Illa quidem ualeat: sed, si male firma cubarit,
Et uitium coeli senserit aegra sui; 320
Tunc amor et pietas tua sit manifesta puellae:
Tunc fere, quod plena postmodo falce metas.
Nec tibi morosi ueniant fastidia morbi;
Perque tuas fiant, quae sinet ipsa, manus.
Et uideat flentem; nec taedeat oscula ferre: 325
Et sicco lacrymas combibat ore tuas.
Multa uoue; sed cuncta palam: quotiesque libebit,

Quae

308. Scripti *et quaedam gaudia uoce notes*, uel *et quaedam gaudia uocis habe*. R et quatuor al. cum Exc. Iur. et Scal. *quaedam gaudia noctis habe*. Vnus Heins. *et quae das gaudia uocis habe*.

309. *Vt* R. cum Exc. Scal. et quatuor al. Vulgo *Si*. Vnus Heins. *uiolentior illa Creüsa*. Pa. *truculentior*. Iun. *crudelior*.

311. R. *turbis simulator*.

315. Al. *autumnum*.

317. R. Fr. et L. *premitur*, et *soluitur*.

318. L. *Aër et incerto*.

319. Quatuor codd. *male sana*.

322. Be. *lance metas*.

327. *Libebit* R. et Sa. Vulgo *licebit*.

Quae referas illi, ſomnia laeta uide.
Et ueniat, quae luſtret anus lectumque locumque:
Praeferat et tremula ſulfur et oua manu. 330
Omnibus his inerunt gratae ueſtigia curae:
In tabulas multis haec uia fecit iter.
Ne tamen officiis odium quaeratur ab aegra,
Sit ſuus in blanda ſedulitate modus.
Neue cibo prohibe, nec amari pocula ſucci 335
Porrige: rivalis miſceat illa tuus.
Sed non, cui dederis a litore carbaſa, uento
Vtendum, medio cum potiere freto.
Dum nouus errat amor, uires ſibi colligat uſu:
Si bene nutrieris, tempore firmus erit. 340
Quem taurum metuis, uitulum mulcere ſolebas:
Sub qua nunc recubas arbore, uirga fuit.
Naſcitur exiguus, ſed opes acquirit eundo,
Quaque uenit, multas accipit amnis aquas.
Fac tibi conſueſcat: nihil conſuetudine maius. 345
Quam tibi dum capias, taedia nulla fuge.
Te ſemper uideat: tibi ſemper praebeat aurem:
Exhibeat uultus noxque diesque tuos.

329. Vnus V. *Ter ueniat.*
330. Al. *Perferat et*, uel *Proferat*. V. *Ter ferat. Ibid.* L. V. unus et pr. ed. *ſulfura uiua manu.*
332. *Tabulas* R. cum duodecim al. Al. *tabulis*. Al. *thalamos.*
335. *Cibo* R. V. duo et pr. ed. Plerique *cibos*. Al. *cibos praebe.*
337. *Cui dederis* reſcripſit Heinſ. e R. qui habet *cum dederis*. Vulgo *quo dederas.*
338. *Potiere* pr. ed. et ſcripti nonnulli. Vulgo *potiare.*
339. Al. *colligit.*
341. V. *metuas. Ib.* Apr. *mollire ſolebas.*
346. Vnus V. *dum captas.*

Cum tibi maior erit fiducia, posse requiri;
Tunc procul, absenti cura futurus, abi. 350
Da requiem. requietus ager bene credita reddit:
Terraque coelestes arida sorbet aquas.
Phyllida Demophoon praesens moderatius ussit:
Exarsit uelis acrius illa datis.
[Penelopen absens sollers torquebat Vlixes: 355
Phyllacides aberat, Laodamia, tuus.]
Sed mora tuta breuis: lentescunt tempore curae;
Vanescitque absens, et nouus intrat, amor.
Dum Menelaus abest, Helene, ne sola iaceret,
Hospitis est tepido nocte recepta sinu. 360
Qui stupor hic, Menelaë, fuit? tu solus abibas:
Isdem sub tectis hospes et uxor erant.
Accipitri timidas credis, furiose, columbas?
Plenum montano credis ouile lupo?
Nil Helene peccat; nil hic committit adulter: 365
Quod tu, quod faceret quilibet, ille facit.
Cogis adulterium, dando tempusque locumque.
Quo, nisi consilio est usa puella tuo?

Quid

350. Quidam *Cum procul.* Vnus Me. *I procul. Ibid. ubi* Sa. et Mo. 1. Vulgo *eris.*

355. A. *torrebat Vlixes.* Hoc distichon, quia frigidiusculum est et in Me. 1. omittitur, salua orationis serie abesse posse uidetur Heinsio.

357. Sex codd. *languescunt tempore.* Vnus *languescent. Ib.* R. *tempore formae.*

360. V. *cupido sinu.* Sa. *socio.*

361. *Qui* R. et tres al. Vulgo *Quis.* Duo *Quis furor,* Be. *Quis stupor, o Menelae, modo tu s. a.* R. *cum solus.*

365. V. *admittit.*

368. R. et Iun. *Quid nisi.*

Quid faciat? uir abest, et adest non rusticus hospes:
Et timet in uacuo sola cubare toro. 370
Viderit Atrides: Helenen ego crimine soluo.
Vsa est humani commoditate uiri.
Sed neque solus aper media tam saeuus in ira,
Fulmineo rabidos cum rotat ore canes:
Nec lea, cum catulis lactentibus ubera praebet: 375
Nec breuis ignaro uipera lassa pede:
Femina quam, socii deprensa pellice lecti,
Ardet; et in uultu pignora mentis habet.
In ferrum flammasque ruit: positoque decore
Fertur, ut Aonii cornibus icta Dei. 380
Coniugis admissum, uiolataque iura maritae,
Barbara per natos Phasias ulta suos.
Altera dira parens (haec est, quam cernis, hirundo)
Adspice, signatum sanguine pectus habet.
Hoc bene compositos, hoc firmos soluit amores: 385
Crimina sunt cautis ista timenda uiris.
Nec mea uos uni damnat censura puellae.
Dî melius! uix hoc nupta tenere potest.

Ludite:

373. V. *furuus aper.*
374. *Rabidos* R. et al. nonnulli cum pr. ed. Vulgo *rapidos.*
375. Apr. et duo al. *latrantibus ubera.*
379. Al. *positoque pudore.* Voss. et duo al. *timore.*
381. *Maritae* R. Vulgo *mariti.*
385. Al. *rumpit amores.* Quidam *Haec bene c. haec firm. rumpat am.* Hoc distichon in scriptis quibusdam atque edd. Aldinis et Gryph. a. 1554. transpositum inseritur post u. 380.
387. *Damnat* L. Vulgo *donat.*
388. Alter Mc. *potes.*

Ludite: ſed furto celetur culpa modeſto.
Gloria peccati nulla petenda ſui. 390
Nec dederis munus, cognoſſe quod altera poſſit:
Nec ſint nequitiae tempora certa tuae.
Et, ne te latebris capiat ſibi femina notis,
Non uno eſt omnis conuenienda loco.
Et quoties ſcribes, totas prius ipſe tabellas 395
Inſpice. plus multae, quam ſibi miſſa, legunt.
Laeſa Venus iuſta arma mouet, telumque remittit:
Et, modo quod queſta eſt, ipſe querare, facit.
Dum fuit Atrides una contentus, et illa
Caſta fuit; uitio eſt improba facta uiri. 400
Audierat, laurumque manu uittasque ferentem,
Pro nata Chryſen non ualuiſſe ſua.
Audierat, Lyrneſi, tuos, abducta, dolores;
Bellaque per turpes longius iſſe moras.
Haec tamen audierat: Priameïda uiderat ipſam. 405
Victor eras praedae praeda pudenda tuae.
Inde Thyeſtiaden thalamoque animoque recepit;
Et male peccantem Tyndaris ulta uirum.
Quae bene celaris, ſi quâ tamen acta patebunt,
Illa licet pateant, tu tamen uſque nega. 410
Tum neque ſubiectus, ſolito nec blandior eſto.

Haec

390. Al. *petenda tui.*
391. L. et ed. quidam *altera poſcit.*
394. Al. *eſt ſemper.*
398. Al. *quae queſta eſt ipſa.*
403. R. et al. nonnulli *adducta.*
405. Al. *Haec tantum.*
406. *Eras --- tuae* Me. 1. Vulgo *Erat --- ſuae.*
409. Pa. *male celaris. Ib.* al. *ſi quae.*
410. Fr. et Pat. *acta nega.*

Haec animi multum ſigna nocentis habent.
Sed lateri nec parce tuo. pax omnis in uno
Concubitu: prior hoc inficianda Venus.
Sunt, qui praecipiant herbas, ſatureia, nocentes 415
Sumere: (iudiciis iſta uenena meis.)
Aut piper urticae mordacis ſemine miſcent;
Tritaque in annoſo flaua pyrethra mero.
Sed Dea non patitur ſic ad ſua gaudia cogi,
Colle ſub umbroſo quam tenet altus Eryx. 420
Candidus, Alcathoï qui mittitur urbe Pelaſga,
Bulbus, et, ex horto quae uenit, herba ſalax,
Ouaque ſumantur, ſumantur Hymettia mella,
Quasque tulit folio pinus acuta nuces.
Docta, quid ad medicas, Erato, deuerteris artes? 425
Interior curru meta terenda meo eſt.
Qui modo celabas monitu tua crimina noſtro;
Flecte iter, et monitu detege furta meo.
Nec leuitas culpanda mea eſt. non ſemper eodem
Impoſitos uento panda carina uehit. 430
Nam modo Threïcio Borea, modo currimus Euro:
Saepe tument Zephyro lintea, ſaepe Noto.
Adſpice, ut in curru modo det fluitantia rector
Lora, modo admiſſos arte retentet equos.

Sunt

413. Al. *omnis in illo*, uel *in illo eſt*.
421. Al. *Alcathoë*. *Ib.* V. et To. *Pelaſgi*.
425. *Medicas* Mo. Vulgo *magicas*. *Ib.* al. *diuerteris*. Vnus Heinſ. *reuerteris*. Fr. et edd. quaedam *conuerteris*.
426. Al. *meta tenenda*.
430. Duo *Impoſitas*. Be. *Impoſito*. Al. *In portus*.
432. R. *ſaepe damus*.
433. Be. unus *in curſu*.

Sunt quibus ingrate timida indulgentia ſeruit: 435
Et, ſi nulla ſubeſt aemula, languet amor.
Luxuriant animi rebus plerumque ſecundis;
Nec facile eſt aequa commoda mente pati.
Vt leuis abſumtis paullatim uiribus ignis
Ipſe latet, ſummo candet in igne cinis: 440
Sed tamen extinctas admoto ſulfure flammas
Inuenit; et lumen, quod fuit ante, redit:
Sic, ubi pigra ſitu ſecuraque pectora torpent,
Acribus eſt ſtimulis eliciendus amor.
Fac timeat de te, tepidamque recalface mentem: 445
Palleat indicio criminis illa tui.
O quater, et quoties numero comprendere non eſt,
Felicem, de quo laeſa puella dolet!
Quae, ſimul inuitas crimen peruênit ad aures,
Excidit; et miſerae uoxque, colorque fugit. 450
Ille ego ſim, cuius laniet furioſa capillos:
Ille ego ſim, teneras cui petat ungue genas:
Quem uideat lacrymans: quem toruis ſpectet ocellis:

Quo

436. Pa. *nulla ſubit.*
437. L. et Me. *quandoque ſecundis.*
440. R. et unus V. *ſummo calet.* Al. *ſummo qui calet, ſed calet, cum calet, qui latet,* et ſimil. Heinſ. coni. *ſummo canet,* idque unus cod. exhibet.
441. Vnus Pat. *admoto carcere,* unde coni. Heinſ. *amoto carcere.* N. *admoto flamine.* *Ib.* Arg. *ſulfure taedas.*
444. Al. *alliciendus.*
447. *O quater* R. et quatuor al. Vulgo *O quantum.*
450. Sa. et tres al. *mensque colorque.*
451. Duo libri *cuius rapiat.*
452. Arg. et Voſſ. *cui ſecet.*
453. R. et Pa. *toruus ſp. ocellus.* Be. *oculis quem ſp. amaris.*

Quo ſine non poſſit uiuere; poſſe uelit.
Si ſpatium quaeras; breue ſit, quo laeſa queratur: 455
Ne lenta uires colligat ira mora.
Candida iam dudum cingantur colla lacertis:
Inque tuos flens eſt accipienda ſinus.
Oſcula da flenti: Veneris da gaudia flenti.
Pax erit: hoc uno ſoluitur ira modo. 460
Cum bene ſaeuierit, cum certa uidebitur hoſtis;
Tum pete concubitus foedera: mitis erit.
Illic depoſitis habitat Concordia telis:
Illo (crede mihi) Gratia nata loco eſt.
Quae modo pugnarunt, iungunt ſua roſtra columbae; 465
Quarum blanditias uerbaque murmur habet.
Prima fuit rerum confuſa ſine ordine moles:
Vnaque erant facies, ſidera, terra, fretum.
Mox coelum impoſitum terris: humus aequore cincta eſt:
Inque ſuas partes ceſſit inane Chaos. 470
Silua feras, uolucres aër accepit habendas:
In liquida piſces delituiſtis aqua.
Tum genus humanum ſolis errabat in agris:
Idque merae uires, et rude pectus erat.
Silua domus fuerat, cibus herba, cubilia frondes: 475
Iamque

458. Al. *tuo ſinu. Ibid.* duo libri *excipienda.*
460. R. *tollitur ira.*
463. Mo. *Illic compoſitis.*
464. Ar. et tres al. *Gratia iuncta.*
466. R. *blanditiae. Ibid.* Sa. *uerbaque uultus. Ib.* ſex ſcripti *habent.*
471. Aldinae: *Silua feras cepit, uolucres agitabilis aer.*
474. Al. *Hisque merae.* Gr. *Hisque nouae uires. Ibid. rude pectus* ſex ſcripti. Vulgo *rude corpus.*

Iamque diu nulli cognitus alter erat.
Blanda truces animos fertur mollisse uoluptas:
Constiterant uno femina uirque loco.
Quid facerent? ipsi nullo didicere magistro:
Arte Venus nulla dulce peregit opus. 480
Ales habet, quod amet: cum quo sua gaudia iungat,
Inuenit in media femina piscis aqua.
Cerua parem sequitur; serpens serpente tenetur:
Haeret adulterio cum cane nexa canis.
Laeta salitur ouis: tauro quoque laeta iuuenca est: 485
Sustinet immundum sima capella marem.
In furias agitantur equae, spatioque remota
Per loca diuiduos amne sequuntur equos.
Ergo age; et iratae medicamina fortia praebe:
Illa feri requiem sola doloris habent. 490
Illa Machaonios superant medicamina succos:
His, ubi peccaris, restituendus eris.
Haec ego cum canerem, subito manifestus Apollo
Mouit inauratae pollice fila lyrae.
In manibus laurus: sacris inducta capillis 495
Laurus erat: uates ille uidendus agit.

Is

478. Al. *uirque toro.*
479. Ar. *Quod facerent, ipsi.*
482. Vnus R. *Conuenit in.* Iun. *in medias aquas.*
483. Sex scripti *Cerua marem.*
486. Be. *capella caprum.*
487. *Remota* prima ed. Vulgo *remoto.* Scripti nonnulli *remotae.* Pa. *remotos.*
488. Multi codd. *diuersos amne*, uel *diuisos.*
494. R. *consona fila.*
495. Al. *induta cap.* Vnus *obducta.*
496. *Agit* C. Vulgo *adest.* Pr. ed. et scripti plerique *adit.* R. et unus Pat. *abit.* Septem al. *erat.* Quatuor *ait.*

Is mihi, Lasciui, dixit, praeceptor Amoris,
  Duc, age, discipulos ad mea templa tuos.
Est ibi diuersum fama celebrata per orbem
  Littera; cognosci quae sibi quemque iubet. 500
Qui si notus erit, solus sapienter amabit;
  Atque opus ad uires exiget omne suas.
Cui faciem natura dedit, spectetur ab illa:
  Cui color est, humero saepe patente cubet.
Qui sermone placet, taciturna silentia rumpat: 505
  Qui canit arte, canat: qui bibit arte, bibat.
Sed neque declament medio sermone diserti:
  Nec sua non sanus scripta poëta legat.
Sic monuit Phoebus: Phoebo parete monenti.
  Certa Dei sacro est huius in ore fides. 510
Ad propiora uocor. quisquis sapienter amabit,
  Vincet, et e nostra, quod petet, arte feret.
Credita nec semper sulci cum foenore reddunt:
  Nec semper dubias adiuuat aura rates.
Quod iuuat, exiguum; plus est, quod laedit amantes: 515
  Proponant animo multa ferenda suo.
Quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in Hybla;
  Caerula quot baccas Pallados arbor habet;
Litore quot conchae; tot sunt in amore dolores:

Quae

499. Al. *Est ubi*. R. et duo al. cum pr. ed. *tibi*. Pol. et duo al. *mihi*. A. *diu. celeberrima fama per orbem.*

500. N. *quemque decet*, unde Heins. coni. *docet*.

505. Fr. *nocitura silentia*. *Ibid. Rumpat* Exc. Iur. et quatuor Heins. Vulgo *uitet*.

508. Al. *uesanus*.

511. Al. *patienter amabit*.

Quae patimur, multo ſpicula felle madent. 520
Dicta erit iſſe foras, quam tu fortaſſe uidebis;
Iſſe foras, et te falſa uidere, puta.
Clauſa tibi fuerit promiſſa ianua nocte:
Perfer et immunda ponere corpus humo.
Forſitan et uultu mendax ancilla ſuperbo 525
Dicet, Quid noſtras obſidet iſte fores?
Poſtibus et durae ſupplex blandire puellae;
Et capiti demtas in fore pone roſas.
Cum uolet, accedes: cum te uitabit, abibis.
Dedecet ingenuos taedia ferre ſui. 530
Effugere hunc non eſt, quare tibi poſſit amica
Dicere? non omni tempore ſenſus adeſt.
Nec maledicta puta, nec uerbera ferre puellae,
Turpe, nec ad teneros oſcula ferre pedes.
Quid moror in paruis? animus maioribus inſtet. 535
Magna canam: toto pectore, uulgus, ades.

Ardua

520. Vnus R. *felle uirent.*
521. Al. *cum tu. Ibid.* R. *fortaſſe uideres.*
524. Tres Heinſ. *Perfer et in nuda.* Quidam *in dura.* Vnus *perfer in nuda. Ib.* al. *ponito corpus.*
526. V. *Quis noſtras. Ibid.* quidam ed. et ſcripti *poſſidet iſte.*
527. Multi ſcripti *et dirae. Ib.* edd. plurimae *durae precibus.*
528. Al. *limine pone.*
531. *Hunc* corr. Heinſ. quia codd. quidam exhibent *huic.* Vulgo *hinc. Ibid.* coni Heinſ. *caue ne tibi poſſit amica Dicere.*
532. *Adeſt* N. et ſex al. Vulgo *abeſt.* Scripti plerique *obeſt.*
533. N. *mala dicta.*
535. *Inſtet* Pat. Vulgo *inſtat.*
536. A. *Vera canam.* Sch. *Magna paro.*

Ardua molimur: ſed nulla, niſi ardua, uirtus.
Difficilis noſtra poſcitur arte labor.
Riualem patienter habe; uictoria tecum
Stabit: eris magni uictor in arce Iouis. 540
Haec tibi non hominem, ſed quercus crede Pelaſgas
Dicere. nil iſtis ars mea maius habet.
Innuet illa, feras: ſcribet, ne tange tabellas:
Vnde uolet, ueniat: quoque libebit, eat.
Hoc in legitima praeſtant uxore mariti; 545
Cum tener, ad partes tu quoque, ſomne, uenis.
Hac ego, confiteor, non ſum perfectus in arte.
Quid faciam? monitis ſum minor ipſe meis.
Mene palam noſtrae det quiſquam ſigna puellae?
Et patiar? nec me quolibet ira ferat? 550
Oſcula uir dederat (memini) ſuus: oſcula queſtus
Sum data. barbarie noſter abundat amor.
Non ſemel hoc uitium nocuit mihi. doctior ille,
Quo ueniunt alii conciliante uiro.
Sed melius neſciſſe fuit: ſine furta tegantur: 555
Ne fugiat uicto faſſus ab ore pudor.

537. Al. *niſi ardua uincunt.* Vnus *uincant.*

543. Nonnulli *Innuit.* Vnus *Innuat. Ib.* Fr. Iun. Sa. et Be. *feres.*

544. Apr. et edd. Gryph. a. 1554. et Berſm. *Vnde libet. Ibid.* ed. Micyll. *quaque libebit.* Quinque libri *quoue.*

545. Vnus V. *praeſtent.*

550. Ed. Mic. *ne me. Ibid.* C. et Iun. *qualibet. Ib.* ſcripti et pr. ed. *feret.*

551. Be. unus *ubi dederat, memini, ſua.* Pa. *memini ſuae baſia queſtus.*

554. Al. *uiri.*

556. Al. *Nec fugiat. Ib.* al. *falſus ab ore.* Pr. ed. et multi ſcripti *laeſus ab ore.* N. *Nec fug. faſſo uictus am. pudor.*

Quo magis, ô iuuenes, deprendere parcite uestras.
Peccent: peccantes uerba dediſſe putent.
Creſcit amor prenſis. ubi par fortuna duorum eſt,
In cauſa damni perſtat uterque ſui. 560
Fabula narratur toto notiſſima coelo,
Mulciberis capti Marsque Venusque dolis.
Mars pater, inſano Veneris turbatus amore,
De duce terribili factus amator erat.
Nec Venus oranti (neque enim Dea mollior ulla eſt) 565
Ruſtica Gradiuo, difficilisue fuit.
Ah quoties laſciua pedes riſiſſe mariti
Dicitur, et duras igne uel arte manus!
Marte palam ſimulat Vulcanum imitata, decebat:
Multaque cum forma gratia mixta fuit. 570
Sed bene concubitus primos celare ſolebant.
Plena uerecundi culpa pudoris erat.
Indicio Solis (quis Solem fallere poſſit?)
Cognita Vulcano coniugis acta ſuae.
Quam mala, Sol, exempla moues? pete munus ab illa; 575
Et tibi, ſi taceas, quod dare poſſit, habet.
Mulciber obſcuros lectum circaque ſuperque
Diſponit laqueos: lumina fallit opus.
Fingit iter Lemnon: ueniunt ad foedus amantes:
Impliciti laqueis nudus uterque iacent. 580
Con-

562. Al. *Mulciberi.*
563. R. *ſuccenſus amore.* Apr. *turpatus.*
564. Pat. *amator eras.*
569. *Simulat* Mo. Quinque Heinſ. *ſimulet.* Quidam *ſimul et.* Vnus Heinſ. *ſimilis.*
571. Al. *primo.*
576. Pa. *At tibi.* Be. unus *Haec tibi.*
580. Fr. et Apr. *Implicitis.*

Conuocat ille Deos. praebent ſpectacula capti.
Vix lacrymas Venerem continuiſſe putant.
Non uultus texiſſe ſuos, non denique poſſunt
Partibus obſcenis oppoſuiſſe manus.
Hîc aliquis ridens, In me, fortiſſime Mauors, 585
Si tibi ſunt oneri, uincula transfer, ait.
Vix precibus, Neptune, tuis captiua reſoluit
Corpora. Mars Threcen occupat; illa Paphon.
Hoc tibi profectum, Vulcane: quod ante tegebant,
Liberius faciunt, ut pudor omnis abeſt. 590
Saepe tamen demens ſtulte feciſſe fateris:
Teque ferunt irae poenituiſſe tuae.
Hoc uetui. uos ecce uetat deprenſa Dione
Inſidias illas, quas tulit ipſa, pati.
Nec uos riuali laqueos diſponite: nec uos 595
Excipite arcana uerba notata manu.
Iſta uiri captent (ſi iam captanda putabunt)
Quos faciunt iuſtos ignis et unda uiros.
En iterum teſtor: nihil hîc, niſi lege remiſſum,
Luditur. in noſtris inſtita nulla iocis. 600

582. Al. *continuiſſe ferunt.*
584. Sex Heinſ. *appoſuiſſe.* Quatuor *impoſuiſſe.*
585. Tres Heinſ. *Hos aliquis.* Plures *Hinc.*
588. Pat. unus *Thracem occupat.* Vulgo perperam *Creten.*
589. *Profectum* unus V. Vulgo *profecit.* R. *perfecto.* Caeteri plerique *profecto.* Fr. et ſeptem al. *pro facto.*
592. Fr. et duo R. *artis poenit.*
594. Al. *ipſa, dare.* V. unus *ipſa, peti.* Ba. *Inſidias ulli, q. t. i. dare.*
598. Al. *Quos faciet.*
599. Fr. *nihil hic non lege.* *Ib.* L. *lege ſolutum.*

Quis Cereris ritus auſit uulgare profanis,
  Magnaque Threïcia ſacra reperta Samo?
Exigua eſt uirtus, praeſtare ſilentia rebus:
  At contra grauis eſt culpa, tacenda loqui.
O bene; quod, fruſtra captatis arbore pomis, 605
  Garrulus in media Tantalus aret aqua!
Praecipue Cytherea iubet ſua ſacra taceri.
  Admoneo, ueniat ne quis ad illa loquax.
Condita ſi non ſunt Veneris myſteria ciſtis;
  Nec caua ueſanis ictibus aera ſonant: 610
Attamen inter nos medio uerſantur in uſu:
  Sed ſic, inter nos ut latuiſſe uelint.
Ipſa Venus pubem, quoties uelamina ponit,
  Protegitur laeua ſemireducta manu.
In medio paſſimque coit pecus, hoc quoque uiſo, 615
  Auertit uultus ſaepe puella ſuos.
Conueniunt thalami furtis et ianua noſtris:
  Parsque ſub iniecta ueſte pudenda latet.
Et ſi non tenebras, at quiddam nubis opacae
  Quaerimus; atque aliquid luce patente minus. 620

Tum

601. Vulgo *audet uulg. profanus.*
603. Al. *Eximia eſt*, uel *Eximia en.*
604. Vnus Be. *tegenda loqui.*
605. Al. *Quam bene.*
610. Mo. et quinque al. *ſonent.*
612. Al. *Sic tamen inter nos.* Pa. *Et ſic inter n.* Vnus Heinſ. *Sed ſic inter uos.*
616. R. unus *Auertis.*
618. Duo Heinſ. *ſuperiecta ueſte.*
619. Duo libri *noctis opacae.*
620. V. et pr. et *atque aliud luce.*

Tum quoque, cum ſolem nondum prohibebat et imbrem
Tegula, ſed quercus tecta cibumque dabat;
In nemore atque antris, non ſub Ioue, iuncta uoluptas.
Tanta rudi populo cura pudoris erat.
At nunc nocturnis titulos imponimus actis: 625
Atque emitur magno nil, niſi poſſe loqui.
Scilicet excuties omnes ubicunque puellas,
Cuilibet ut dicas, Haec quoque noſtra fuit:
Ne deſint, quas tu digitis oſtendere poſſis;
Vt quamque attigeris, fabula turpis erit. 630
Parua queror: fingunt quidam, quae uera negarent,
Et nulli non ſe concubuiſſe ferunt.
Corpora ſi nequeunt, quae poſſunt, nomina tractant:
Famaque, non tacto corpore, crimen habet.
I nunc, claude fores, cuſtos odioſe, puellae; 635
Et centum duris poſtibus adde ſeras.
Quid tuti ſupereſt, cum nominis extat adulter;
Et credi, quod non contigit eſſe, cupit?
Nos etiam ueros parce profitemur amores:
Tectaque ſunt ſolida myſtica furta fide. 640
Parcite praecipue uitia exprobrare puellae,

627. *Vbicunque puellas* C. et quatuor al. Prima ed. et multi ſcripti *ubicunque puella eſt*. Ed. Gryph. a. 1554. *ubi quaeque puella eſt*.

630. Al. *Nec quamquam attigeris*.

631. Al. *quaedam*. Voſſ. *etiam*.

633. *Tractant* unus A. et optimus R. Vulgo *tangunt*. Quatuor MSS. et edd. priores, Ald. Micyll. et Berſm. *quod p. nomine tangunt*.

634. Al. *Famaque non facto crimine*.

636. R. Exc. Scal. et al. nonnulli *obde ſeras*.

641. Multi ed. *Parcite praeterea*.

Vtile quae multis diſſimulaſſe fuit.
Nec ſuus Andromedae color eſt obiectus ab illo,
Mobilis in gemino cui pede penna fuit.
Omnibus Andromache uiſa eſt ſpatioſior aequo: 645
Vnus, qui modicam diceret, Hector erat.
Quod male fers, aſſueſce; feres bene. multa uetuſtas
Lenit: at incipiens omnia ſentit amor.
Dum nouus in uiridi coaleſcit cortice ramus,
Concutiat tenerum quaelibet aura, cadet. 650
Mox eadem uentis, ſpatio durata, reſiſtet,
Firmaque adoptiuas arbor habebit opes.
Eximit ipſa dies omnes e corpore mendas:
Quodque fuit uitium, deſinit eſſe mora.
Ferre nouae nares taurorum terga recuſant: 655
Aſſiduo domitas tempore fallit odor.
Nominibus mollire licet mala. fuſca uocetur,
Nigrior Ilyrica cui pice ſanguis erit.
Si paeta eſt, Veneri ſimilis: ſi flaua, Mineruae.
Sit gracilis, macie quae male uiua ſua eſt. 660
Dic

647. L. *cuncta uetuſtas.*
648. Al. *Leniet: incipiens.* Al. *Lenit, et.*
649. Pa. *pubeſcit cortice.* Tredecim *calleſcit.* Apr. *caleſcit.* Vnus Heinſ. *dureſcit.* Alius *candeſcit.*
651. *Eadem* R. pro diu. lect et quatuor al. Vulgo *etiam.*
653. Duo Heinſ. *Exuit ipſa.* Alius *Auferat illa dies.*
655. Ba. *hircorum terga, Ib.* Mo. *terga refutant.* Be. *repugnant.*
659. Quidam *Si laeta eſt.* Plerique *Si craſſa,* uel *graſſa.* R. etiam mendoſe *Si craſta,* unde Heinſ. coni. *Si qua ſtraba, eſt Ven. Ibid.* pr. ed. et ſcripti quidam *ſi parua, Mineruae.* Ar. *flamma.* A. 2. *praua.* Heinſ. corr. *raua.*
660. Al. *male uiſa, male niſa, mala uiſa.* Vnus V. et unus Pa. *male ſicca.*

Dic habilem, quaecunque breuis; quae turgida, plenam:
Et lateat uitium proximitate boni.
Nec quotus annus eat, nec quo ſit nata require
Conſule: quae rigidus munera Cenſor habet.
Praecipue, ſi flore caret, meliusque peractum 665
Tempus; et albentes iam legit illa comas.
Vtilis, o iuuenes! aut haec, aut ſerior aetas.
Iſte feret ſegetes; iſte ſerendus ager.
Dum uires annique ſinunt, tolerate labores:
Iam ueniet tacito curua ſenecta pede. 670
Aut mare remigiis, aut uomere findite terras;
Aut fera belligeras addite in arma manus:
Aut latus, et uires, operamque afferte puellis.
Hoc quoque militiae eſt: hoc quoque quaerit opes.
Adde, quod eſt illis operum prudentia maior: 675
Solus et, artifices qui facit, uſus adeſt.
Illae munditiis annorum damna rependunt:
Et faciunt cura, ne uideantur anus.
Vtque uelis, Venerem iungunt per mille figuras.
Inueniat plures nulla tabella modos. 680
Illis ſentitur non irritata uoluptas:

661. Al. *Dic agilem.*
664. Vnus Heinſ. *Sidere: quae. Ib.* N. *quaerere Cenſor.* Margo Berſm. *munia Cenſor.*
666. Al. *ligat illa.* R. cum potior. *leget.* Al. *legat*, uel *liget.*
671. Al. *mare nauigiis.*
672. R. et duo al. *uertite in arma.*
674. *Militiae* Exc. Iur. Vulgo *militia. Ib.* al. *fecit opes.*
677. Al. *damna ſequuntur.* C. *repellunt.*
680. *Inueniat* unus Heinſ. Al. *Inueniet*, uel *Inuenit.*
681. Al. *tractu irritata*, et *tactu irr.* Duo Heinſ. *tactu nutrita.*

Quod iuuet, ex aequo femina uirque ferant:
Odi concubitus, qui non utrumque resoluunt:
Hoc est, cur pueri tangar amore minus.
Odi quae praebet, quia sit praebere necesse; 685
Siccaque de lana cogitat ipsa sua.
Quae datur officio, non est mihi grata uoluptas.
Officium faciat nulla puella mihi.
Me uoces audire iuuat sua gaudia fassas:
Vtque morer memet, sustineamque, roget. 690
Adspiciam dominae uictos amentis ocellos.
Langueat; et tangi se uetet illa diu.
Haec bona non primae tribuit natura iuuentae,
Quae cito post septem lustra uenire solent.
Qui properant, noua musta bibant. mihi fundat auitum 695
Consulibus priscis condita testa merum.
Nec platanus, nisi sera, potest obsistere Phoebo:
Et laedunt nudos prata nouella pedes.
Scilicet Hermionen Helenae praeponere posses?
Et melior Gorge, quam sua mater, erat? 700
Ad Venerem quicunque uoles attingere seram,
Si modo duraris, praemia digna feres.
Conscius ecce duos accepit lectus amantes:
Ad thalami clausas, Musa, resiste fores.

Sponte

682. Al. *iuuat*, et *ferunt*.
683. Al. *utrimque*.
686 Pa. *Hic quoque de lana*. Fr. *Sic quoque de*.
697. *Phoebo* R. et decem al. Vulgo *uento*, uel *uentis*.
698. Sex Heins. *laedunt teneros*.
701. Al. *At Ven*.

Sponte ſua, ſine te, celeberrima uerba loquentur: 705
Nec manus in lecto laeua iacebit iners.
Inuenient digiti, quod agant in partibus illis,
In quibus occulte ſpicula figit Amor.
Fecit in Andromache prius hoc fortiſſimus Hector;
Nec ſolum bellis utilis ille fuit. 710
Fecit et in capta Lyrneſide magnus Achilles,
Cum premeret mollem laſſus ab hoſte torum.
Illis te tangi manibus, Briſeï, ſinebas,
Imbutae Phrygia quae niece ſemper erant.
An fuit hoc ipſum, quod te, laſciua, iuuaret, 715
Ad tua uictrices membra uenire manus?
Crede mihi, non eſt Veneris properanda uoluptas;
Sed ſenſim tarda prolicienda mora.
Cum loca repereris, quae tangi femina gaudet;
Non obſtet, tangas quo minus illa, pudor. 720
Adſpicies oculos tremulo fulgore micantes,
Vt ſol a liquida ſaepe refulget aqua.
Accedent queſtus, accedet amabile murmur,
Et dulces gemitus, aptaque uerba loco.

Sed

705. Fr. Mo. et pr. ed. *ſine me.*

707. Vulgo *quid agant.*

708. *Figit* Exc. Iur. et quinque al. Vulgo *tingit.* Multi *tangit.*

711. Apr. et duo al. *fortis Achilles.*

715. Be. *Nam fuit.* Vnus Heinſ. *Ha fuit.*

718. *Prolicienda* unus Pat. Al. *perficienda*, *proiicienda*, *proficienda*, *proſpicienda.*

722. Al. *in liquida.* R. *ad liquidas aquas.* Pa. *a liquidis aquis.*

723. Al. *accedant*, *accedat.*

724. *Loco* Pa. Be. et quinque al.

Sed neque tu dominam uelis maioribus uſus 725
Deſine; nec curſus anteat illa tuos.
Ad metam properate ſimul. tum plena uoluptas;
Cum pariter uicti femina uirque iacent.
Hic tibi ſeruandus tenor eſt, cum libera dantur
Otia; furtiuum nec timor urguet opus. 730
Cum mora non tuta eſt; totis incumbere remis
Vtile, et admiſſo ſubdere calcar equo.
Finis adeſt operi. palmam date, grata iuuentus;
Sertaque odoratae myrtea ferte comae.
Quantus apud Danaos Podalirius arte medendi; 735
Aeacides dextra; pectore Neſtor erat:
Quantus erat Calchas extis, Telamonius armis,
Automedon curru, tantus amator ego.
Me uatem celebrate, uiri, mihi dicite laudes:
Cantetur toto nomen in orbe meum. 740
Arma dedi uobis: dederat Vulcanus Achilli.
Vincite muneribus, uicit ut ille, datis.
Sed quicunque meo ſuperarit Amazona ferro,
Inſcribat ſpoliis, Naſo magiſter erat.
Ecce rogant tenerae, ſibi dem praecepta, puellae. 745
Vos eritis chartae proxima cura meae.

726. Al. *Deſere; nec.*
729. Scripti potiores et pr. ed. *uerſandus tenor.*
731. A. et Fr. *incumbere uelis.*
733. N. et ſex al. *laeta iuuentus.* Vnus *tota.* Voſſ. *Gratia.*
735. V. *Epidaurius arte.*
744. Vnus Heinſ. *Inſcribant.* Plurimi ſcripti *Inſcribat foliis.*

P. OVIDI

P. OVIDII NASONIS ARTIS AMATORIAE LIBER TERTIVS.

Arma dedi Danais in Amazonas. arma ſuperſunt,
Quae tibi dem, et turmae, Penthesilea, tuae.
Ite in bella pares: uincant, quibus alma Dione
Fauerit, et, toto qui uolat orbe, Puer.
Non erat armatis aequum concurrere nudas: 5
Sic etiam uobis uincere turpe, uiri.
Dixerit e multis aliquis, Quid uirus in anguem
Adiicis? et rabidae tradis ouile lupae?
Parcite paucarum diffundere crimen in omnes.
Spectetur meritis quaeque puella ſuis. 10
Si minor Atrides Helenen, Helenesque ſororem
Quo premat Atrides crimine maior habet;
Si ſcelere Oeclides Talaionidae Eriphyles
Viuus et in-uiuis ad Styga uenit equis;
Eſt pia Penelope, luſtris errante duobus, 15

Et

1. Al. *Prima dedi*, ita ut interpungatur poſt *arma*.
2. Al. *et turbae*.
8. Al. *rapidis*, uel *rabidis lupis*. Be. *credis ouile*.
9. Vnus Heinſ. *diſpergere crimen*.
13. Vulgo *Talaonidae*. Ed. Gryph. a. 1554. *Talaoniae*.

Et totidem lustris bella gerente uiro.
Respice Phyllaciden: et quae comes isse marito
Fertur; et ante annos occubuisse suos.
Fata Pheretiadae coniux Pagasaea redemit:
Proque sui est uxor funere lata uiri. 20
Accipe me, Capaneu; cineres miscebimur, inquit
Iphias, in medios desiluitque rogos.
Ipsa quoque et cultu est et nomine femina Virtus.
Nec mirum, populo si fauet illa suo.
Nec tamen hae mentes nostra poscuntur ab arte. 25
Conueniunt cymbae uela minora meae.
Nil, nisi lasciui per me discuntur amores:
Femina praecipiam quo sit amanda modo.
Femina nec flammas, nec saeuos discutit arcus.
Parcius haec uideo tela nocere uiris. 30
Saepe uiri fallunt; tenerae non saepe puellae:
Paucaque, si quaeras, crimina fraudis habent.
Phasida, iam matrem, fallax dimisit Iason:
Venit in Aesonios altera nupta sinus.

Quan-

20. Quidam *Proque uiro.* Al. *Proque uiro est uxor funere laeta mori*, uel *passa mori*, uel *lecta mori.* Fr. *Proque suo est uxor funera passa uiro.*

21. *Miscebimur* coni. Heins. Vulgo *miscebimus.*

24. Al. *si placet.*

25. Al. *pascuntur.* Vnus *nascuntur.*

28. Al. *praecipio.*

29. Al. *excutit arcus.* R. pro diu. lect. et multi al. *effugit.* Apr. *defugit*

32. Sa. *Parcaque. Ib.* unus Pa. *habet.*

33. *Phasida iam* pr. ed. et tres scripti. Vulgo *Phasiadem.* R. et multi al. *Phasideam. Ib.* Pol. *decepit Iason.*

34. R. *nupta toros.*

Quantum in te, Theſeu, uolucres Ariadna marinas 35
Pauit, in ignoto ſola relicta loco.
Quaere, nouem cur iſſe uias dicatur; et audi
Depoſitis ſilnas Phyllida fleſſe comis.
At famam pietatis habet; tamen hoſpes et enſem
Praebuit, et cauſam mortis, Eliſſa, tuae. 40
Quid uos perdiderit, dicam? neſciſtis amare.
Defuit ars uobis. arte perennat amor.
Nunc quoque neſcirent: ſed me Cytherêa docere
Iuſſit: et ante oculos conſtitit ipſa meos.
Tum mihi, Quid miſerae, dixit, meruere puellae? 45
Traditur armatis uulgus inerme uiris.
Illos artifices gemini fecere libelli:
Haec quoque pars monitis erudienda tuis.
Probra Therapnaeae qui dixerat ante maritae,
Mox cecinit laudes proſperiore lyra. 50
Si bene te noui, cultas ne laede puellas:
Gratia, dum uiues, iſta petenda tibi.

Dixit:

35. Olim editi *ad te.* Duo *ad Theſeum.*

37. Al. *cur iſſe uices.* Ed. Gryph. a. 1554. *ipſe uices.* R. *cur una uices dicantur*, et a manu ſec. *cur una uices iter iſſet*, quomodo plurimi ex ſcriptis. Tres *cur una uices iteraſſet.* Vnus *cur una uices ſic iſſet.* Prima ed. et ſex ſcripti *Quaere nouem uicibus cur una feratur.* Vnus *cur una uices feratur.* Alius *Quaere nouem uices cur una ter iſſet.* Heinſ. e veſtigiis R. coni. *Quaere nouem cur una uiae dicatur*, uel *dicantur.*

44. V. *aſtitit.*

51. Al. *te noſti.* R. *te monui. Ib.* Be. et unus Heinſ. *teneras ne laede.* Apr. *cultas mihi redde.* Mo. et al. *cultas ne lude.*

Dixit: et e myrto (myrto nam uincta capillos
Conſtiterat) folium granaque pauca dedit.
Senſimus acceptis numen quoque. purior aether 55
Fulſit, et e toto pectore ceſſit onus.
Dum facit ingenium; petite hinc praecepta, puellae,
Quas pudor, et leges, et ſua iura ſinunt.
Venturae memores iam nunc eſtote ſenectae:
Sic nullum uobis tempus abibit iners. 60
Dum licet, et ueros etiam nunc editis annos,
Ludite: eunt anni more fluentis aquae.
Nec, quae praeteriit, iterum reuocabitur unda:
Nec, quae praeteriit, hora redire poteſt.
Vtendum eſt aetate; cito pede labitur aetas: 65
Nec bona tam ſequitur, quam bona prima fuit.
Hos ego, qui canent frutices, uiolaria uidi:
Hac mihi de ſpina grata corona data eſt.
Tempus erit, quo tu, quae nunc excludis amantem,
Frigida deſerta nocte iacebis anus: 70
Nec tua nocturna frangetur ianua rixa:
Sparſa nec inuenies limina mane roſa.
Quam cito (me miſerum!) laxantur corpora rugis,
Et perit, in nitido qui fuit ore, color!

Quas-

53. V. *nam nexa.* Pa. *iam nexa.* Tres *cincta cap.*
55. Al. *acceptum. Ib.* A et unus Heinſ. *clarior aether.*
57. Apr. *Dum ualet*, et pro uar. lect. *fauet.*
58. R. *ſua uita ſinit.*
61. R. *etiamnum reciditis.* Ar. *teneros annos.*
63. Al. *rurſum reuoc.*
65. Voſſ. *uoluitur aetas.* Pa. et al. *labitur hora.*
72. Vnus cod. *limina operta roſa.*
74. Nonnulli *in niueo.*

Quasque fuisse tibi canas a uirgine iures, 75
Spargentur subito per caput omne comae.
Anguibus exuitur tenui cum pelle uetustas;
Nec faciunt ceruos cornua iacta senes.
Nostra sine auxilio fugiunt bona. carpite florem;
Qui, nisi carptus erit, turpiter ipse cadet. 80
Adde, quod et partus faciunt breuiora iuuentae
Tempora. continua messe senescit ager.
Latmius Endymion non est tibi, Luna, rubori;
Nec Cephalus roseae praeda pudenda Deae.
Vt Veneri, quem luget adhuc, donetur Adonis; 85
Vnde habet Aenean Harmonienque suos?
Ite per exemplum, genus ô mortale, Dearum;
Gaudia nec cupidis uestra negate uiris.
Vt iam decipiant, quid perditis? omnia constant.
Mille licet sumant; deperit inde nihil. 90
Conteritur ferrum, silices tenuantur ab usu.
Sufficit, et damni pars caret illa metu.
Quis uetet apposito lumen de lumine sumi,
Quisue cauo uastas in mare feruet aquas?
Det tamen ulla uiro mulier, non expedit, inquis. 95
Quid,

75. Pat. *ab origine iures.*
79. Al. *Vestra sine.*
81. R. Exc. Pol. Be. et quinque al. cum pr. ed. *seniora iuuentae.*
85. 86. Ita cod. Regius, nisi quod Heins. *donetur* reposuit pro *ponetur*. Vulgo *Vt taceam de te, quem nunc quoque luget, Adoni, Vnde habet Aenean Harmonienque* (al. *Hermionenque*) *Venus.*
93. *Quid uetet* coni. Heins. Iun. *Quid uetat.* Vulgo *Quis uetet.*
95. *Det tamen*, et *inquis* a coni. Heins. Vulgo *Et tamen*, et *inquit.*

Quid, nisi quam sumes, dic mihi, perdis aquam?
Nec uos prostituit mea uox; sed uana timere
Damna uetat. damnis munera uestra carent.
Sed me flaminibus uenti maioris iturum,
Dum sumus in portu, prouehat aura leuis. 100
Ordiar a culta. cultis bene Liber ab uuis
Prouenit; et culto stat seges alta solo.
Forma Dei munus: forma quota quaeque superbit?
Pars uestrum tali munere magna caret.
Cura dabit faciem: facies neglecta peribit; 105
Idaliae similis sit licet illa deae.
Corpora si ueteres non sic coluere puellae;
Nec ueteres cultos sic habuere uiros.
Si fuit Andromache tunicas induta ualentes;
Quid mirum? duri militis uxor erat. 110
Scilicet Aiaci coniux ornata uenires,
Cui tegimen septem terga fuere boum.
Simplicitas rudis ante fuit: nunc aurea Roma
Edomiti magnas possidet orbis opes.
Adspice, quae nunc sunt Capitolia, quaeque fuerunt; 115
Alterius dicas illa fuisse Iouis.

Cu-

98. Voss. Be. et quinque al. *munera nostra.*

102. A. *Seges ampla.* Idem cum al. *culto loco.*

108. *Cultos uiros* R. N. et duo al. Vulgo *cultus sic h. uiri.*

109. Vnus R. et edd. uetustae *induta uagantes.* Vnus Pa. *uolantes.* Ha. *squalentes.* Mo. et unus Heins. *uolentes.*

111. Vulgo *ueniret.*

113. 114. Voss. *illa fuit. Edomiti* L. Plerique ueteres *aurea Roma est Et domiti magnas* caet.

Curia, concilio nunc quae dignissima tanto est,
De stipula, Tatio regna tenente, fuit.
Quae nunc sub Phoebo ducibusque Palatia fulgent,
Quid, nisi araturis pascua bubus, erant? 120
Prisca iuuent alios: ego me nunc denique natum
Gratulor. haec aetas moribus apta meis.
Non quia nunc terrae lentum subducitur aurum;
Lectaque diuerso litore concha uenit.
Nec quia decrescunt effosso marmore montes: 125
Nec quia caeruleae mole fugantur aquae.
Sed quia cultus adest; nec nostros mansit in annos
Rusticitas, priscis illa superstes auis.
Vos quoque non caris aures onerate lapillis,
Quos legit in uiridi decolor Indus aqua. 130
Nec prodite graues insuto uestibus auro:
Per quas nos petitis, saepe fugatis, opes.
Munditiis capimur: non sint sine lege capilli.
Admotae formam dantque negantque manus.
Nec genus ornatus unum est: quod quamque decebit, 135
Eligat; et speculum consulat ante suum.
Longa probat facies capitis discrimina puri:
Sic erat ornatis Laodamia comis.

117. *Concilio* C. et quinque al. Vulgo *consilio*. Tres scripti et edd. nonnullae *consilii tanti*.

123. Al. *terra*. *Ib.* tres libri *laetum subducitur*. Ba *tectum*.

124. Tres Heins. *bacca uenit*.

127. Vnus Heins. *creuit in annos*.

129. Al *ornate lapillis*.

130. V. et Pol. *discolor*.

131. V. et Apr. pro uar. lect. *inserto uestibus*.

138. Vnus Heins. *Deïdamia*.

Exiguum ſumma nodum ſibi fronte relinqui,
Vt pateant aures, ora rotunda uolunt. 140
Alterius crines humero iactentur utroque.
Talis es aſſumta, Phoebe canore, lyra.
Altera ſuccinctae religetur more Dianae,
Vt ſolet, attonitas cum petit illa feras.
Huic decet inflatos laxe iacuiſſe capillos: 145
Illa ſit adſtrictis impedienda comis.
Hanc placet ornari teſtudine Cyllenea:
Suſtineat ſimiles fluctibus illa ſinus.
Sed neque ramoſa numerabis in ilice glandes;
Nec quot apes Hyble, nec quot in Alpe ferae; 150
Nec mihi tot poſitus numero comprendere fas eſt;
Adiicit ornatus proxima quaeque dies.
Et neglecta decet multas coma. ſaepe iacere
Heſternam credas; illa repexa modo eſt.
Ars caſum ſimulet. ſic capta uidit ut urbe 155
Alcides Iölen, Hanc ego, dixit, amo.
Talem te Bacchus, Satyris clamantibus Euoe,
Suſtulit in currus, Gnoſi relicta, ſuos.
O quantum indulget ueſtro Natura decori,

Qua-

139. Sch. *ſub fronte.*
140. Ed. Micylli et margo Berſm. *Ne pateant.*
145. *Huic* R. et duo al.
147. Al. *Huic placet.* Ed. Gryph. a. 1554. *Hanc decet.*
148. Iun. et Sch. *illa comas.*
149. Al. *in ilice frondes.*
151. R. *poſito.* Prima ed. et ſcripti nonnulli *poſitos.* Al. *cultus.*
155. R. *Ars caſus ſimilis.* *Ib. ut urbe* R. et duo al. Ceteri fere omnes *in urbe.* Al. *capta ut uidit in urbe.*

Quarum ſunt multis damna pianda modis! 160
Nos male detegimur, raptique aetate capilli,
Vt Borea frondes excutiente, cadunt.
Femina canitiem Germanis inficit herbis;
Et melior uero quaeritur arte color.
Femina procedit denſiſſima crinibus emtis; 165
Proque ſuis alios efficit aere ſuos.
Nec rubor eſt emiſſe palam. uenire uidemus
Herculis ante oculos, Virgineumque chorum.
Quid de ueſte loquar? nec uos, ſegmenta, requiro;
Nec quae bis Tyrio murice lana rubes. 170
Cum tot prodierint pretio leuiore colores;
Quis furor eſt, cenſus corpore ferre ſuo?
Aëris ecce color, tum cum ſine nubibus aër,
Nec tepidus pluuias concitat Auſter aquas.
Ecce tibi ſimilis, qui quondam Phryxon et Hellen 175
Diceris Inoïs eripuiſſe dolis.
Hic undas imitatus, habet quoque nomen ab undis:
Crediderim Nymphas hac ego ueſte tegi.
Ille crocum ſimulat: croceo uelatur amictu,

160. Th. *damna pudenda.*
167. Al. *Nec pudor. Ibid.* multi ſcripti et edd. Mic. et Berſm. *ueniſſe palam.* V. et Be. interpungunt poſt *emiſſe.*
168. Vnus Heinſ. *Virgin. caput.* Be. et Pa. *uirg. thorum.*
169. Al. *nec nunc, nec enim, nec iam, non uos.*
170. Plurimi ſcripti et ed. *de Tyrio.* Vulgo *rubet.*
172. *Suo* tres Heinſ. Vulgo *ſuos.*
173. Quinque libri *nubibus aether.* Vnus *imber.* L. Iun. et duo al. *ſine nubibus exſtat.*
174. Duo *incitat Auſter.* Duo al. *concipit.*
177. *Imitatus* unus V. et Exc. Pol. Vulgo *imitatur.*

Roſcida luciferos cum Dea iungit equos. 180
Hic Paphias myrtos: hic purpureas amethyſtos,
Albentesue roſas, Threïciamue gruem.
Nec glandes, Amarylli, tuae, nec amygdala deſunt:
Et ſua uelleribus nomina cera dedit.
Quot noua terra parit flores, cum uere tepenti 185
Vitis agit gemmas; pigraque cedit hiems:
Lana tot, aut plures ſuccos bibit. elige certos:
Nam non conueniens omnibus omnis erit.
Pulla decent niueas: Briſeïda pulla decebant.
Cum rapta eſt, pulla tum quoque ueſte fuit. 190
Alba decent fuſcas; albis, Cepheï, placebas,
Sic tibi ueſtitae preſſa Seriphos erat.
Quam pene admonui, ne trux caper iret in alas;
Neue forent duris aſpera crura pilis!
Sed non Caucaſea doceo de rupe puellas, 195
Quaeque bibant undas, Myſe Caïce, tuas.
Quid? ſi praecipiam, ne fuſcet inertia dentes;
Oraque ſuſcepta mane lauentur aqua?
Scitis et inducta candorem quaerere cera.
Sanguine quae uero non rubet; arte rubet. 200

Arte,

180. Iun. *Roſcida purpureos.* Pa. *Lucida roriſluos.* Ib. R. *mouit equos.* L. *mouet.* Pa. unus *mergit.*

181. *Purpureas* R. Sa. et duo al. Vulgo *purpureos.*

186. Multi ſcripti et pr. ed. *fugit hiems.* Fr. *ſurgit.*

188. *Omnis erit* meliores cum pr. ed. Vulgo *unus erit.*

189. Al. *decet*, et *decebat.*

193. *Pene* R. Exc. Pol. *bene.* Vnus Pa. *Quod pene.* Vulgo *Quam ſaepe.*

196. *Bibant* R. et quinque al. Vulgo *bibunt.*

197. Mo. *Quid tibi.*

Arte, ſupercilii confinia nuda repletis,
  Paruaque ſinceras uelat aluta genas.
Nec pudor eſt oculos tenui ſignare fauilla;
  Vel prope te nato, lucide Cydne, croco.
Eſt mihi, quo dixi neſtrae medicamina formae, 205
  Paruus, ſed cura grande libellus opus.
Hinc quoque praeſidium laeſae petitote figurae:
  Non eſt pro ueſtris ars mea rebus iners.
Non tamen expoſitas menſa deprendat amator
  Pyxidas. ars faciem diſſimulata iuuat. 210
Quem non offendat toto faex illita uultu,
  Cum fluit in tepidos pondere lapſa ſinus?
Oeſypa quid redolent, quamuis mittatur Athenis,
  Demtus ab immundo uellere ſuccus ouis?
Nec coram mixtas ceruae ſumſiſſe medullas, 215
  Nec coram dentes defricuiſſe probem.
Iſta dabunt faciem; ſed erunt deformia uiſu:
  Multaque, dum fiunt turpia, facta placent.
Quae nunc nomen habent operoſi ſigna Myronis,
  Pondus iners quondam, duraque maſſa fuit. 220

205. Be. et al. *Eſt mihi, qui dicit.* Quatuor *qui dixit.* Ed. prima *quo duxi.*

207. F. *conſilium laeſae. Ib. figurae* prima ed. et quatuor ſcripti. Vulgo *puellae.*

209. C. *tamen et poſitas.* Heinſ. coni. *ut poſitas.*

210. Al. *iuuet.* Voſſ *facit.*

213. *Oeſypa* R. et unus V. Vulgo perperam *Oeſopa. Ib.* al. *mittantur.* R. *imitatur.*

214. Al. *immundae.*

215. Vnus V. *ſuiſſe medullas,* unde Heinſ. coni. *ſumſiſſe.*

216. Al. *perfricuiſſe.*

217. Duo ſcripti *dabunt formam.* R. et quinque al. *curam.* Vnus *ſpeciem.*

Annulus ut fiat, primo colliditur aurum:
Quas geritis ueſtes, ſordida lana fuit.
Cum fieret, lapis aſper erat; nunc nobile ſignum
Nuda Venus madidas exprimit imbre comas.
Tu quoque dum coleris, nos te dormire putemus; 225
Aptius a ſumma conſpiciare manu.
Cur mihi nota tuo cauſa eſt candoris in ore?
Claude forem thalami, quid rude prodis opus?
Multa uiros neſcire decet. pars maxima rerum
Offendat, ſi non interiora tegas. 230
Aurea quae pendent ornato ſigna theatro;
Inſpice, quam tenuis bractea ligna tegat.
Sed neque ad illa licet populo, niſi facta, uenire:
Nec niſi ſummotis forma paranda uiris.
At non pectendos coram praebere capillos, 235
Vt iaceant fuſi per tua terga, uetem.
Illo praecipue, ne ſis meroſa, caueto
Tempore: nec lapſas ſaepe reſolue comas.
Tuta ſit ornatrix. odi, quae ſauciat ora
Vnguibus, et rapta brachia figit acu. 240
Deuouet, et dominae tangit caput illa: ſimulque
Plorat

221. Fr. L. Iun. et Voſſ. *contunditur aurum.*

225. Al. *Tu faciem cura, dum te dorm. put.*

227. *Tuo* tres Heinſ. Vulgo *tui. Ib.* cod. Med. et ed. nonnullae *ſplendoris in ore.*

228. Al. *forem. Ibid.* al. *quae rude cogis opus.* R. *quid rude cogis.* Quatuor al. *quae rude prodis*, unus *quod prodis.*

232. F. *ligna ligat.*

234. Ha. *forma pianda.*

236. Fr. pro uar. lect. *ſua terga.* Al. *tua colla. Ibid. uetem* unus Heinſ. Vulgo *ueto.*

238. Prima ed. et quinque ſcripti *nec laxas.* Tres *nexas.*

Plorat ad inuisas sanguinolenta comas.
Quae male crinita est, custodem in limine ponat;
Orneturue Bonae semper in aede Deae.
Dictus eram cuidam subito uenisse puellae; 245
Turbida peruersas induit illa comas.
Hostibus eueniat tam foedi causa pudoris;
Inque nurus Parthas dedecus illud eat.
Turpe pecus mutilum: turpe est sine gramine campus:
Et sine fronde frutex; et sine crine caput. 250
Non mihi uenistis, Semele, Ledeue, docendae;
Perque fretum falso, Sidoni, uecta boue.
Aut Hëlene, quam non stulte, Menelaë, reposcis;
Tu quoque non stulte, Troïe raptor, habes.
Turba docenda uenit, pulchrae turpesque puellae, 255
Pluraque sunt semper deteriora bonis.
Formosae minus artis opem praeceptaque curant:
Est illis sua dos forma sine arte potens.
Cum mare compositum est, securus nauita cessat,
Cum tumet, auxiliis assidet ille suis. 260
Rara tamen mendo facies caret. occule mendas:
Quamque potes, uitium corporis abde tui.

249. *Turpe est sine* Pat. 1. Vulgo *turpis sine.*
252. Pa. *fretum flauo.*
254. *Troïe*Sch. Vulgo *Troice.* Vnus *Troïce pastor.* N. *uictor*, forte pro *uector.*
256. Al. *Pulchraque sunt.* Exc. Iur. *Plurima.*
257. *Curant* Exc. Iur. Sa. et duo al. cum pr. ed. Vulgo *quaerunt.* Vnus Pa. *poscunt.*
258. Octo libri *sine arte decens.* Be. et duo al. *placens.* Vnus *patens.*
259. Apr. et sex al. cum edd. nonnullis *nauita transit.*

Si breuis es, ſedeas; ne ſtans uideare ſedere:
Inque tuo iaceas quantulacunque toro.
Hic quoque, ne poſſit fieri menſura cubantis, 265
Iniecta lateant fac tibi ueſte pedes.
Quae nimium gracilis, pleno uelamina filo
Sumat: et ex humeris laxus amictus eat.
Pallida purpureis tinguat ſua corpora uirgis:
Nigrior ad Pharii confuge piſcis opem. 270
Pes malus in niuea ſemper celetur aluta:
Arida nec uinclis crura reſolue ſuis.
Conueniunt tenues ſcapulis analectrides altis:
Inflatum circa faſcia pectus eat.
Exiguo ſignet geſtu quodcunque loquetur, 275
Cui digiti pingues, et ſcaber unguis erunt.
Cui grauis oris odor, numquam ieiuna loquatur;
Et ſemper ſpatio diſtet ab ore uiri.
Si niger, aut ingens, aut non erit ordine natus
Dens tibi, ridendo maxima damna feres. 280
Quis credat? diſcunt etiam ridere puellae:
Quaeritur atque illis hac quoque parte decor.
Sint modici rictus, ſint paruae utrimque lacunae;

Et

269. Al. *tangat ſua. Ibid.* quidam *corp. guttis.* al. *ſuccis.*

272. Vulgo *reſolue tuis.*

273. *Analectrides* uel *analeptrides* coni. Heinſ. e cod. R. qui habet *analecptrides*, et in marg. *analetrides.* Vulgo editum *analectides.* Codices monſtra lectionum exhibent.

274. *Inflatum* R. 2. Vulgo *Anguſtum.*

275. Vnus V. *ſignes* et *loqueris.*

283. Scripti plerique et pr. ed. *rictus*, *paruaeque utr.*

Et ſummos dentes ima labella tegant.
Nec ſua perpetuo contendant ilia riſu: 285
Sed leue neſcio quid ſemineumque ſonent.
Eſt, quae peruerſo diſtorqueat ora cachinno:
Cum riſu laeta eſt altera, flere putes.
Illa ſonat raucum, quiddamque inamabile ſtridet;
Vt rudit ad ſcabram turpis aſella molam. 290
Quo non ars penetrat? diſcunt lacrymare decenter:
Quoque uolunt plorant tempore, quoque modo.
Quid? cum legitima fraudatur littera uoce;
Blaeſaque fit iuſſo lingua coacta ſono:
In uitio decor eſt, quaedam male reddere uerba, 295
Diſcunt poſſe minus, quam potuere, loqui.
Omnibus his, quoniam proſunt, impendite curam.
Diſcite femineo corpora ferre gradu.
Eſt et in inceſſu pars non temnenda decoris.
Allicit ignotos ille, fugatque uiros. 300
Haec mouet arte latus, tunicisque fluentibus auras
Excipit; extenſos fertque ſuperba pedes.

Illa

288. R. *riſu uſa eſt*, uel *lata*. Duo al. *riſuque uſa eſt*.

289. *Quiddamque inamabile* tres libri cum Exc. Iur. Vulgo *raucum quiddam, atque inam. Ib. ſtridet* a coni. Heinſ. Vulgo *ridet*.

290. Al. *et ſcabra t. a. mola*.

294. Vnus Heinſ. *ſubdola lingua ſono*.

295. Vnus Pat. et Argent. *male uerba recidere quaedam*. Ar. pro diu. lect. *quaedam reſcindere*.

297. Al. *quando proſunt*. Iun. *his magnam prodeſt impendere curam*. Me. 1. *magnam (prodeſt) impendite curam*.

300. Prima ed. et multi ſcripti *Alligat ign. Ib. ille* repoſuit Heinſ. pro *illa*.

302. Al. *Accipit; ext. Ib.* R. *extentos*.

Illa, uelut coniux Vmbri rubicunda mariti,
Ambulat; ingentes uarica fertque gradus.
Sed ſit, ut in multis, modus hic quoque. ruſticus alter 305
Motus; in inceſſu mollior alter erit.
Pars humeri tamen ima tui, pars ſumma lacerti
Nuda ſit, a laeua conſpicienda manu.
Hoc uos praecipue, niueae, decet. hoc ubi uidi,
Oſcula ferre humero, qua patet, uſque libet. 310
Monſtra maris Sirenes erant: quae uoce canora
Quamlibet admiſſas detinuere rates.
His ſua Siſyphides auditis pene reſoluit
Corpora. nam ſociis illita cera fuit.
Res eſt blanda canor: diſcant cantare puellae. 315
Pro facie multis uox ſua lena fuit.
Et modo marmoreis referant audita theatris;
Et modo Niliacis carmina luſa modis.
Nec plectrum dextra, citharam tenuiſſe ſiniſtra
Neſciat arbitrio femina docta meo. 320
Saxa ferasque lyra mouit Rhodopeïus Orpheus,
Tartareosque lacus, tergeminumque canem.
Saxa tuo cantu, uindex iuſtiſſime matris,
Fecerunt muros officioſa mouos.
Quamuis mutus erat, uoci fauiſſe putatur 325
Piſcis, Arioniae fabula nota lyrae.

Diſce

303. Vnus Pat. *rubicunda Catonis*. Heinſ. coni. *coloni*.
312. *Quamlibet* R. Vulgo *Quaslibet*.
317. Pat. et Arg. *reſonent*.
324. Pa. unus *offic. duos*, Vnde Heinſ. coni. *tuos*.

Diſce etiam duplici genialia naulia palma
Verrere: conueniunt dulcibus illa iocis.
Sit tibi Callimachi, ſit Coi nota poëtae,
Sit quoque uinoſi Teïa Muſa ſenis. 330
Nota ſit et Sappho: quid enim laſciuius illa?
Cuiue pater uafri luditur arte Getae.
Et teneri poſſis carmen legiſſe Properti:
Siue aliquid Galli, ſiue, Tibulle, tuum.
Dictaque Varroni fuluis inſignia uillis 335
Vellera, germanae, Phryxe, querenda tuae.
Et profugum Aenean, altae primordia Romae;
Quo nullum Latio clarius extat opus.
Forſitan et noſtrum nomen miſcebitur iſtis;
Nec mea Lethaeis ſcripta dabuntur aquis. 340
Atque aliquis dicet, Noſtri lege culta magiſtri
Carmina, quîs partes inſtruit ille duas.
Deue tribus libris, titulus quos ſignat Amorum,
Elige, quod docili molliter ore legas.
Vel tibi compoſita cantetur Epiſtola uoce; 345
Ignotum hoc aliis ille nouauit opus.
O ita Phoebe uelis; ita uos pia numina uatum,
Inſignis cornu Bacche, nouemque Deae!
Quis dubitet, quin ſcire uelim ſaltare puellam;
Vt moueat poſito brachia iuſſa mero? 350

Artiſi.

327. Al. *nablia palma.* Pa. *lamina.* Alius *nubila.*
328. *Verrere* R. et Ar. Vulgo *Vertere.*
332. Vnus Heinſ. *pater uaſti.*
343. Ba. *amores.* Pat. et duo al. *amoris.*
350. Sch. *brachia paſſa.* Duo *miſſa.* Vnus Be. *brachia ſaepe.*

Artifices lateris, ſcenae ſpectacula, amantur:
Tantum mobilitas illa decoris habet.
Parua monere pudet: talorum ducere iactus
Vt ſciat, et uires, teſſera miſſa, tuas.
Et modo tres iactet numeros: modo cogitet, apte 355
Quam ſubeat partem callida, quamque nocet.
Cautaque non ſtulte latronum proelia ludat:
Vnus cum gemino calculus hoſte perit.
Bellatorque ſua prenſus ſine compare bellat:
Aemulus et coeptum ſaepe recurrit iter. 360
Reticuloque pilae leues fundantur aperto:
Nec, niſi quam tolles, ulla mouenda pila eſt.
Eſt genus in totidem tenui ratione redactum
Scriptula, quot menſes lubricus annus habet.
Parua tabella capit ternos utrimque lapillos; 365
In qua uiciſſe eſt, continuaſſe ſuos.
Mille faceſſe iocos. turpe eſt neſcire puellam
Ludere: ludendo ſaepe paratur amor.
Sed minimus labor eſt, ſapienter iactibus uti.

Maius

353. *Ducere* Iun. et Pat. 1. Al. *dicere*. Multi *diſcere*.

355. Duo codd. et ed. quidam *numero*.

358. Apr. et unus Heinſ. *Vnus et in gem.*

359. Multi codd. *preſſus ſine coniuge*. Apr. *praeſens*. *Ib. ſua* et *bellat* prima ed. cum R.Sa. et al. quibusdam. Plures *bellet*. Al. *pugnet*. N. *ludat*.

360. Edd. Micyll. Berſm. et una Ven. *recurrat opus*.

361. Pa. unus *Lecticuloque quidem lenes*.

363. Quidam codd. *ratione reductum*.

364. Al. *Spicula*, *quot*.

366. Le. et quatuor al. *continuiſſe ſuos*. Tres libri *cont. duos*.

367. *Faceſſe* R. et quatuor al. Vulgo *fac eſſe*, uel *face eſſe*.

Maius opus, mores composuisse suos. 370
Dum sumus incauti, studioque aperimur in ipso;
Nudaque per lusus pectora nostra patent;
Ira subit, deforme malum, lucrique cupido;
Iurgiaque, et rixae, sollicitusque dolor.
Crimina dicuntur: resonat clamoribus aether: 375
Inuocat iratos et sibi quisque Deos.
Nulla fides; tabulaeque nouae per uota petuntur:
Et lacrymis uidi saepe madere genas.
Iuppiter a uobis tam turpia crimina pellat,
In quibus est ulli cura placere uiro. 380
Hos ignaua iocos tribuit Natura puellis:
Materia ludunt uberiore uiri.
Sunt illis celeresque pilae, iaculumque, trochique,
Armaque, et in gyros ire coactus equus.
Nec uos Campus habet, nec uos gelidissima Virgo; 385
Nec Thuscus placida deuehit amnis aqua.
At licet, et prodest, Pompeias ire per umbras;
Virginis aetheriis cum caput ardet equis.
Visite laurigero sacrata Palatia Phoebo:
Ille Paraetonias mersit in alta rates. 390
Quaeque soror coniuxque Ducis monumenta pararunt:
Naua-

371. *Dum sumus* pr. ed. et quatuor scripti. Vulgo *Tunc sumus*. *Ib.* al. *ab ipso*.

377. Ita unus Heins. Vulgo *Nulla fides tabulis*, *quae non per*. R. 1. et quatuor al. *tabulae*. R. 3. pro diu. lect. *talis*, *quae non per*.

383. R. 3. pro diu. lect. *teretesque pilae*.

386. Me. *liquidis deuehit amnis aquis*.

787. Tres libri *sub umbras*.

390. R. 1. et duo alii *Paraetonicas*.

Naualique gener cinctus honore caput.
Visite turicremas uaccae Memphitidos aras:
Visite conspicuis terna theatra locis.
Spectentur tepido maculosae sanguine arenae; 395
Metaque feruenti circumeunda rota.
Quod latet, ignotum est, ignoti nulla cupido.
Fructus abest, facies cum bona teste caret.
Tu licet et Thamyran superes et Amoebea cantu;
Non erit ignotae gratia magna lyrae. 400
Si Venerem Cous nusquam posuisset Apelles;
Mersa sub aequoreis illa lateret aquis.
Quid petitur sacris, nisi tantum fama, poëtis?
Hoc uotum nostri summa laboris habet.
Cura Ducum fuerunt olim Regumque poëtae: 405
Praemiaque antiqui magna tulere chori.
Sanctaque maiestas, et erat uenerabile nomen
Vatibus: et largae saepe dabantur opes.
Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni, Scipio magne, tibi. 10

Nunc

392. L. et duo al. *uinctus hon.*

394. Vnus Pat. *trina theatra.*

395. Al. *maculatae.*

399. Al. *atque Orphea cantu.*

400. Quidam *gloria magna.*

401. Duo Bersm. unus Heins. et ed. Gryph. a. 1554. *Cois numquam. Ib.* al. *numquam pinxisset.*

404. Sa. *fama laboris.*

405. R. et quatuor al. *Cura Deûm. Ib. fuerunt* Exc. Iur. Vulgo *fuerant.*

409. 410. Ita emendauit Parrhasius in comment. ad Claudiani Raptum Proserpinae, lib. 1. 42. cum in scriptis omnibus sit *in montibus hortos* (uel *ortos*). *Contiguos poene tibi*, uel *tuis.* R. *poenis.*

Nunc hederae ſine honore iacent: operataque doctis
Cura uigil Muſis nomen inertis habet.
Sed famae uigilare iuuet: quis noſſet Homerum,
Ilias aeternum ſi latuiſſet opus?
Quis Danaën noſſet, ſi ſemper clauſa fuiſſet; 415
Inque ſua turri perlatuiſſet anus?
Vtilis eſt uobis, formoſae, turba, puellae.
Saepe uagos ultra limina ferte pedes.
Ad multas lupa tendit oues, praedetur ut unam:
Et Iouis in multas deuolat ales aues. 420
Se quoque det populo mulier ſpecioſa uidendam:
Quem trahat, e multis forſitan unus erit.
Omnibus illa locis maneat ſtudioſa placendi:
Et curam tota mente decoris agat.
Caſus ubique ualet: ſemper tibi pendeat hamus. 425
Quo minime credas gurgite piſcis erit.
Saepe canes fruſtra nemoroſis montibus errant:
Inque plagam nullo ceruus agente cadit.
Quid minus Andromedae fuerat ſperare reuinctae,

Quam

411. Vnus Heinſ. *honore manent*. Idem cum ſex al. *operoſaque doctis*.

413. Al. *inuigilare iuuat*.

416. Al. *ſi latuiſſet*. Tres *delatuiſſet*. Arg. *deſtituiſſet*. Fr. et duo al. *praelatuiſſet*.

417. *Turba* R. V. unus et pr. ed. Vulgo *cura*.

418. Al. *extra lim. Ibid. ferte* repoſuit Heinſ. pro *ferre*.

419. Al. *In multas*. Arg. *In multas lupus exit oues*.

421. Al. *formoſa uidendam*.

428. Be. et quatuor al. *agente uenit*.

429. Nonnulli codd. *ſperare relictae*, et *reuictae*. Al. *Andromede potuit ſperare reuincta*.

Quam lacrymas ulli poſſe placere ſuas? 430
Funere ſaepe uiri uir quaeritur. iſſe ſolutis
Crinibus, et fletus non tenuiſſe, decet.
Sed uitate uiros cultum formamque profeſſos;
Quique ſuas ponunt in ſtatione comas.
Quae uobis dicunt, dixerunt mille puellis. 435
Errat, et in nulla ſede moratur amor.
Femina quid faciat, cum ſit uir leuior ipſa;
Forſitan et plures poſſit habere uiros?
Vix mihi credetis; ſed credite: Troia maneret,
Praeceptis Priami ſi foret uſa ſui. 440
Sunt qui mendaci ſpecie graſſentur amoris,
Perque aditus tales lucra pudenda petant.
Nec coma uos fallat liquida nitidiſſima nardo:
Nec breuis in rugas cingula preſſa ſuas.
Nec toga decipiat filo tenuiſſima: nec ſi 445
Annulus in digitis alter et alter erit.
Forſitan ex horum numero cultiſſimus ille
Fur ſit; et uratur ueſtis amore tuae.
Redde meum, clamant ſpoliatae ſaepe puellae:
Redde meum, toto uoce boante foro. 450
Has, Venus, e templis, multo radiantibus auro,
Lenta uides lites, Appiadesque Deae.

Sunt

440. Al. *uſa ſenis*. Al. *Priame ſi f. u. tuis.*

443. Al. *liquido*. Quatuor *nitido liquidiſſima nardo.*

444. R. et al. nonnulli *lingula preſſa*. Al *ligula*. Cod. Gruteri *impexas lingula nexa comas.*

446. Octo libri *unus et alter.*

452. *Lenta* R. Vulgo *Laeta. Ib.* al. *uidet. Ib.* R. 1. et al. *Appiadesque tuae.* Ar. et unus

Sunt quoque non dubia quaedam mala nomina fama:
Deceptae a multis crimen amantis habent.
Discite ab alterius uestris timuisse querelis. 455
Ianua fallaci nec sit aperta uiro.
Parcite, Cecropides, iuranti credere Theseo;
Quos faciet testes, fecit et ante, Deos.
Et tibi, Demophoon, Thesei criminis haeres,
Phyllide decepta nulla relicta fides. 460
Si bene promittant, totidem promittite uerbis:
Si dederint, et uos gaudia pacta date.
Illa potest uigiles flammas extinguere Vestae;
Et rapere e templis, Inachi, sacra tuis;
Et dare mixta uiro tritis aconita cicutis; 465
Accepto Venerem munere si qua negat.
Fert animus propius consistere, supprime habenas,
Musa; nec admissis excutiare rotis.
Verba uadum tentent abiegnis scripta tabellis.
Accipiat missas apta ministra notas. 470
Inspice: quodque leges, ex ipsis collige uerbis,
Fingat, an ex animo, sollicitusque roget.
Postque breuem rescribe moram. mora semper amantes
Incitat, exiguum si modo tempus habet.
Sed neque te facilem iuueni promitte roganti: 475

unus Be. *Laeta uidet l. App. suae.*
453. R. 2. *dubiae famae.*
454. Fr. *crimen amoris.*
455. To. *uobis timuisse.* Iun. *renuisse.* Sex *tenuisse.* N. et Be. *caruisse.* Burm. coni. *uobis cauisse.*
469. Prima ed. R. et al. nonnulli *alienis scripta.* Vnde Heins. coni. *acernis.*
471. Al. *dumque leges.*

Nec tamen eduro, quod petit, ore nega.
Fac timeat ſperetque ſimul: quotieſque remittes,
Spesque magis ueniat certa, minorque metus.
Munda, ſed e medio, conſuetaque uerba, puellae,
Scribite. ſermonis publica forma placet. 480
Ah quoties dubius ſcriptis exaſſit amator;
Et nocuit formae barbara lingua bonae!
Sed quoniam, quamuis uittae careatis honore,
Eſt uobis ueſtros fallere cura uiros;
Ancillae pueriue manus ferat apta tabellas: 485
Pignora nec iuueni credite ueſtra nouo.
Vidi ego, pallentes iſto terrore puellas,
Seruitium miſeras tempus in omne pati.
Perfidus ille quidem, qui talia pignora ſeruat:
Sed tamen Aetnaei fulminis inſtar habet. 490
Iudice me fraus eſt conceſſa, repellere fraudem:
Armaque in armatos ſumere iura ſinunt.
Ducere conſueſcat multas manus una figuras.
Ah pereant, per quos iſta monenda mihi!

Nec

476. Al. *edure.* Quidam *e toto*, uel *ex toto. Ibid. ore nega* R. 3 et unus V. Vulgo *ille, nega.*

478. Al. *Spes magis hinc ueniat.*

479. Vnus V. *Blanda, ſed.*

480. Al. *uerba placent.*

481. *Dubius* pr. ed. R. et tres al. Vulgo *dubiis.*

485. *Apta* Arg. Pat. unus et V. Vulgo *arte.* Quidam *ante, apte, arta.* Vetus cod. Scalig. *premat arte tabellas.*

486. Al. *puero nouo. Ibid.* Iun. *ueſtra rudi.* R. *credita noſtra.*

487. L. *fallentes ipſo latore puellas.* Iun. *deceptos iſto latore.* Apr. et tres al. *deflentes iſto terrore.* Multi *fallentes.*

489. Al. *munera ſeruat.* L. *captat.*

494. Arg. *Dî pereant.*

Nec nisi deletis tutum rescribere ceris: 495
Ne teneat geminas una tabella manus.
Femina dicatur scribenti semper amator;
Illa sit in uestris, qui fuit ille, notis.
Sed libet a paruis animum ad maiora referre,
Plenaque curuato pandere uela sinu; 500
Pertinet ad faciem rabidos compescere mores.
Candida pax homines: trux decet ira feras.
Ora tument ira; nigrescunt sanguine uenae;
Lumina Gorgoneo saeuius igne micant.
I procul hinc, dixit, non es mihi, tibia, tanti; 505
Vt uidit uultus Pallas in amne suos.
Vos quoque si media speculum spectetis in ira;
Cognoscat faciem uix satis ulla suam.
Nec minus in uultu damnosa superbia uestro:
Comibus est oculis alliciendus amor. 510
Odimus immodicos (expertae credite) fastus.
Saepe tacens odii femina uultus habet.
Spectantem specta: ridenti mollia ride.
Innuet; acceptas tu quoque redde notas.

497. Vulgo *scribentis*.
499. *Sed libet* alter Me. Al. *Si licet*, meliores *Sed licet*. Mo. *Si libet*. Ar. *Sed placet*.
500. Multi *tendere uela*. Vnus *reddere*. Be. *prendere*.
501. Al. *rapidos*. *Ibid.* V. *componere mores*.
503. Arg. *concrescunt sanguine*.
504. Al. *saeuius angue*.
509. Plures scripti et prima ed. *Nec tumeat uultu*.
510. Quidam *Dulcibus est*. Mo. Iun. et duo al. *Mollibus*. *Ib.* unus Heins. *eliciendus*.
511. Vnus V. *Odimus indomitos*. *Ib. expertae* R. N. et V. unus. Vulgo *experto*.

Sic ubi prolusit, rudibus puer ille relictis 515
Spicula de pharetra promit acuta sua.
Odimus et moestas. Tecmessam diligat Aiax:
Nos, hilarem populum, femina laeta capit.
Numquam ego te, Andromache, nec te, Tecmessa, rogarem,
Vt mea de uobis altera amica foret. 520
Credere uix uideor, cum cogar credere partu,
Vos ego cum uestris concubuisse uiris.
Scilicet Aiaci mulier moestissima dixit,
Lux mea; quaeque solent uerba iuuare uiros;
Quid uetat a magnis ad res exempla minores 525
Sumere, nec nomen pertimuisse ducis?
Dux bonus huic centum commisit uite regendos;
Huic equites; illi signa tuenda dedit.
Vos quoque, de nobis quem quisque sit aptus ad usum,
Inspicite: et certo ponite quemque loco. 530
Munera det diues: ius qui profitebitur, adsit:
Facundus causam saepe clientis agit:
Carmina qui facimus, mittamus carmina tantum.
Hic chorus ante alios aptus amare sumus.
Nos facimus placitae late praeconia formae. 535

Nomen

515. Al. *praelusit. Ibid.* al. *ille sagittis.*
516. Apr. *legit acuta.*
518. Vnus Heins. *laeta rapit.*
520. Ba. *altera nupta.*
521. L. *uix possum. Ibid.* Pr. ed. et duo scripti *nisi cogar credere partus*, Me *partu.* Ed. Gryph. a. 1554. *nisi cogat credere partus.*
527. *Vite* R. V. unus et al. Vulgo *iure.* Alter R. *Marte.* A. *turre.*
529. *Sit* N. et A. 1. Vulgo *erit.*
534. Al. *Nam chorus.* Vnus R. *Nos chorus.*

Nomen habet Nemesis: Cynthia nomen habet.
Vesper et Eoae nouere Lycorida terrae:
Et multi, quae sit nostra Corinna, rogant.
Adde, quod insidiae sacris a uatibus absunt:
Et facit ad mores ars quoque nostra suos. 540
Nec nos ambitio, nec amor nos tangit habendi:
Contemto colitur lectus et umbra foro.
Sed facile haeremus, ualidoque perurimur aestu;
Et nimium certa scimus amare fide.
Scilicet ingenium placida mollimur ab arte: 545
Et studio mores conuenienter eunt.
Vatibus Aoniis faciles estote, puellae.
Numen inest illis; Pieridesque fauent.
Est Deus in nobis; et sunt commercia coeli,
Sedibus aetheriis spiritus ille uenit. 550
A doctis pretium scelus est sperare poëtis.
Me miserum! scelus hoc nulla puella timet.
Dissimulate tamen, nec prima fronte rapaces
Este. nouus uiso casse resistet amans.
Sed neque uector equum, qui nuper sensit habenas, 555
Comparibus frenis, artificemque regat.
Nec stabiles annis animos, uiridemque iuuentam
Vt capias, idem limes agendus erit.

540. Al. *nostra bonos.*
541. Al. *nos urget.* Tres Heins. *nos urit.*
545. *Mollimur* Sa. et quatuor al. Vulgo *mollitur. Ibid.* Fr. et Pa. *nostra ab arte.* Al. *blanda.*
555. Al. *neque rector.* Quidam *uictor. Ibid.* Iun. *qui nullas sensit.*
556. Al. *Cum paribus. Ib.* al. *regit*, uel *reget.*

Hic rudis, et castris nunc primum notus Amoris,
Qui tetigit thalamos praeda nouella tuos; 560
Te solam norit; tibi semper inhaereat uni.
Cingenda est altis sepibus ista seges:
Effuge riualem: uinces, dum sola tenebis.
Non bene cum sociis regna Venusque manent.
Ille uetus miles sensim et sapienter amabit: 565
Multaque tironi non patienda feret.
Nec franget postes, nec saeuis ignibus uret;
Nec dominae teneras appetet ungue genas.
Nec scindet tunicasue suas, tunicasue puellae:
Nec raptus flendi causa capillus erit. 570
Ista decent pueros, aetate et amore calentes:
Hic fera composita uulnera mente feret.
Ignibus hic lentis uretur, ut humida taeda;
Vt modo montanis silua recisa iugis.
Certior hic amor est: breuis et fecundior ille. 575
Quae fugiunt, celeri carpite poma manu.
Omnia tradantur. portas reserauimus hosti;
Et sit in infida proditione fides.

Quod

561. Mo. et septem al. *adhaereat*. N. *militet*.

562. Pa. *Texenda est*. *Ibid.* duo Heins. *alta seges*

564. Be. *Venusque iuuant*.

571. Ba. *decent animos*. Iun. *iuuenes*.

573. Sa. et multi al. *humida saena*. R. *fraena*. Multi *ligna*. Vnus R. *Ignibus heu lentis torretur et umida taeda*.

575. Al. *grauis et fec*. Exc. Iur. *quamuis fecundior*. R. *grauis et fecundior*. *illa Quae fugiunt*. Ar. *Certior huic amor est, grauis et fecundior illi*. Edd. Micyll. et Berlm. *Certior hic amor est: breuis, at fecundior, illo*.

577. Nonnulli *tradentur*. *Ibid.* al. *reserabimus*.

578. Al. *Vt sit*.

Quod datur ex facili longum male nutrit amorem.
Miscenda est laetis rara repulsa iocis. 580
Ante fores iaceat: Crudelis ianua, clamet:
Multaque summisse, multa minanter agat.
Dulcia non ferimus: succo renouemur amaro.
Saepe perit uentis obruta cymba suis.
Hoc est, uxores quod non patiatur amari: 585
Conueniunt illas, cum uoluere, uiri.
Obde forem; et duro dicat tibi ianitor ore,
Non potes. exclusum te quoque tanget amor.
Ponite iam gladios hebetes; pugnetur acutis.
Non dubito, telis quin petar ipse meis. 590
Dum cadit in laqueos captus quoque nuper amator;
Solum se thalamos speret habere tuos.
Postmodo riualem, partitaque foedera lecti
Sentiat. has artes tolle; senescet amor.
Tum bene fortis equus reserato carcere currit; 595
Cum, quos praetereat, quosque sequatur, habet.
Quamlibet extinctos iniuria suscitat ignes.
En ego (confiteor) non nisi laesus amo.
Causa tamen nimium non sit manifesta doloris;

583. *Renouemur* R. Vulgo *renouamur*. Tres al. *remouemur*.

587. Al. *Claude fores*: *duro* R. et tres al. *Adde forem, et duro*. Ar. *Obde forem, duro dicat sub ianitor aere*.

588. A. 2. et unus Heins. *sic quoque*. Al. *se quoque*.

591. Al. *cadat*. *Ib*. Me. *captus modo nuper*. Alius *factus quoque nuper*.

597. *Quamlibet* R. Ar. et unus Par. Al. *Quoslibet*, et *Quaelibet*. *Ib*. Exc. Iur. et duo al. *suscitet*. Voss. *sustinet*.

Pluraque ſollicitus, quam ſciat, eſſe putet. 600
Incitet et ficti triſtis cuſtodia ſerui,
Et nimium duri cura moleſta uiri.
Quae uenit ex tuto, minus eſt accepta uoluptas.
Vt ſis liberior Thaïde, finge metus.
Cum melius foribus poſſis, admitte feneſtra: 605
Inque tuo uultu ſigna timentis habe.
Callida proſiliat, dicatque ancilla, Perimus:
Tu iuuenem trepidum quolibet abde loco.
Admiſcenda tamen Venus eſt ſecura timori;
Ne tanti noctes non putet eſſe tuas. 610
Qua uafer eludi poſſit ratione maritus,
Quaque uigil cuſtos, praeteriturus eram.
Nupta uirum timeat: rata ſit cuſtodia nuptae.
Hoc decet: hoc leges iusque pudorque iubent.
Te quoque ſeruari, modo quam uindicta redemit, 615
Quis ferat? ut fallas, ad mea ſacra ueni.
Tot licet obſeruent, (adſit modo certa uoluntas)
Quot fuerant Argo lumina, uerba dabis.
Scilicet obſtabit cuſtos, ne ſcribere poſſis,
Sumendae detur cum tibi tempus aquae? 620
Conſcia cum poſſit ſcriptas portare tabellas,

Quas

603. V. *ex uoto.* Sch. *ex tacito.*
605. Pa. *Vt melius.*
606. Al. *uerba timentis.* Pat. *ſigna timoris.*
609. Al. *Sed miſcenda. Ib.* unus Heinſ. *ſecura timenti.*
611. V. *Qua ferus.*
614. R. Sa. et duo al. cum pr. ed. *duxque pudorque.*
617. Al. *modo ueſtra, modo uera, modo grata.* Pr. ed. et ſcripti potiores *uoluptas.* Vnus Be. *adſit modo ſola uoluptas.*

Quas tegat in tepido fascia lata sinu?
Cum possit sura chartas celare ligatas;
Et uincto blandas sub pede ferre notas?
Cauerit haec custos: pro charta conscia tergum 625
Praebeat; inque suo corpore uerba ferat.
Tuta quoque est fallitque oculos e lacte recenti
Littera: carbonis puluere tange; leges.
Fallet et humiduli quae fiet acumine lini,
Et feret occultas pura tabella notas. 630
Adfuit Acrisio seruandae cura puellae:
Hunc tamen illa suo crimine fecit auum.
Quid faciat custos; cum sint tot in Vrbe theatra?
Cum spectet iunctos illa libenter equos?
Cum sedeat Phariae sistris operata iuuencae; 635
Quoque sui comites ire uetentur, eat?
Cum fuget e templis oculos Bona Diua uirorum,
Praeterquam si quos illa uenire iubet:
Cum, custode foris tunicas seruante puellae,
Celent furtiuos balnea tuta uiros: 640

Cum,

622. Al. *in medio. Ib.* Pol. *fascia longa.*

623. Al. *possit solea. Ibid.* unus R. et pr. ed. *ceras celare.* Vnus V. *ceram.*

624. Pat. *Et tenero. Ibid.* Voss. *ferre preces.*

629 Duo codd. *Fallet et ex humili. Ib.* V. *liquefiet acumine lini.* Apr. *qua sit acumine*, uel *a semine*, uel *de semine.* Fr. et alius *acumine ligni.* Heins. coni. *alumine nitri*, Burm. *humiduli quae fiet alumine limi.*

633. Al. *tot in orbe.*

635. Al. *sacris operosa iuuencae.*

636. Al. *Quoque suae comites ire iubentur.* Be. unus *ire uerentur.*

637. *Fuget e* tres Heins. Vulgo *fugit a.* Al. *fugat.*

640. *Tuta* Exc. Iur. Vulgo *multa. Ibid.* uulgo *furtiuos iocos.*

Cum, quoties opus eſt, fallax aegrotet amica;
Et cedat lecto quamlibet aegra ſuo:
Nomine cum doceat, quid agamus, adultera clauis,
Quasque petas, non det ianua ſola, uias.
Fallitur et multo cuſtodis cura Lyaeo: 645
Illa uel Hiſpano lecta ſit uua iugo.
Sunt quoque quae faciant altos medicamina ſomnos;
Victaque Lethaea lumina nocte premant.
Nec male deliciis odioſum conſcia tardis
Detinet; et longa iungitur ipſa mora. 650
Quid iuuat ambages, praeceptaque parua mouere;
Cum minimo cuſtos munere poſſit emi?
Munera (crede mihi) capiunt hominesque Deosque:
Placatur donis Iuppiter ipſe datis.
Quid ſapiens faciat? ſtultus quoque munere gaudet. 655
Ipſe uir, accepto munere, mutus erit.
Sed ſemel eſt cuſtos longum redimendus in annum:
Saepe dabit, dederit quas ſemel, ille manus.

Que-

642. Ita R. 1. Apr. et Exc. Scal. niſi quod in Apr. eſt *quaelibet*. Scripti et ed. nonnulli *Tollat et in lectum quemlibet illa ſ.* Al. *Et celet lecto quemlibet aegra ſ.* F. *Et credat lecto cum libet aegra ſ.*

643. Al. *quid agatur*.

644. Al. *petes*. Cod. Gruteri *Quasque potes non dat*.

650. Al. *iungitur illa*. Edd. Berſm. et Mic. *ille*. R. *frangitur illa*.

651. Vulgo *parua monere*.

653. F. *captant hom.* Al. *placant*.

654. Vnus R. *Iupiter ille*.

655. Pa. 1. *Quid faciat ſtultus, ſapiens ſi munere gaudet*. Margo Berſm. *Quid faciat melius*.

656. Al. *Ipſe quoque*. *Ibid.* multi ed. et ſex ſcripti *mitis erit*. Pa. *uictus erit*.

657. *In annum* Exc. Iur. Vulgo *in aeuum*.

658. N. *Vſque dabit*.

Queſtus eram (memini) metuendos eſſe ſodales:
Non tangit ſolos iſta querela uiros. 660
Credula ſi fueris, aliae tua gaudia carpent;
Et lepus hic aliis exagitandus erit.
Haec quoque, quae praebet lectum ſtudioſa locumque,
Crede mihi, mecum non ſemel illa fuit.
Nec nimium nobis formoſa ancilla miniſtret: 665
Saepe uicem dominae praeſtitit illa mihi.
Quo feror inſanus; quid aperto pectore in hoſtem
Nitor; et indicio prodor ab ipſe meo?
Non auis aucupibus monſtrat, qua parte petatur:
Non docet infeſtas currere cerua canes. 670
Viderit utilitas; praecepta fideliter edam.
Lemniaſi gladios in mea fata dabo.
Efficite (et facile eſt) ut nos credamus amari:
Prona uenit cupidis in ſua uota fides.
Spectet amabilius iuuenem; ſuſpiret ab imo 675
Femina; tam ſero cur ueniatque roget.
Accedant lacrymae, dolor et de pellice fictus:
Et laniet digitis illius ora ſuis.

Iam

662. Vulgo *exagitatus erit.*
666. Multi *praebuit illa. Ibid.* Be. et tres al. *illa ſuae.*
668. *Nitor* Cau. et duo V. Vulgo *Mittor.*
670. *Infeſtas* Fr. Vulgo *infeſtos.*
671. *Praecepta* duo Heinſ. Vulgo *ego coepta.*
672. *Lemniaſi* reſcribit Heinſ. e veſtigiis R. qui exhibet *Lemnias et.* Vulgo *Lemnia dum.* Quidam codd. *Lemnios et, Lemniades, Lemniadis, Lemniados, Lemniadi. Ib.* ſcripti plerique *in mea damna.*
675. Be. unus *amabiliter.* Ba. *amabilibus.*
677. Pa. quator al. *de pellice queſtus.*

Iam dudum perſuaſus erit, miſerebitur ultro:
Et dicet, Cura carpitur iſta mei. 680
Praecipue, ſi cultus erit, ſpeculoque placebit,
Poſſe ſuo tangi credet amore Deas.
Sed te, quaecunque es, moderate iniuria turbet;
Neu ſis audita pellice mentis inops.
Nec cito credideris. quantum cito credere laedat, 685
Exemplum uobis non leue Procris erit.
Eſt prope purpureos colles florentis Hymetti
Fons ſacer, et uiridi ceſpite mollis humus.
Silua nemus non alta facit: tegit arbutus herbam:
Ros maris, et lauri, nigraque myrtus olent. 690
Nec denſae foliis buxi, fragilesque myricae,
Nec tenues cytiſi, cultaque pinus abeſt.
Lenibus impulſae Zephyris, auraque ſalubri,
Tot generum frondes, herbaque ſumma tremunt.
Grata quies Cephalo. famulis canibusque relictis 695
Laſſus in hac iuuenis ſaepe reſedit humo.
Quoque meos releues aeſtus, cantare ſolebat,
Accipienda ſinu, mobilis Aura, ueni.

Con-

684. *Neu* unus Pa. Vulgo *Nec*, uel *Ne*.

690. Pa. *Flos maris*.

691. Ita quatuor Heinſ. Vulgo *denſum foliis buxum*. Quatuor *denſus fol. buxus*. Vnus Pat. *Denſaque nec fol. buxus*. *Ibid.* V. *uiridesque myricae*. N. et Pat. *humileſque*. Be. *fragileſue*.

696. N. *Labilis hac iuuenis*. *Ib.* unus Heinſ. *reſidit humo*. Alius *recumbit*.

697. *Quoque* duo V. Vulgo *Quaeque*.

698. Vnus Heinſ. et edd. Micyll. et Berſm. *nobilis aura*. Apr. pro diu. lect. *mollis amica*.

Coniugis ad timidas aliquis male ſedulus aures
Auditos memori detulit ore ſonos. 700
Procris ut accepit nomen, quaſi pellicis, Aurae,
Excidit: et ſubito muta dolore fuit.
Palluit, ut ſerae, lectis de uite racemis,
Palleſcunt frondes, quas noua laeſit hiems.
Quaeque ſuos curuant matura cydonia ramos; 705
Cornaque adhuc noſtris non ſatis apta cibis.
Vt rediit animus, tenues a pectore ueſtes
Rumpit, et indignas ſauciat ungue genas.
Nec mora; per medias ſparſis furibunda capillis
Euolat, ut thyrſo concita Baccha, uias. 710
Vt prope peruentum; comites in ualle relinquit.
Ipſa nemus tacito clam pede fortis init.
Quid tibi mentis erat, cum ſic male ſana lateres,
Procri? quis attoni pectoris ardor erat?
Iam iam uenturam, quaecunque erat Aura, putabas 715
Scilicet, atque oculis probra uidenda tuis.
Nunc ueniſſe piget; (neque enim deprendere uelles)
Nunc iuuat. incertus pectora uerſat amor.
Credere quae iubeant, locus eſt, et nomen, et index;

Et

700. Multi codd. et ed. pr. *rettulit*. Quidam *pertulit*.
702. Al. *mota dolore*.
703. Scripti plerique *ut ſera lectus de uite racemus*, vel *lectis racemis*. Al. *ſectis racemis*. Arg. et duo al. *ſacra lectus de u. racemus*.
707. Al. *Vtque animus rediit*.
708. Iun. *appetit ungue*.
709. Al. *paſſis cap*.
712. Th. et quatuor al. *fort. adit*.
713. Pol. *male ſola*. *lb*. N. *ſana iaceres*. Tres al. *timeres*.
716. Pa. *ante oculos pr. u. tuos*. Be, et L. *oculis pr. u. tuis*.

Et quia amans ſemper, quod timet, eſſ putat. 720
Vidit ut oppreſſam, ueſtigia corporis, herbam;
Pulſantur trepidi corde micante ſinus.
Iamque dies medius tenues contraxerat umbras;
Inque pari ſpatio ueſper et ortus erant.
Ecce redit Cephalus ſiluis; Cyllenia proles, 725
Oraque fontana feruida ſpargit aqua.
Anxia, Procri, lates. ſolitas iacet ille per herbas;
Et, Zephyri molles, Auraque, dixit, ades.
Vt patuit miſerae iucundus nominis error;
Et mens et rediit uerus in ora color. 730
Surgit; et appoſitas agitato corpore frondes
Mouit, in amplexus uxor itura uiri.
Ille feram ſonuiſſe ratus, iuueniliter arcum
Corripit: in dextra tela fuere manu.
Quid facis, infelix? non eſt fera: ſupprime tela. 735
Me miſerum! iaculo fixa puella tuo eſt.
Hei mihi! conclamat, fixiſti pectus amicum.
Hic locus a Cephalo uulnera ſemper habet.

Ante

720. *Et quia amans* coni. Heinſ. Vulgo *Et quia mens ſemper*. Quidam *Et quae mens*. R. et quatuor al. *Et quod amans*.

721. Cod. Gruteri *Vidit ut in preſſa u. c. herba*. Al. *Vidit et in preſſa*. Quidam *ut oppreſſa*.

722. Tres codd. *tepidi ſinus*. *Ib*. Mo. *ueſte micante*. Multi *corae tremente*.

724. Fr. Mo. et ſex al. *Iamque pari*.

726. Scripti plerique *pulſat aqua*. Duo *lauit*.

727. Voſſ. *teneras iacet*.

731. Al. *oppoſitas*.

733. R. et ſex al. *uidiſſe ratus*. Be. *ſenſiſſe*.

734. Tres ſcripti *Arripit*.

730. F. *Te miſerum*.

738. Mo. *ex Cephalo*.

Ante diem morior, ſed nulla pellice laeſa:
Hoc faciet ponitae te mihi, terra, leuem. 740
Nomine ſuſpectos iam ſpiritus exit in auras:
Labor io! cara lumina conde manu.
Ille ſinu dominae morientia corpora moeſto
Suſtinet; et lacrymis uulnera ſaeua lauat.
Exit, et, incauto paullatim pectore lapſus, 745
Excipitur miſeri ſpiritus ore uiri.
Sed repetamus iter. nudis mihi rebus agendum eſt,
Vt tangat portus feſſa carina ſuos.
Scilicet expectes, dum te in conuiuia ducam,
Et quaeras monitus hac quoque parte meos; 750
Sera ueni; poſitaque decens incede lucerna.
Grata mora eſt Veneri: maxima lena mora eſt.
Et ſi turpis eris, formoſa uidebere potis:
Et latebras uitiis nox dabit ipſa tuis.

Carpe

739. Quidam *moriar. Ib.* Apr. *ſed non a pellice.* Fr. *ſed non iam pellice.*

740. Al. *poſitam.*

741. Edd. priſcae et Mic. et Berſm. *ſuſpectam mihi ſpiritus ex. in auram.*

742. *Labor iö* R. V. duo et pr. ed. Vulgo *Iam morior.* Quatuor libri *Labor iam.* Duo *Labor et o. Ibid.* Sa. et octo al. *claude manu.*

743. Al. *mor. pectora.* Editiones quaedam contra fidem ſcriptorum codicum huic diſticho ſequens praeponunt, *Exit, et in cauto.*

745. *Exit* reſcripſit Heinſ. pro *Dixit.*

747. Scripti plerique et pr. ed. *repet. opus. mihi nudis rebus eundum eſt.*

749. Al. *expectas, ut te.* Scripti plerique et pr. ed. *Sollicite expectes, dum te.*

752. *Eſt Veneri* N et Caud. Vnus Heinſ. *eſt Veneris.* Vnus V. et pr. ed. *Venus eſt.* Vulg. *uenies.* Nonnulli *ueniens.*

753. Al. *uideb. cunctis.*

Carpe cibos digitis; eſt quiddam geſtus edendi: 755
Ora nec immunda tota perungue manu.
Neue domi praeſume dapes: et deſine, citra
Quam capies paullo, quam potes eſſe, minus.
Priamides Helenen auide ſi ſpectet edentem,
Oderit; et dicat, Stulta rapina mea eſt. 760
Aptius eſt, deceatque magis potare puellas.
Cum Veneris puero non male, Bacche, facis.
Hoc quoque, quâ patiens caput eſt, animusque, pedesque
Conſtent: nec, quae ſint ſingula, bina uide.
Turpe iacens mulier, multo madefacta Lyaeo: 765
Dignaque concubitus quoslibet illa pati.
Nec ſomnis poſita tutum ſuccumbere menſa:
Per ſomnos fieri multa pudenda ſolent.
Vlteriora pudet docuiſſe: ſed alma Dione,
Praecipue noſtrum eſt, quod pudet, inquit, opus. 770
Nota ſibi ſint quaeque: modos a corpore certos
Sumite. non omnes una figura decet.
Quae facie praeſignis eris, reſupina iaceto:
Specten-

755. *Quiddam* a coni. Heinſ. pro *quidam.*

756. A. alter *nec indigna. Ib.* Be. *tacta perungue.*

757. Vetuſtae edd. *Neue diu.* Quidam *Neue nimis. Ib. et deſine* repoſuit Heinſ. pro *ſed deſine.*

758. *Capies* R. et quatuor al. Vulgo *cupias.* Tres *capias. Ib.* Voſſ. *adde minus.* Tres *ede minus.*

763. Vulgo *quam patiens.* Pr. ed. et quidam ſcripti *Hoc bibe, quam pat.* Alius *Hoc bibe, quod facies.* Voſſ. *Sed bibe qua.* Me. *Sed bibe quod.* Burm. coni. *Obbibe, quâ pat.*

765. Apr. et Me. 1. *iacet.*

771. Quatuor ſcripti et margo Berſm. *ad corpora. Ib.* duo *modos cunctos.* Vnus *comtos.*

773. Al. *erit.*

Spectentur tergo, quis sua terga placent.
Milanion humeris Atalantes crura ferebat: 775
Si bona sunt, hoc sunt accipienda modo.
Parua uehatur equo: quod erat longissima, numquam
Thebais Hectoreo nupta resedit equo.
Strata premat genibus, paullum ceruice reflexa,
Femina, per longum conspicienda latus. 780
Cui femur est iuuenile, carent cui pectora menda,
Stet uir, in obliquo fusa sit ipsa toro.
Nec tibi turpe puta crinem, ut Phylleïa mater,
Soluere: et effusis colla reflecte comis.
Tu quoque, cui rugis uterum Lucina notauit, 785
Vt celer auersis utere Parthus equis.
Mille modi Veneris, simplex minimique laboris,
Cum iacet in dextrum semisupina latus,
Sed neque Phoebei tripodes, nec corniger Ammon,
Vera magis uobis, quam mea Musa, canent. 790
Si qua fides arti, quam longo fecimus usu;
Credite: praestabunt carmina nostra fidem.
Sentiat ex imis Venerem resoluta medullis

774. Vulgo *Spectetur t. cui.*
776. *Accipienda* C. N. et septem al. Vulgo *adspicienda.*
778. Duo libri *nuda resedit.*
781. *Cui pectora* Me. 1. Vulgo *quoque caetera.* Al. *quoque pectora.*
782. Vulgo *Semper in o. f. s. illa t.*
783. Ed Bersm. *ut Phylaceïa.*
784. R. *et emissis. Ib.* Me. 1 *colla renecte.* Apr. *reflente.* Be. et alius *referre.*
787. R. Exc. Scal. et al. nonnulli *Mille ioci.*
789. Be. *Phoebeae.* R. et Pa. *neque, Phoebe, tui.* Vnus Heins. *neque iam Phoebi.*

Femina: et ex aequo res iuuet illa duos.
Nec blandae uoces, iucundaque murmura cessent: 795
Nec taceant mediis improba uerba iocis.
Tu quoque, cui Veneris sensum natura negauit,
Dulcia mendaci gaudia finge sono.
Infelix, cui torpet hebes locus ille, puella es;
Quo pariter debent femina uirque frui. 800
Tantum, cum finges, ne sis manifesta, caueto:
Effice per motum luminaque ipsa fidem.
Quod iuuet: et uoces et anhelitus arguat oris.
Ah pudet! arcanas pars habet ista notas.
Gaudia post Veneris quae poscet munus amantem, 805
Ipsa suas nolet pondus habere preces.
Nec lucem in thalamos totis admitte fenestris.
Aptius in uestro corpore multa latent.
Lusus habet finem: cycnis descendere tempus,
Duxerunt collo qui iuga nostra suo. 810
Vt quondam iuuenes, ita nunc, mea turba, puellae,
Inscribant spoliis, Naso magister erat.

794. V. *ut ex aequo. Ibid.* quidam *una duos.*
798 Pa. et unus Me. *mentito sono.*
801. Exc. Iur. *cum simulas.* Nonnulli *Dum nimium simulas.* Duo *Tute cum simulas.*
804. Vnus R. et Be. *Et color et centum pars.*
808. Fl. et Pa. *menda latent.*
809. Al. *discedere tempus.*
811. Quinque scripti *mea cura.*
812. Al. *Inscribat foliis.*



P. OVIDII

P. OVIDII NASONIS
REMEDIORVM
A M O R I S
LIBER VNVS

P. OVIDII NASONIS REMEDIORVM AMORIS LIBER VNVS. *)

Legerat huius Amor titulum nomenque libelli:
Bella mihi, uideo, bella parantur, ait.
Parce tuum Vatem ſceleris damnare, Cupido;
Tradita qui toties, te duce, ſigna tuli.
Non ego Tydides, a quo tua ſaucia Mater 5
In liquidum rediit aethera Martis equis.
Saepe tepent alii iuuenes: ego ſemper amaui.
Et ſi, quid faciam nunc quoque, quaeris; amo.
Quin etiam docui, qua poſſis arte parari:
Et quod nunc ratio eſt, impetus ante fuit. 10
Nec te, blande puer, nec noſtras prodimus artes:
Nec noua praeteritum Muſa retexit opus.

*) Codex Regius et alii nonnulli librum unum faciunt ex duobus. et recte. Noſter enim ipſe *libellum* uocat huius poëmatis initio. HEINS.

10. Al. *quae nunc.*
11. Arg. *nec ueſtras.*
12. Me. 1. *noua praetextum.*

Si quis amat, quod amare iuuat, feliciter ardens
Gaudeat, et uento nauiget ille suo.
At, si quis male fert indignae regna puellae, 15
Ne pereat, nostrae sentiat artis opem.
Cur aliquis, collum laqueo nodatus ab arto,
E trabe sublimi triste pependit onus?
Cur aliquis rigido fodit sua uiscera ferro?
Inuidiam caedis, pacis amator, habes. 20
Qui, nisi desierit, misero periturus amore est,
Desinat: et nulli funeris auctor eris.
Et puer es; nec te quicquam, nisi ludere, oportet.
Lude: decent annos mollia regna tuos.
Nam poteras uti nudis ad bella sagittis: 25
Sed tua letifero sanguine tela carent.
Vitricus et gladiis et acuta dimicet hasta;
Et uictor multa caede cruentus eat.
Tu cole maternas, tuto quibus utimur, artes:
Et quarum uitio nulla fit orba parens. 30
Effice nocturna frangatur ianua rixa;
Et tegat ornatas multa corona fores.

Fac

13. *Ardens* optimus P. Vulgo *ardet*.

17. *Laqueo nod. ab arto* coni. Heins. e uestigiis P. praestantissimi et duorum al. qui habent *laqueum nod. ab alto*. Vulgo *laqueo collum nod. amator*.

19. *Viscera* P. et Exc. Iur. Vulgo *fodiat sua pectora*.

23. Vnus Heins. *Nam puer es*. Me. *En puer*. Alius *At*.

24. Al. *Decent animos*.

25. Multi *poteris*.

26. *Letifero sanguine* unus F. et pr. ed. Vulgo *mortifero uulnere*, meliores *sanguine*.

29. Le. *quibus uteris*.

30. L. cum al. *Ex quarum*. *Ib.* Fr. et Le, *nulla sit*.

Fac coëant furtim iuuenes, timidaeque puellae:
Verbaque dent cauto qualibet arte uiro.
Et modo blanditias, rigido modo iurgia posti 35
Dicat, et exclusus flebile cantet amans.
His lacrymis contentus eris sine crimine mortis.
Non tua sax auidos digna subire rogos.
Haec ego. mouit Amor gemmatas aureus alas;
Et mihi, Propositum perfice, dixit, opus. 40
Ad mea, decepti Iuuenes, praecepta uenite;
Quos suus ex omni parte fefellit amor.
Discite sanari, per quem didicistis amare:
Vna manus uobis uulnus opemque feret.
Terra salutares herbas, eademque nocentes, 45
Nutrit: et urticae proxima saepe rosa est.
Vulnus in Herculeo quae quondam fecerat hoste,
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.
Sed quaecunque uiris, uobis quoque dicta, puellae,
Credite. diuersis partibus arma damus. 50
E quibus ad uestros si quid non pertinet usus;
Attamen exemplo multa docere potest.
Vtile propositum, saeuas extinguere flammas;
Nec seruum uitii pectus habere sui.

33. P. 3. et tres al. *trepidaeque puellae*. Be. *cupidaeque*.
34. Al. *dent capto*.
36. Mo. *carmen amans*.
37. R. *comptus eris*, et a mann sec. *si comptus eris*. Vnus Heinf. *tu comptus eris*.
45. Al. *salutiferas herbas*.
Ibid. unus P. *eademque nociuas*.
47. Ita R. P. optimus et Ha. Vulgo *uulnus Achilleo*.
48. Vnus cod. *hasta fuit*.
54. *Vitii sui* R. 2. Vulgo *uitiis p. h. tuum*, uel *suum*.

Quidam

Vixiſſet Phyllis, ſi me foret uſa magiſtro; 55
Et per quod nouies, ſaepius iſſet iter.
Nec moriens Dido ſumma uidiſſet ab arce
Dardanidas uento uela dediſſe rates.
Nec dolor armaſſet contra ſua uiſcera matrem;
Quae ſocii damno ſanguinis ulta uirum eſt. 60
Arte mea Tereus, quamuis Philomela placeret,
Per facinus fieri non meruiſſet auis.
Da mihi Paſiphaën; iam tauri ponet amorem:
Da Phaedram; Phaedrae turpis abibit amor.
Redde Parin nobis; Helenen Menelaus habebit: 65
Nec manibus Danais Pergama uicta cadent.
Impia ſi noſtros legiſſet Scylla libellos;
Haeſiſſet capi i purpura, Niſe, tuo.
Me duce, damnoſas, homines, compeſcite curas:
Rect que cum ſociis, me duce, nauis eat. 70
Naſo legendus erat, tunc cum didiciſtis amare;
Idem nunc uobis Naſo legendus erit.
Publicus aſſertor dominis oppreſſa leuabo
Pectora: uindictae quiſque fauete ſuae.
Te precor, ô uates, adſit tua laurea nobis, 75
Carminis,

Quidam *uitii ſuum*, *uitii tuum*, *uitii tui*.

63. P. et ſex al. *deponet amorem*. Vnus *ſpernet am.*

66. *Danais* R. 1. P. 1. et Ar. Vulgo *Danaum*. *Ib.* plerique ueteres *uicta forent*.

67. Maz. *legiſſes*.

69. Vnus Heinſ. *damnoſos h. comp. mores*, alter *damnoſas flammas*.

73. *Dominis oppreſſa* reſcripſit Heinſ. quia in R. P. L. et Exc. Scal. eſt *dominis ſuppreſſa*. Exc. Iur. et duo al. *damnis ſuppreſſa*. Vulgo *uitiis ſuppreſſa*.

75. Al. *precor incipiens*. Exc. Iur. *precor, arcitenens*, quod placet Heinſ.

Carminis, et medicae, Phoebe, repertor opis.
Tu pariter laesi, pariter succurre medenti:
Vtraque tutelae subdita cura tuae.
Dum licet, et modici tangunt praecordia motus;
Si pige, in primo limine siste pedem. 80
Opprime, dum nouia sunt, subiti mala semina morbi;
Et tuus, nescipiens ire, resistat equus.
Non mora dat uires, teneras mora percoquit uuas:
Et uoli fas segetes, quod fuit herba, facit.
Quae praebet latas arbor spatiantibus umbras, 85
Quo posita est primum tempore, uirga fuit.
Tum poterat manibus summa tellure reuelli;
Nunc stat in immensum uiribus aucta suis.
Quale sit id, quod amas, celeri circumspice mente:
Et tua iucundo subtrahe colla iugo. 90
Principiis obsta. sero medicina paratur,
Cum mala per longas conualuere moras.
Sed propera: nec te ueniturus differ in horas.
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.
Verba dat omnis amor, reperitque alimenta morando. 95
Optima uindictae proxima quaeque dies.
Flumina pauca uides de magnis fontibus orta:
Plurima

77. Margo Bersm. *Tu melius.*
80. Duo scripti *siste gradum.*
83. Nonnulli *decoquit.*
84. Al. *quae fuit.*
88. Al. *acta suis.*
91. F. *paretur.*
92. Multi scripti *inualuere.*
93. P. 1. *profer in.*
95. Plerique MSS. et ed. *omnis amans. Ib.* Sa. *recipitque alim.*
97. Al. *Flum. magna uides paruis de.*

Plurima collectis multiplicantur aquis.
Si cito sensisses, quantum peccare parares,
Non tegeres uultus cortice, Myrrha, tuos. 100
Vidi ego, quod primo fuerat sanabile, uulnus
Dilatum longae damna tulisse morae.
Sed, quia delectat Veneris decerpere flores,
Dicimus assidue, Cras quoque fiet idem.
Interea tacitae serpunt in uiscera flammae; 105
Et mala radices altius arbor agit.
Si tamen auxilii perierunt tempora primi,
Et uetus in capto pectore sedit amor;
Maius opus superest: sed non, quia serior aegro
Aduocor, ille mihi destituendus erit. 110
Quam laesus fuerat partem Paeantius heros,
Certa debuerat praesecuisse manu.
Post tamen hic multos sanatus creditur annos
Supremam bellis imposuisse manum.
Qui modo nascentes properabam pellere morbos, 115
Admoueo tardam nunc tibi lentus opem.
Aut noua, si possis, sedare incendia tentes:
Aut ubi per uires procubuere suas.

Cum

103. P. R. et quatuor al. it. pr. ed. *decerpere fructum.* Multi *fructus*, uel *florem.*
104. Duo codd. *fiat idem.*
105. Vnus Heins. *placidae serpunt. Ib.* Sa. et Pa. *per uiscera.*
106. Vnus cod. *Vt mala.*
108. Septem Heins. *in cauto.*
111. *Quam* R. Vulgo *Qua.*
112. Ita P. et Iur. Vulgo *Debuerat celeri.*
115. R. *tollere morbos.*
116. Al. *nunc quoque.*
118. P. a manu pr. *succubuere.* Pat. *per longas succub. moras.*

Cum furor in cursu est, currenti cede furori.
Difficiles aditus impetus omnis habet. 120
Stultus, ab obliquo qui cum descendere possit,
Pugnat in aduersas ire natator aquas.
Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte,
Respuit, atque odio uerba monentis habet.
Aggrediar melius tunc, cum sua uulnera tangi 125
Iam sinet, et ueris uocibus aptus erit.
Quis matrem, nisi mentis inops, in funere nati
Flere uetet? non hoc illa monenda loco.
Cum dederit lacrymas, animumque expleuerit aegrum;
Ille dolor uerbis emoderandus erit. 130
Temporis ars medicina fere est, data tempore prosunt,
Et data non apto tempore uina nocent.
Quin etiam accendas uitia irritesque uetando;
Temporibus si non aggrediare suis.
Ergo, ubi uisus eris nostrae medicabilis arti, 135
Fac monitis fugias otia prima meis.
Haec, ut ames, faciunt: haec, ut fecere, tuentur:
Haec sunt iucundi causa cibusque mali.
Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemtaeque iacent, et sine luce, faces. 140

Quam

121. Al. *discedere possit.*
123. Sa. et Maz. *animi.*
129. Scripti cum pr. ed. *impleuerit.*
131. Ita ueterrimus R Vulgo *Temporibus medicina ualet.*
135. *Nostrae arti* R. P. et tres al. Vulgo *nostra arte* Duo codd. et ed. pr. *prima arte.*
137. Al. *quod fecere*, uel *quae fecere.*
138. Vnus Heins. *Haec tibi.* Pat. *mihi.*
140. Bo. *Deceptaeque iac.*

Quam platanus uino gaudet, quam populus unda,
Et quam limosa canna palustris humo;
Tam Venus otia amat. qui finem quaeris amoris,
(Cedit amor rebus) res age: tutus eris.
Languor, et immodici sub nullo uindice somni, 145
Aleaque, et multo tempora quassa mero,
Eripiunt omnes animis sine uulnere neruos,
Affluit incautis insidiosus Amor.
Desidiam puer ille sequi solet odit agentes.
Da uacuae menti, quo teneatur, opus. 150
Sunt fora: sunt leges: sunt, quos tuearis, amici:
Vade per urbanae candida castra togae.
Vel tu sanguinei iuuenilia munera Martis
Suscipe: deliciae iam tibi terga dabunt.
Ecce fugax Parthus, magni noua causa triumphi, 155
Iam uidet in campis Caesaris arma suis.
Vince Cupidineas pariter Parthasque sagittas:
Et refer ad patrios bina tropaea Deos.
Vt semel Aetola Venus est a cuspide laesa;
Mandat amatori bella gerenda suo. 160
Quaeritis, Aegisthus quare sit factus adulter?
In promtu causa est: desidiosus erat.
Pugnabant alii tardis apud Ilion armis:

Trans-

141. *Vino* R. Exc. Scal. Vulgo *riuo.* Tres scripti *limo.* Fr. a manu pr. *Phoebo.*

145. Al. *nullo iudice.* Ca. et alius *immodici tangunt praecordia motus.*

147. Al, *uulnere uires.*

148. Al. *Affuit incautis. Ib.* al. *desidiosus Amor.* Be. *inuidiosus.*

152. *Candida* cod. Iur. Vulgo *splendida.*

161. *Quaeritis* Exc. Scal. Vulgo *Quaeritur.*

Tranſtulerat uires Graecia tota ſuas.
Siue operam bellis uellet dare, nulla gerebat; 165
Siue foro, uacuum litibus Argos erat.
Quod potuit, fecit; ne nil ageretur, amauit.
Sic uenit ille puer: ſic puer ille manet.
Rura quoque oblectant animos, ſtudiumque colendi:
Quaelibet huic curae cedere cura poteſt. 170
Colla iube domitos oneri ſupponere tauros;
Sauciet ut duram uomer aduncus humum.
Obrue uerſata Cerealia ſemina terra,
Quae tibi cum multo foenore reddat ager.
Adſpice curuatos pomorum pondere ramos; 175
Vt ſua, quod peperit, uix ferat arbor onus.
Adſpice iucundo lubentes murmure riuos:
Adſpice tondentes fertile gramen oues.
Ecce petunt rupes praeruptaque ſaxa capellae.
Iam referent hoedis ubera plena ſuis. 180
Paſtor inaequali modulatur arundine carmen:
Nec deſunt comites, ſedula turba, canes.
Parte ſonant alia ſiluae mugitibus altae;

Et

164. Al. *Quo tulerat.* R. ueterrimus *Tranſtulerant.*

167. R. P. et Exc. Scalig. *Quod potuit, ne nil illic ageretur, amauit.*

171. Quidam *indomitos.* Ib. ed. pr. et duo ſcripti *oneri ſubmittere.*

173. F. *Cerealia munera.*

174. Vnus Heinſ. *cum iuſto foeu.*

177. Optimus P. pro diu. lect. *liquaces riuos.* Vnus Heinſ. *ludentes.*

179. Voſſ. *petunt montes.* Al. *ramos,* unde Burm. coni. *dumos.*

180. Al. *referunt.* Multi *Vt referant.*

181. Al. *moderatur arund.* Vnus Med. *meditatur.*

Et queritur uitulum mater abesse suum.
Quid? cum suppositas fugiunt examina taxos, 185
Vt releuent demti uimina torta faui?
Poma dat autumnus: formosa est messibus aestas:
Ver praebet flores: igne leuatur hiems.
Temporibus certis maturam rusticus uuam
Deligit; et nudo sub pede musta fluunt: 190
Temporibus certis desectas alligat herbas;
Et tonsam raro pectine uerrit humum.
Ipse potes riguis plantam deponere in hortis;
Ipse potes riuos ducere lenis aquae.
Venerit insitio; fac ramum ramus adoptet: 195
Stetque peregrinis arbor operta comis.
Cum semel haec animum coepit mulcere uoluptas,
Debilibus pennis irritus exit Amor.
Vel tu uenandi studium cole. saepe recessit
Turpiter a Phoebi uicta sorore Venus. 200
Nunc leporem pronum catulo sectare sagaci:
Nunc tua frondosis retia tende iugis.

Aut

185. *Suppositas taxos* emend. Heinsius Exc. Iur. *suppositos tax.* P. *compositos taxos.* Vulgo *suppositos fumos.* R. *compositos fumos.*

186. Apr. et Maz. *demto fauo. Ib. torta* optimus P. Vulgo *curua.*

191. Prima ed. et scripti nonnulli *colligit herbas.* Mo. pro diu. lect. *aggregat,* unde Heins. coni. *aggerat.*

192. Quidam scripti *uersat humum,* uel *uertit.*

193. Nonnulli *plant. deducere,* uel *desigere.*

194. L. *laetus aquae.*

201. Vnus Heins. *leporem paruum. Ib.* Iur. *sectare sequaci.*

202. Ed. Gryph. an. 1554. *Nunc in.*

Aut pauidos terre uaria formidine ceruos:
Aut cadat aduersa cuspide fossus aper.
Nocte fatigatum somnus, non cura puellae, 205
Excipit; et pingui membra quiete leuat.
Lenius est studium, studium tamen, alite capta,
Aut lino, aut calamis praemia parua sequi.
Vel, quae piscis edax auido male deuoret ore,
Abdere supremis aera recurua cibis. 210
Aut his, aut aliis, donec dediscis amare,
Ipse tibi furtim decipiendus eris.
Tu tantum i, quamuis firmis retinebere uinclis,
I procul, et longas carpere perge uias.
Flebis, ut occurret desertae nomen amicae: 215
Stabit et in media pes tibi saepe uia.
Sed quanto minus ire uoles, magis ire memento:
Perfer: et inuitos currere cogo pedes.
Nec pluuias uites: nec te peregrina morentur
Sabbata;

203. Pa. *Aut terre uictos.* *Ib.* unus Heins. *uana formidine.*

206. *Pingui* R. Exc. Scal. et P. pro diu. lect Vulgo *dulci.*

207. Edd. ueteres et scripti septemdecim *prodest tamen.*

210. Vnus Heins. *Abdere sub primis.* Multi *Addere.*

211. Sa. et al. *desistis amare.*

213. *Tu tamen i* a coniuge Heins. Scripti maiori ex parte cum pr. ed. *Tu tamen et.* Duo *Tu tamen infirmis quamuis.* P. 4. *Tu tamen hic quamuis.* Iur. et tres al. *Tu tandem firmis quamuis.*

215. *Vt occurret* a coni. Heins. Vulgo *et occurret.*

217. Al. *quando minus.* Vnus cod. *quo minus ire uides, tanto magis.* Alius *tanto ire mem.*

219. Duo F. et pr. ed. *uita*, unde Heins. fecit *uites*, Vulgo *opta*.

Sabbata; nec damnis Allia nota ſuis. 220
Nec quot tranſieris, ſed quot tibi, quaere, ſuperſint
Millia: nec, maneas ut prope, finge moras.
Tempora nec numera: nec crebro reſpice Romam.
Sed fuge. tutus adhuc Parthus ab hoſte fuga eſt.
Dura aliquis praecepta uocet mea; dura fatemur 225
Eſſe: ſed, ut ualeas, multa dolenda feres.
Saepe bibi ſuccos, quamuis inuitus, amaros
Aeger; et oranti menſa negata mihi.
Vt corpus redimas, ferrum patieris et igues;
Arida nec ſitiens ora leuabis aqua; 230
Vt ualeas animo, quicquam tolerare negabis?
At pretium pars haec corpore maius habet.
Sed tamen eſt artis ſtrictiſſima ianua noſtrae,
Et labor eſt unus tempora prima pati.
Adſpicis, ut prenſos urant iuga prima iuuencos? 235
Vt noua uelocem cingula laedat equum?
Forſitan a Laribus patriis exire pigebit.
Sed tamen exibis: deinde redire uoles.
Nec te Lar patrius, ſed amor reuocabit amicae,
Praetendens culpae ſplendida uerba ſuae. 240

Cum

220. Al. *damnis alea nata tuis.*

222. Al. *nec maneas, nec prope finge moras.*

225. R. *Iure aliquis mea dura uocat praecepta. Fatemur.*

230. Al. *ora lauabis.*

233. Duo codd. *haec artis. Strictiſſima* decem ſcripti. Vulgo *triſtiſſima.*

235. Al. *ut preſſos.* Fr. et Le. *teneros laedunt iuga.* Vnus *domitos urunt.* Decem *preſſos laedunt.*

240. Al. *Praetendes. Ib.* al. *culpae tuae.* Sa. *facta ſuae.* Quatuor al. *facta tuae.*

Cum semel exieris, centum solatia curae
Et rus, et comites, et uia longa dabunt.
Nec satis esse puta discedere: lentus abesto;
Dum perdat uires, sitque sine igne, cinis.
Si nisi firmata properabis mente reuerti, 245
Inferet arma tibi saeua rebellis Amor.
Quid? quod, ut abfueris, auidus sitiensque redibis;
Et spatium damno cesserit omne tuo?
Viderit, Haemoniae si quis mala pabula terrae,
Et magicas artes posse iuuare putat. 250
Ista ueneficii uetus est uia. noster Apollo
Innocuam sacro carmine monstrat opem.
Me duce non tumulo prodire iubebitur umbra:
Non anus infami carmine rumpet humum.
Non seges ex aliis alios transibit in agros: 255
Nec subito Phoebi pallidus orbis erit.
Vt solet, aequoreas ibit Tiberinus in undas:
Vt solet, in niueis Luna uehetur equis.
Nulla recantatas deponent pectora curas;
Nec fugiet uiuo sulfure uictus amor. 260

244. L. *sine igne rogus.*
247. Ita correxit Heins. Vnus V. et ed. Gryph. a. 1554. *et abfueris.* Vulgo *Quicquid eras fueris.* Vnus *Quisquis es affueris.* Duo *Quisquis et* Alius *Quicquid eris fueras.* Reliqui cum pr. ed. *Quicquid et abfueris.*
249. Scripti plerique *Fallitur Haemon.*
251. Vnus cod. et edd. quaedam *ueneficiis.*
253. At. *prodire uidebitur.*
254. Duo scripti et ed Micyll *insano carmine.*
255. P *exibit in agros.*
259. Mo. *Nullaque cantatas.* Vnus Heins. *Nulla replantatas.* Idem *pectore.*

Quid te Phasiacae iuuerunt gramina terrae,
Cum cuperes patria, Colchi, manere domo?
Quid tibi profuerunt, Circe, Perseïdes herbae,
Cum sua Neritias abstulit aura rates?
Omnia fecisti, ne callidus hospes abiret: 265
Ille dedit certae lintea plena fugae.
Omnia fecisti, ne te ferus ureret ignis:
Longus at inuito pectore sedit amor.
Vertere quae poteras homines in mille figuras:
Non poteras animi uertere iura tui. 270
Diceris his etiam, cum iam discedere uellet,
Dulichium uerbis detinuisse ducem:
Non ego, quod primo (memini) sperare solebam,
Iam precor, ut coniux tu meus esse uelis.
Et tamen, ut coniux essem tua, digna uidebar: 275
Quod Dea, quod magni filia Solis eram.
Ne properes oro: spatium pro munere posco.
Quid minus optari per mea uota potest?
Et freta mota uides; et debes illa timere.
Vtilior uelis postmodo uentus erit. 280
Quae tibi causa fugae? non hic noua Troia resurgit:
Non

263. Tres *Phasideae.* Vnus *Phasiadae.* Alius *Perseïdos.* Heins. uult *Phasiados.*

264. Al. *Cum tibi. Ibid.* scripti plerique perperam *Naricias. Ib.* al. *hora rates.*

268. Al. *et inuito,* uel *in inuito. Ibid.* P. et al. nonnulli *mansit amor.*

275. Iun. *Sed tamen.* Leid. *Vt tamen.*

279. Vnus Heins. *freta magna.*

280. Quatuor libri *Vtilius tempus.*

281. Al. *resurget.*

Non alius ſocios Rheſus ad arma uocat.
Hic amor, hic pax eſt; in qua male uulneror una
Totaque ſub regno terra futura tuo eſt.
Illa loquebatur: nauem ſoluebat Vlixes: 285
Irrita cum uelis uerba tulere Noti.
Ardet, et adſuetas Circe decurrit ad artes:
Nec: tamen eſt illis attenuatus amor.
Ergo age, quiſquis opem noſtra tibi poſcis ab arte,
Deme ueneficiis carminibusque fidem. 290
Si te cauſa potens domina retinebit in Vrbe;
Accipe, conſilium quod ſit in Vrbe meum.
Optimus ille fuit uindex, laedentia pectus
Vincula qui rupit, dedoluitque ſemel.
Si cui tantum animi eſt, illum mirabor et ipſe: 295
Et dicam, Monitis non eget ille meis.
Tu mihi, qui, quod amas, aegre dediſcis amare;
Nec potes, et uelles poſſe, docendus eris.
Saepe refer tecum ſceleratae facta puellae;
Et pone ante oculos omnia damna tuos. 300
Illud et illud habet: nec ea contenta rapina
Sub titulum noſtros miſit auara lares.

282. *Alius* a coni. Heinſ. pro uulg. *aliquis*. *Rheſus* optimus P. et Arg. Vulgo *rurſus*. *Ib.* unus F. *in arma.*
286. P. *cum uotis.*
287. Vnus P. *et aſſiduas. Ib.* nonnulli ed. et ſcripti *Circe tendebat.*
289. *Age* unus R. Vulgo *Ergo quiſquis.*
291. *Domina* R. et ed. Gryph. a. 1554. Reliqui fere *dominae.*
295. *Si cui* duo Heinſ. Vulgo *Sed cui.*
297. Al. *Tu modo.* Vnus *Tu modo quicquid.*
299. Al. *uerba puellae*, aut *dicta.* Sa. *regna.*
302. Multi *Sub titulo.*

Sic mihi iurauit: ſic me iurata fefellit,
Ante ſuam quoties paſſa iacere forem!
Diligit ipſa alios; a me faſtidit amari. 305
Inſtitor heu noctes, quas mihi non dat, habet!
Haec tibi per totos inaceſcant omnia ſenſus;
Haec refer; hinc odii ſemina quaere tui.
Atque utinam poſſis etiam facundus in illis
Eſſe! dole tantum; ſponte diſertus eris. 310
Haeſerat in quadam nuper mea cura puella;
Conueniens animo non erat illa meo.
Curabar propriis aeger Podalirius herbis;
Et (fateor) medicus turpiter aeger eram.
Profuit aſſidue uitiis inſiſtere amicae. 315
Idque mihi factum ſaepe ſalubre fuit.
Quam mala ſunt noſtrae, dicebam, crura puellae!
Nec tamen, ut uere confiteamur, erant.
Brachia quam non ſunt noſtrae formoſa puellae!
Et tamen, ut uere confiteamur, erant. 320
Quam breuis eſt! nec erat. quam multum poſcit amantem!
Hinc odio uenit maxima cauſa meo.
Et mala ſunt uicina bonis. errore ſub illo
Pro uitio uirtus crimina ſaepe tulit.

Quam

304. *Suam forem* unus Heinſ. Vulgo *ſuas fores.*
315. R. *aſſiduae.*
318. Al. *uerum.*
319. Hoc diſtichon deerat in L. Fr. et in antiquis quibusdam edd. ut Ald. priore.
320. *Et tamen* P. et Arg. Vulgo *Nec tamen.*
321. *Nec erat* P. cum duobus al. et ed. Gryph. a. 1554. Vulgo *et erat.*
322. Scripti plerique *Haec odio.*

Quam potes, in pectus dotes deflecte puellae: 325
Iudicium que breui limite falle tuum.
Turgida, si plena est; si fusca est, nigra uocetur.
In gracili macies crimen habere potest.
Et poterit dici petulans, quae rustica non est:
Et poterit dici rustica, si qua proba est. 330
Quin etiam, quacunque caret tua femina dote,
Hanc moueat, blandis usque precare sonis.
Exige quod cantet, si qua est sine uoce puella:
Fac saltet, nescit si qua mouere manum.
Barbara sermone est; fac tecum multa loquatur. 335
Non didicit chordas tangere; posce lyram.
Durius incedit; fac inambulet. omnie papillae
Pectus habent tumidae; fascia nulla tegat.
Si male dentata est; narra, quod rideat, illi.
Mollibus est oculis, quod fleat illa, refer. 340
Proderit et subito, cum se non finxerit ulli,
Ad dominam celeres mane tulisse gradus.
Auferimur cultu: gemmis auroque teguntur
Omnia. pars minima est ipsa puella sui.
Saepe, ubi sit, quod ames, inter tam multa requiras. 345

325. Al. *Qua potes.*
331. Al. *tua dote puella.*
332. Ed. Micyll. et aliae uitiose *Hanc maneat.* R. et L. *moneas.* Quatuor *moueas.*
333. Quidam *ut cantet*, et *uti cantet.*
334. *Manum* R. et pro diu. ect. P. et L. Vulgo *pedem.*
337. *Inambulet* R. et Exc. Scal Vulgo *ut ambulet.*
338. Vulgo *Pectus habent: uitium*
339. *Illi* R Vulgo *illa*, uel *ipsa.*
344. Nonnulli *Crimina* pro *Omnia.*

Decipit hac oculos aegide diues Amor.
Improuiſus ades; deprendes tutus inermem:
Infelix uitiis excidet illa ſuis.
Nec tamen huic nimium praecepto credere tutum eſt;
Fallit enim multos forma ſine arte decens. 350
Tum quoque, cum poſitis ſua collinet ora uenenis,
Ad dominae uultus (nec pudor obſtet) eas.
Pyxidas inuenies, et rerum mille colores;
Et fluere in tepidos oeſypa lapſa ſinus.
Illa tuas redolent, Phineu, medicamina menſas: 355
Non ſemel hinc ſtomacho nauſea facta meo.
Nunc tibi, quae medio Veneris praeſtentur in uſu,
Eloquar. ex omni parte fugandus amor.
Multa quidem ex illis pudor eſt mihi dicere: ſed tu
Ingenio uerbis concipe plura meis. 360
Nuper enim noſtros quidam carpſere libellos;
Quorum cenſura Muſa proterua mea eſt.
Dummodo ſic placeam, dum toto canter in orbe;
Quod uolet, impugnent unus et alter opus.
Ingenium magni Liuor detrectat Homeri: 365
Quiſquis es, ex illo, Zoïle, nomen habes.
Et tua ſacrilegae laniarunt carmina linguae,

Per-

348. Al. *ipſe ſuis.*
350. Al. *multas.*
351. Ita P. cum quinque al. Vulgo *compoſitis ſua cum linit.*
354. Vnus P. Maz. et duo al *Effluere.* R. *Defluet.*
357. P. et quatuor al. *medios in uſus. Ib. Praeſtentur* unus F. Vulgo *praeſtemus.* P. et Iur. *praeſtamus.*
364. Vulgo *Quam uolet.* Quidam *Qui uolet, Quam libet, Quo libet, Qua ualet, Quo uolet, Quum uolet.*

Pertulit huc uictos quo duce Troia Deos.
Summa petit liuor: perflant altissima uenti:
Summa petunt dextra fulmina missa Iouis. 370
At tu, quicunque es, quem nostra licentia laedit;
Si Deus, d numéro exige quidque tuos.
Fortia Maeonio gaudent pede bella referri.
Delicias hic quis locus esse potest?
Grande sonant Tragici; Tragicos decet ira cothurno se: 75
Vsibus e medis soccus habendus erit.
Liber in aduersos hostes stringatur Iambus;
Seu celer, extremum seu trahat ille pedem.
Blanda pharetratos Elegeïa cantet Amores:
Et leuis arbitrio ludat amica suo. 380
Callimachi numeris non est dicendus Achilles:
Cydippe non est oris, Homere, tui.
Quis ferat Andromaches peragentem Thaïda partes?
Peccat, in Andromache Thaïda si quis agat.
Thaïs in Arte mea: lasciuia libera nostra est. 385
Nil mihi cum uitta: Thaïs in Arte mea est.
Si mea materiae respondet Musa iocosae,
Vicimus, et falsi criminis acta rea est.
Rumpere, Liuor edax; iam magnum nomen habemus:
Maius erit; tantum, quo pede coepit, eat. 390

375. R. et Fr. *Tragici*; *tumidos decet*.
376. *Vsibus e med.* R. unde Heinf. coni. *Lusibus*. P. *Versibus e modicis*. Reliqui plerique *Versibus in mediis*. *Ibid.* unus Heinf. *eris*.
380. R. *laudet amica*. Plures *plaudat*. Vnus *laudet*.
381. Voss. *est tractandus*.
385. Voss. *libera nobis*.
386. Edd. priscae et plures scripti *Nil mihi cum nupta est*.

Sed nimium properas: uiuam modo; plura dolebis:
Et capiunt animi carmina multa mei.
Nam iuuat, et ſtudium famae mihi creſcit amore:
Principio clini ueſter anhelat equus.
Tantum ſe nobis Elegi debere fatentur; 395
Quantum Virgilio nobile debet opus.
Hactenus inuidiae reſpondimus. attrahe lora
Fortius; et gyro curre, poëta, tuo.
Ergo ubi concubitus, et opus iuuenile petetur;
Et prope promiſſae tempora noctis erunt; 400
Gaudia ne dominae, pleno ſi pectore ſumes,
Te capiant; ineas quamlibet ante uelim.
Quamlibet inuentas, in qua tibi prima uoluptas
Deſinat: a prima proxima ſegnis erit.
Suſtentata Venus gratiſſima. frigora ſoles, 405
Sole iuuant umbrae: grata fit unda ſiti.
Et pudet, et dicam, Venerem quoque iunge figura,
Qua

392. *Capiunt* R. Al. *capient animi*. Vulgo *capient anni*. *Ib.* al. *carmina plura*. Pol. *capient animi carmina magna mei*.

393. Al. *creſcit honore*. Pat. unus *honeſtae* R. et P. a manu pr. *creuit honori*, alii ſex *creſcit honori*. Vnus V. *credit*. Hinc Heinſ. coni. *ceſſit honori*, uel *cedit*.

394. *Veſter* R. et tres al. Vulgo *noſter*.

397. Hinc in antiquis edd. liber ſecundus incipiebat. Sed in P. R. et ſeptem al. continuantur uerſus uno tenore.

398. P. et duo al. *Fortiter*.

399. Fr. *petuntur*. Heinſ. uult *petentur*.

401. *Pectore* P. Exc. Iur. et al. nonnulli. Vulgo *corpore*.

404. Vnus R. *Decidat* uel *Occidat*.

405. Sa. et quinque al. *frigora ſole*. Totidem *frigora ſoles*.

407. 408. Ita R. P. pro diu. lect. et duo al. Alter R. *finge figura*. Vulgo *Veneris qu. i. ſt-*

Qua mia me iungi quamque decere putes.
Nec labor efficere est. rarae sibi uera fatentur;
Et nihil est, quod se dedecuisse putent. 410
Tunc etiam iubeo totas aperire fenestras,
Turpiaque admisso membra notare die.
At, simul ad metas uenit finita uoluptas,
Lassaque cum tota corpora mente iacent;
Dum piget, et nullam malis tetigisse puellam, 415
Tacturusque tibi non uideare diu;
Tunc animo signa, quodcunque in corpore mendae est:
Lumineque in uitiis illius usque tene.
Forsitan haec aliquis (nam sunt quoque) parua uocabit:
Sed, quae non prosunt singula, multa iuuant. 420
Parua necat morsu spatiosum uipera taurum:
A cane non magno saepe tenetur aper.
Tu tantum numero pugna; praeceptaque in unum
Contrahe: de multis grandis aceruus erit.

Sed

guram. Seq. uersu libri melior. *quaque decere.* R. et multi al. *decere putas,* Heins. coni. *potest.* Cod. Iur. et P. *Veneri qu. i. figuram, Quam min. i. quamque d. putes.*

409. *Rarae sibi* alter R. Vulgo *raro tibi.* P. et edd. nonnullae *rarae tibi.* R. *rara est tibi.*

411. Alter R. *iubeas.*

413. Quidam *ad metam uenit properata.* Tres libri *ueniet.*

414. Boxh. *Laxaque.*

415. Vulgo *malles tet.*

416. Edd. priscae et tres scripti *Facturusque.*

417. Vulgo *quaecunque in c. menda.* Quidam *Quodcunque mendum.*

423. 424. Quidam libri *Tu tamen et, Tu tamen in, Tu tantum in. Ib.* Le. et margo Bersm. *perceptaque. Ib.* P. *in usum.* Quinque *in unum Colligo.*

Sed quoniam mores totidem, totidemque figurae; 425
Non ſunt iudiciis omnia danda meis.
Quo tua non poſſunt offendi pectora facto;
Forſitan hoc alio iudice crimen erit.
Ille quod obſcenas in aperto corpore partes
Viderat; in curſu qui fuit, haeſit amor: 430
Ille quod, a Veneris rebus ſurgente puella,
Vidit in immundo ſigna pudenda toro.
Luditis, ô, ſi quos potuerunt iſta mouere.
Afflarant tepidae pectora ueſtra faces.
Attrahat ille puer contentos fortius arcus: 435
Saucia maiorem turba petetis opem.
Quid? qui clam latuit, reddente obſcena puella;
Et uidit, quae mos ipſe uidere uetat?
Dî melius, quam nos moneamus talia quemquam!
Vt proſint, non ſunt experienda tamen. 440
Hortor et, ut pariter binas habeatis amicas.
Fortior eſt, plures ſi quis habere poteſt.
Secta bipartito cum mens diſcurrit utroque:
Alterius uires ſubtrahit alter amor.
Grandia per multos tenuantur flumina riuos, 445
Caſſaque ſeducto ſtipite flamma perit.

Non

425. P. et unus Le. *mores totidem, quot in orbe figurae.*
426. Quidam *indiciis. Ibid.* duo *digna meis.*
431. VnusHeinſ. *in Veneris uſu.*
433. Al. *iſta iuuare.*
435. Al. *Attrahet.*
437. Pat. *radente obſcena,* Sa. *radenti obſc. puellae.*
438. Al. *mox ipſe,* uel *ipſa.*
440. Ald. poſterior, Gryph. et recentiores quaedam *expedienda tamen.* Bo. *expedienda tibi.* Duo ſcripti *excipienda.*
446. *Haeſaque* uel *Caſſaque* R. Prima ed. et multi ſcripti

Non ſatis una tenet ceratas anchora puppes:
  Non ſatis eſt liquidis unicus hamus aquis.
Qui ſibi iam pridem ſolatia bina parauit;
  Iam pridem ſumma uictor in arce fuit. 450
At tibi, qui dominae fueris male creditus uni,
  Nunc ſaltem nouus eſt inueniendus amor.
Paſiphaës Minos in Procride prodidit ignes:
  Ceſſit ab Idaea coniuge uicta prior.
Amphilochi frater ne Phegida ſemper amaret, 455
  Callirhoë fecit parte recepta tori.
Et Parin Oenone ſummos tenuiſſet ad annos,
  Si non Oebalia pellice laeſa foret.
Coniugis Odryſio placuiſſet forma tyranno:
  Sed melior clauſae forma ſororis erat. 460
Quid moror exemplis, quorum me turba fatigat?
  Succeſſore nouo uincitur omnis amor.
Fortius e multis mater deſiderat unum;
  Quam cui flens clamat, Tu mihi ſolus eras.
Ac ne forte putes noua me tibi condere iura; 465
(Atque

Magnaque. Octo *Lataque.* Quidam *Lentaque*, *Altaque*, *Multaque*, *Cunctaque*, *Totaque*, *Laeſaque*, *Laetaque.* Iur. cum al. *Sectaque ſubducto. Seducto* R. et ſeptem al.

453. *Procride* P. Vulgo *Prognide.* Nonnulli *Pronide.* R.1. *Prognaede.* Vnus Pat. *Progride.* Alii aliter. *Ib. prodidit.* P. et duo aut tres al. Vulgo *perdidit.*

455. *Phegida* repoſuit Nauger. Vulgo *Phagida.*

457. *Parin Oenone* R. Vulgo *Paris Oenonen.*

463. *Fortius* reſcripſit Heinſ. e R. in quo *Foritus.* Vulgo *Parcius.*

464. *Quam cui* a coni. Heinſ. Vulgo *Quam quae.* Sa. *qui flens.*

465. Ar. *prodere iura.* Plurimi ſcripti *tradere.* P. 4. *fin.*

(Atque utinam inuenti gloria nostra foret!)
Vidit id Atrides. quid enim non ille uideret,
Cuius in arbitrio Graecia tota fuit?
Marte suo captam Chryseïda uictor amabat:
At senior stulte flebat ubique parens. 470
Quid lacrymas, odiose senex? bene conuenit illis.
Officio natam laedis, inepte, tuo.
Quam postquam reddi Calchas, ope tutus Achillis,
Iusserat, et patria est illa recepta domo;
Est, ait Atrides, illi quam proxima forma; 475
Et, si prima sinat syllaba, nomen idem:
Hanc mihi, si sapiat, per se concedat Achilles:
Si minus; imperium sentiat ille meum.
Quod si quis uestrum factum hoc incusat, Achiui;
Est aliquid ualida sceptra tenere manu. 480
Nam, si Rex ego sum, nec mecum dormiet illa,
In mea Thersites regna, licebit, eat.
Dixit; et hanc habuit solatia magna prioris;
Et prior est cura cura sepulta noua.

Ergo

gere. Sa. *me contendere.*

469 Quinque scripti *raptam Chrys. Ib* unus P. *amarat.* P. 1. et duo al. *habebat.*

471. *Conuenit illis* optimi R. et P. Prima ed. et scripti fere omnes *conuenit illi.* Vulgo editum *contigit illi.*

473 F. *Achilli.*

474 Fr. pro uar. lect. *patrio sinu.*

475. Vulgo *Atrides ait, est illius proxima forma. Illi quam* a coni. Heinl. *Illius iam est* Iur. et P.

476. *Syllaba* R. L. et unus Heins. Vulgo *littera.*

479. Al. *accusat.*

483. Voss. et Heins. *solatia bina.*

484. Vnus P. et L. *Et prior est posita. Ib. sepulta* P. et L. Vulgo *repulsa.*

Ergo assume nouas, auctore Agamemnone, flammas; 485
Vt tuus in biuio distineatur amor.
Quaeris, ubi inuenias? artes, i, perlege nostras.
Plena puellarum iam tibi nauis eat.
Quod si quid praecepta ualent mea, si quid Apollo
Vtile mortales perdocet ore meo; 490
Quamuis infelix media torreberis Aetna;
Frigidior glacie fac uideare tuae.
Et sanum simula; ne, si quid forte dolebis,
Sentiat: et ride, cum tibi flendus eris.
Non ego te iubeo medias abrumpere curas: 495
Non sunt imperii tam fera iura mei.
Quod non es, simula; positosque imitare furores:
Sic facies uere, quod meditatus eris.
Saepe ego, ne biberem, uolui dormire uideri:
Dum uideor, somno lumina uicta dedi. 500
Deceptum risi, qui se simulabat amare;
In laqueos auceps decideratque suos.
Intrat amor mentes usu: dediscitur usu.
Qui poterit sanum fingere, sanus erit.
Dixerit, ut uenias pacta tibi nocte, uenito. 505
Veneris, et fuerit ianua clausa; feras.

Nec

485. P. *nouas curas.*
486. *Distineatur* R. et Exc. Scal. Vulgo *detineatur.* Sa. *destituatur.*
487. *I, perlege* R Vulgo *tu perl.* Duo *en perl.* Totidem et pr ed. *iam perlege.*
488. Vulgo *nauis erit.*
490. Al. *edocet.*
492. *Glacie* P. et unus Le. Vulgo *dominae.*
495. Al. *abrumpere flammas.*
496. *Iura* P. et duo al. ex melior. Vulgo *iussa.*
497. Al. *non est.*
504. V. *poteris*, et *eris.*

Nec dic blanditias, nec dic conuicia posti,
Nec latus in duro limine pone tuum.
Postera lux aderit; careant tua uerba querelis:
Et nulla in uultu signa dolentis habe. 510
Iam ponet fastus, cum te languere uidebit:
Hoc etiam nostra munus ab arte feres.
Te quoque falle tamen, nec sit tibi finis amandi.
Propositis frenis saepe repugnat equus.
Vtilitas lateat; quod non profitebere fiet: 515
Quae nimis apparent retia, uitat auis.
Ne sibi tam placeat, quo te contemnere possit;
Sume animos: animis cedat ut illa tuis.
Ianua forte patet; quamuis reuocabere, transi.
Est data nox; dubita nocte uenire data. 520
Posse pati facile est; tibi ni sapientia desit;
Promtius e facili gaudia ferre licet.

Et

507. Multi scripti e melior. et prima ed. *fac conuicia* Iur. et lex Heins. *fer conuicia*. P. pro diu. lect. *fac incendia posti*. Duo codd. *rigidonec iurgia posti*.

510. Multi codd. *doloris*, uel *pudoris*.

513. Ita R. *Falle tamen* etiam Exc. Pol. et unus Heins. Vulgo *fallet amor, dum sit*. P. *Tunc quoque fallit amor, ne sit*. Fr. *Te quoque falle tibi*. Multi *fallat*. Sa *dum sit tibi*. Quidam *nisi sit*: *ne*: *ni*: *ut*.

514. Le. *Oppositis*. Multi scripti et quidam ed. *Praepositis*.

517. *Sibi* P. pro diu. lect. cum Pat. et R. Vulgo *tibi*. *Ib. quo te* unus Heins. pro diu. lect. Vulgo *ut te*. Scripti plerique et pr. ed. *quod te*. R. *nec te*.

521. R. *ubi sapientia*. Vulgo *tibi ni patientia*.

522. *Promtius* P. a manu pr. Vulgo *Protinus*. *Ib.* unus V. *gaudia magna feres*.

Et quiſquam praecepta poteſt mea dura uocare?
En etiam partes conciliantis ago.
Nam, quoniam uariant animi, uariamus et artes. 525
Mille mali ſpecies, mille ſalutis erunt.
Corpora uix ferro quaedam ſanantur acuto:
Auxilium multis ſuccus et herba fuit.
Mollior es, nec abire potes, uinctusque teneris;
Et tua ſaeuus Amor ſub pede colla premit; 530
Deſine luctari; referant tua carbaſa uenti:
Quoque uocant fluctus, hac tibi remus eat.
Explenda eſt ſitis iſta tibi, qua perditus ardes.
Cedimus: in medio iam licet amne bibas.
Sed bibe plus etiam, quam quod praecordia poſcunt: 535
Gutture fac pleno ſumta redundet aqua.
Perfruere uſque tua, nullo prohibente, puella.
Illa tibi noctes auferat, illa dies.
Taedia quaere. malis faciunt et taedia finem.
Iam quoque, cum credas poſſe carere, mane. 540
Dum bene te cumules, et copia tollat amorem;
E faſtidita non iuuet iſſe domo.

Fit

523. Tredecim *ſaeua uocare.*
525. *Variamus et* P. Vulgo *uariabimus.*
528. Quidam codd. *herba tulit*, uel *dedit.*
530. Multi *colla tenet.*
537. *Perfruere* cod. Scal. et unus V. Al. *Vtere et.* R. et P. cum al. *Et fruere.* Duo *Sic fruere*, R. alter *In fruere*, unde Heinſ. coni. *I, fruere.*
539. Ita reſcripſit et diſtinxit Heinſ. Vulgo *quaere mali: faciunt et.*
540. Al. *creder.*
541. Al. *cumulas*, et *tollit.*
542. *E faſtidita* a coni. Heinſ. Vulgo *Et faſtidita.* Cod. Scal. et unus V. *Infaſtidita.*

Fit quoque longus amor, quem diffidentia nutrit.
Hunc tu si quaeris ponere; pone metum.
Qui timet, ut sua sit, neu quis sibi detrahat illam; 545
Ille Machaonia uix ope sanus erit.
Plus amat e natis mater plerumque duobus,
Pro cuius reditu, quod gerit arma, timet.
Est prope Collinam templum uenerabile portam:
Imposuit templo nomina celsus Eryx. 550
Est illic Lethaeas Amor, qui pectora sanat;
Inque suas gelidam lampadas addit aquam.
Illic et iuuenes uotis obliuia poscunt:
Et si qua est duro capta puella uiro.
Is mihi sic dixit: (dubito, uerusne Cupido, 555
An somnus fuerit; sed puto somnus erat.)
O qui sollicitos modo das, modo demis, amores,
Adiice praeceptis hoc quoque, Naso, tuis.
Ad mala quisque animum referat sua; ponet amorem:
Omnibus illa Deus plusue minusue dedit. 560
Qui Puteal Ianumque timet, celeresque Kalendas,
Torqueat hunc aeris mutua summa sui.
Cui pater est durus, uotis ut caetera cedant,
Huic pater ante oculos durus habendus erit.

Hic

fidita. Ib. al. *non libet. Ipse* a coni. Heinf. Vulgo *esse.*
545. *Neu* pro *ne* reposuit Heinf. *Ib.* al. *subtrahat illam.*
546. Al. *tutus erit.* Vnus *saluus.* Pat. *sanus erat*, unde Heinf. legit *eat.*
551. Vnus Heinf. *pectora fouit.* Alius *uulnera sanat.*
557. R. *sollicitus.*
564. Tres scripti *semper habendus.*

Hic male dotata pauper cum coniuge uiuit: 565
Vxorem fato credat obesse suo.
Est tibi rure bono generosae fertilis uuae
Vinea: ne nascens uua sit usta, time.
Ille habet in reditu nauim: mare semper iniquum
Cogitet, et damno litora foeda suo. 570
Filius hunc miles, te filia nubilis angant
Et quis non causas mille doloris habet?
Vt possis odisse tuam, Pari, funera fratrum
Debueras oculis substituisse tuis.
Plura loquebatur; placidum puerilis imago 575
Destituit somnum: si modo somnus erat.
Quid faciam? media nauim Palinurus in unda
Deserit. ignotas cogor inire uias.
Quisquis amas (loca sola nocent) loca sola caueto.
Quo fugis? in populo tutior esse potes. 580
Non tibi secretis (augent secreta furores)

565. Pol. et Ca. *coniuge dormit.*

566. Scripti plerique *facto credat adesse*, uel *abesse.*

567. Tres scripti *rure nouo.*

568. V. *crescens uua.*

570. Al. *litora saeua* Duo codd. *plena.* Heins. coni. *foeta.*

571. Al. *hunc filia.*

572. Vnus Mo. *mille salutis.*

574. Scripti plerique cum Exc. Iur. et Scal. *sustinuisse.* Exc. Pol. et sex al. codd. *praeposuisse.* Ed. Gryph. an. 1554. *Debueras animo saepe referre tuo.*

575. 576. Scripti nonnulli et prima ed. *placide* et *somnus*, uel *Destituor somno.* Vnus Heins. et ed. Micyll. *somnus.*

581. 582. Ita R. *Non* etiam P. *Secretis* etiam Fr. Vulgo *Nam tibi secretos augent secreta furores. Est opus auxilio: turba futura tibi est.* P. *in populo turba.*

Eſt opus : auxilio turba futura tibi eſt.
Triſtis eris, ſi ſolus eris: dominaeque relictae
Ante oculos facies ſtabit, ut ipſa, tuos.
Triſtior idcirco nox eſt, quam tempora Phoebi: 585
Quae releuet luctus, turba ſodalis abeſt.
Nec fuge colloquium: nec ſit tibi ianua clauſa:
Nec tenebris uultus flebilis abde tuos.
Semper habe Pyladen, qui conſoletur Oreſten.
Hic quoque amicitiae non leuis uſus erit. 590
Quid niſi ſecretae laeſerunt Phyllida ſiluae?
Certa necis cauſa eſt: incomitata fuit.
Ibat, ut Edono referens trieterica Baccho
Ire ſolet fuſis barbara turba comis.
Et modo, qua poterat, longum ſpectabat in aequor: 595
Nunc in arenoſa laſſa iacebat humo.
Perfide Demophoon, ſurdas clamabat ad undas:
Ruptaque ſingultu uerba dolentis erant.
Limes erat tenuis, longa ſubnubilus umbra:
Quo tulit illa ſuos ad mare ſaepe pedes. 600
Nona terebatur miſerae uia. Videris, inquit:

Et

586. Al. *Quaeque leuet.* Tres Berſin. *Quae releues.* Pro *luctus* unus P. *fletus.*

Ibid. R. et Iur. *turba fidelis.*

588. Al. *luctus flebilis adde.* R. et pr ed. *abde tuis.*

589. Ita tres Heinſ. Vulgo *Pyladen aliquem, qui curet Oreſten.* Me *Pyladen, qui te procuret.* Duo *ſocium qui curet.*

593. Scripti ut *Aedonio* uel *Aonio. Ib.* Sa. *celebrans trieterica.*

595. Al. *latum in aequor.*

598. R. et P. *Raptaque ſingultu Ib. dolentis.* R. pro diu. lect. et ſeptem al. Vulgo *loquentis.*

601. *Videris* optimus Pat. Vulgo *uiderit.*

Et ſpectat zonam pallida facta ſuam.
Adſpicit et ramos: dubitat, refugitque quod audet:
Et timet: et digitos ad ſua colla refert.
Sithoni, tunc certe uellem non ſola fuiſſes: 605
Non fleres poſitis Phyllida, ſilua, comis.
Phyllidis exemplo nimium ſecreta timete,
Laeſe uir a domina, laeſa puella uiro.
Praeſtiterat iuuenis, quicquid mea Muſa iubebat;
Inque ſuae portu pene ſalutis erat. 610
Recidit, ut cupidos inter deuenit amantes:
Et, qua condiderat, tela reſumſit Amor.
Si quis amas, nec uis; facito contagia uites.
Haec etiam pecori ſaepe nocere ſolent.
Dum ſpectant oculi laeſos, laeduntur et ipſi: 615
Multaque corporibus tranſitione nocent.
In loca nonnunquam ſiccis arentia glebis
De prope currenti flumine manat aqua.
Manat amor tectus, ſi non ab amante recedas:
Turbaque in hoc omnes ingenioſa ſumus. 620
Alter item iam ſanus erat; uicinia laeſit.
Occurſum dominae non tulit ille ſuae.
Vulnus in antiquum rediit male firma cicatrix;

606. *Fleres* duo Heinſ. et duo al. Vulgo *fleſſet*. Iur. et ſeptem al. *fleſſes*.
607. Al *ſecreta cauete*.
611. *Recidit* R. et Exc.Scal. Vulgo *Decidit* Duo *Accidit*.
612. *Condiderat* Sa. R. alter et unus V. Vulgo *deciderant*. Plerique ueteres *conciderant*. Vnus *ceciderant*. Alius *reciderant*.
618. Vnus Heinſ. *prope labenti*, alter *mananti*.
623. Plurimi ed. et ſcripti *male ſana*.

Succeſſumque artes non habuere meae.
Proximus a tectis ignis defenditur aegre: 625
Vtile finitimis abſtinuiſſe locis.
Nec, quae ferre ſolet ſpatiantem porticus illam,
Te ferat: officium neue colatur idem.
Quid iuuat admonitu tepidam recaleſcere mentem?
Alter, ſi poſſis, orbis habendus erit. 630
Non facile eſuriens poſita retinebere menſa:
Et multam ſaliens incitat unda ſitim.
Non facile eſt uiſa taurum retinere iuuenca:
Fortis equus uiſae ſemper adhinnit equae.
Haec ubi praeſtiteris, ut tandem litora tangas, 635
Non ſatis eſt ipſam deſeruiſſe tibi.
Et ſoror, et mater ualeant, et conſcia nutrix,
Et quicquid dominae pars erit ulla tuae.
Nec ueniat ſeruus: nec flens ancillula fictum
Suppliciter dominae nomine dicat, Aue. 640
Nec, ſi ſcire uoles, quid agat tamen illa, rogabis.
Perfer: erit lucro lingua retenta ſuo.
Tu quoque, qui cauſam finiti reddis amoris,

De-

632. *Multam* Ba. et pr. ed. Vulgo *multum*.
634. Edd. priſcae et quatuor ſcripti *uiſa equa*. Vnus Heinſ. *uiſam equam*
636. Vnus Heinſ. *deſtituiſſe tibi*.
638. *Quicquid* quinque Heinſ. Vulgo *quiſquis*.
639. Vnus cod. *ancillula furtim*.
641. Edd. uett. *tamen, ipſe rogabis*.
642. *Profer* prima ed. cum P. et tribus al. Vulgo *Perfer*. *Ib. ſuo* R. Vulgo *tuo*.
643. Ita P R. Exc. Scal. et tres al. P. pro diu. lect. cum al. *finito reddis amori*. Multi *finiti quaeris amoris*.

Deque tua domina multa querenda refers;
Parce queri. melius sic ulciscêre tacendo; 645
Dum desideriis effluat illa tuis.
Et malim taceas, quam te desisse loquaris.
Qui nimium multis, Non amo, dicit, amat.
Sed meliore fide paullatim extinguitur ignis,
Quam subito. lente desine; tutus eris. 650
Flumine perpetuo torrens solet acrius ire.
Sed tamen haec breuis est, illa perennis aqua.
Fallat, et in tenues euanidus exeat auras,
Perque gradus molles emoriatur amor.
Sed modo dilectam scelus est odisse puellam: 655
Exitus ingeniis conuenit iste feris.
Non curare sat est. odio qui finit amorem,
Aut amat, aut aegre desinet esse miser.
Turpe, uir et mulier, iuncti modo, protinus hostes:
Non illas lites Appias ipsa probat. 660
Saepe reas faciunt, et amant. ubi nulla simultas
Incidit, admonitu liber aberrat amor.

645. Al. *sic te ulciscere. Ib.* Ca. *ulc. querendo.*
646. Al. *Vt desider.* Vnus Heins. *De desid.*
647. F. et ed. prima *cessisse loquaris.*
651. *Acrius* quinque Heins. Vulgo *altius.* R. *altior.*
653. Nonnulli MSS. *radicitus exeat.*
654. Voss. *emolliatur.* Quatuor *amoueatur.*
656. L. *prouenit iste.*
657. Ita R. P. pro diu. lect. et Exc. Scal. Prima ed. *curasse.* Vulgo *Nec curandus adest. odio.* Duo *Non curandus abest.*
658. Scripti plerique *amet,* et *desinat.*
662 Margo Bersm. et ed. Micyll. *a monitu. Ib.* uulgo *oberrat.*

Forte aderam iuuenis: dominam lectica tenebat:
Horrebant ſaeuis omnia uerba minis.
Iamque uadaturus, Lectica prodeat: inquit. 665
Prodierat: uiſa coniuge mutus erat.
Et manus, et manibus duplices cecidere tabellae:
Venit in amplexus: atque ita, Vincis, ait.
[Tutius eſt, aptumque magis, diſcedere pace,
Quam petere a thalamis litigioſa fora.] 670
Munera, quae dederis, habeat ſine lite iubeto:
Eſſe ſolent magno damna minora bono.
Quod ſi uos aliquis conducet caſus in unum,
Mente memor tota, quae damus arma, tene.
Nunc opus eſt armis: hic, o fortiſſime, pugna. 675
Vincenda eſt telo Pentheſilea tuo.
Nunc tibi riualis, nunc durum limen, amanti:
Nunc mediis ſubeant irrita uerba Deis.
Nec compone comas, quia ſis uenturus ad illam:
Nec toga ſit laxo conſpicienda ſinu. 680
Nulla ſit ut placeas alienae cura puellae:

Iam

663. Al. *aderat iuuenis. Ib.* V. unus *tenebas.* Duo ſcripti *ferebat.*

669. Hoc diſtichon Heinſius Naſonianae uenae non eſſe exiſtimat.

671. *Dederis* P. et tres al. Vulgo *dederas. Ib.* P. *habeat ſine lege.*

675. Al. *Hic opus. Ibid.* al. *nunc o fort.* Vnus *his o.* Duo *hic hic fortiſſime.* Vnus Le. *His op. eſt arm. his o fort.*

677. *Amanti* R. et duo al. Sex *amantis.* Vulgo *amicae.* Sa. *dirum limen amanti.* F. *dirae limen amicae.* R. 2. *durae l. amicae.* Boxh. *durum nomen amicae.*

680. Al. *lapſo ſinu.* Vnus *largo.* Vnus *lato.* Vnus Heinſ. *confluitura ſinu.*

Iam facito, e multis una sit illa tibi.
Sed quid praecipue nostris conatibus obstet,
Eloquar; exemplo quemque docente suo.
Desinimus tarde, quia nos speramus amari. 685
Dum sibi quisque placet, credula turba sumus.
At tu nec uoces (quid enim fallacius illis?)
Crede, nec aeternos pondus habere Deos.
Neue puellarum lacrymis moueare caueto:
Vt flerent, oculos erudiere suos. 690
Artibus innumeris mens oppugnatur amantum;
Vt lapis aequoreis undique pulsus aquis.
Nec causas aperi, quare diuortia malis:
Nec dic, quid doleas; clam tamen usque dole.
Nec peccata refer; ne diluat. ipse fauebis: 695
Vt melior causa causa sit illa tua.
Qui silet, est firmus: qui dicit multa puellae
Probra, satis fieri postulat ille sibi.
Non ego Dulichio furiales more sagittas,
Nec rapidas ausim tinguere in amne faces. 700

682. Al. *Iam face*, uel *Iam face ut*, uel *Iam fac. Ib.* unus Heinf. *illa tuis.*
683. Al. *uestris conatibus.*
684. Ed. prima *Proloquar.*
686. Me. *quisque fauet.*
691. Vnus Heinf. *expugnatur.*
693. Al. *diuortia quaeres*, uel *quaeris.*
694. Iun. *sed tamen.*
695. Ita R. optimus et tres al. Al. *ne diluat ipse cauebit.* Plerique scripti *nec diluat ipsa caueto*, quidam *illa* uel *ipse caueto.* Alter R. *nec cui fauet ipsa, fauebis.*
699. *Dulichio* Exc. Scal. R. 1. et pro diu. lect. 2. Vulgo *Dultchias. Ib. furiales* reposuit Heinf. pro *furiali.*
700. *Rapidas* L. Vulgo *raptas.* Vnus F. *rabidas.*

Nec nos purpureas pueri resecabimus alas:
Nec sacer arte mea laxior arcus erit.
Consilium est. quodcunque cano. parete canenti:
Vtque facis, coeptis, Phoebe saluber, ades.
Phoebus adest: sonuere lyrae; sonuere pharetrae. 705
Signa Deum nosco per sua: Phoebus adest.
Confer Amyclaeis medicatum uellus ahenis
Murice cum Tyrio: turpius illud erit.
Vos quoque formosis uestras conferte puellas:
Incipiet dominae quemque pudere suae. 710
Vtraque formosae Paridi potuere uideri;
Sed sibi collatam uicit utramque Venus.
Nec solam faciem; mores quoque confer et artes:
Tantum iudicio ne tuus obsit amor.
Exiguum est, quod deinde canam: sed profuit illud 715
Exiguum multis: in quibus ipse fui.
Scripta caue relegas blandae seruata puellae:
Constantes animos scripta relecta mouent.
Omnia pone feros (pones inuitus) in ignes:
Et dic, Ardoris sit rogus iste mei. 720
Thestias absentem succendit stipite natum.
Tu timide flammae perfida uerba dabis?
Si potes, et ceras remoue. quid imagine muta
Carperis? hoc periit Laodamia modo.

Et

703. Vnus Heins. *Concilium.*

712. Al. *uincis.* Ed. quaedam prisca et Gryph. a. 1554. cum duobus scriptis *tibi collatam uincis.*

714. Sa. *suus amor. Ib.* al. *obstet amor.*

719. *Ponet* R. et P. Vulgo *quamuis.*

Et loca multa nocent. fugito loca conscia uestri 725
Concubitus. causas mille doloris habent.
Hic fuit; hic cubuit: thalamo dormiuimus isto:
Hic mihi lasciua gaudia nocte dedit.
Admonitu refricatur amor; uulnusque nouatum
Scinditur. infirmis causa pusilla nocet. 730
Vt pene extinctum cinerem si sulfure tangas;
Viuet, et e minimo maximus ignis erit.
Sic, nisi uitaris quicquid renouabit amorem,
Flamma redardescet, quae modo nulla fuit.
Argolides cuperent fugisse Capharea puppes; 735
Teque, senex, luctus ignibus ulte tuos.
Praeterita cautus Niseïde nauita gaudet.
Tu loca, quae nimium grata fuere, caue.
Haec tibi sint Syrtes; haec Acroceraunia uita:
Hic uomit et potat dira Charybdis aquas. 740
Sunt, quae non possint aliquo cogente iuberi;
Saepe tamen casu facta iuuare solent.

Perdat

725. Ed. Gryph. an. 1554. *saepe nocent.*

726. *Mille* unus Le. et Ca. Vulgo *illa.*

729. *Refricatur* R. Al. *renouatur* et *reuocatur. Ib.* alter R. *uulnusque coactum.*

730. Edd. priscae et Micyl. et Bersm. *et firmis. Ib.* editi quidam et scripti *culpa pusilla.*

733. Al. *reuocabit amorem.*

734. P. et F. *Flamma retardescet.* Reliqui plerique et pr. ed. *recandescet.* Nonnulli *recalescet*, uel *recalescit.* Vnus Heins. *recrudescet.*

735. Al. *Argolicae.*

737. Al. *cautus Ripheïde.*

739. Sa. *atra Ceraunia.*

740. Al *uomit epotas.* Le. *hic potat.* Vnus Heins. *uomit acceptas.*

741. Vnus Le. *aliquo calcante*, unde Heins. coni. *inculcante. Ib.* quidam *cogente moneri*, et *moueri.*

742. Olim editi *casus. Ib.* R. et duo al. cum pr. ed. *leuare solent.*

Perdat opes Phaedra; parces, Neptune, nepoti:
Nec faciet pauidos taurus auitus equos.
Gnosida fecisses inopem; sapienter amasset. 745
Diuitiis alitur luxuriosus amor.
Cur nemo est, Hecalen; nulla est, quae ceperit Iron?
Nempe quod alter egens, altera pauper erat.
Non habet, unde suum paupertas pascat amorem:
Non tamen hoc tanti est; pauper ut esse uelis. 750
At tibi sit tanti, non indulgere theatris;
Dum bene de uacuo pectore cedat amor.
Eueruant animos citharae, lotosque, lyraeque;
Et uox, et numeris brachia mota suis.
Illic assidue ficti saltantur amantes; 755
Quid caueas actor, quid iuuet, arte docet.
Eloquar inuitus: teneros ne tange poëtas.
Summoueo dotes impius ipse meas.
Callimachum fugito; non est inimicus Amori:
Et cum Callimacho tu quoque, Coë, noces. 760
Me certe Sappho meliorem fecit amicae;

Nec

753. *Lotosque* rescripsit Heinf. e R. Exc. Scal. et codd. Salmasii, in quibus *lutosque*. Vulgo *cantusque*. Multi *citharaeque iocique*. Vnus *citharae iocique*.

755. Al. *cantantur amantes*, uel *amores*, et similia.

756. Scripti plerique *auctor* et *iuuat*. Al. *quod iuuet*. Vnus Heinf. *quod iuuat*. R. *qua iuuet*. Heinf. legit *Quas caueas actor*, *qua iuuet arte docet*, et *caueas* capit de spectatoribus in cauea sedentibus. Burm. uult *Qua capias, actor, quod iuuat, arte docet*.

758. Pat. *ipse mei*. Duo al. *esse*.

759. P. a manu sec. *inimicus amanti*.

761. Fr. *Meque meae Sappho*.

Nec rigidos mores Teïa Musa dedit.
Carmina quis potuit tuto legisse Tibulli,
Vel tua, cuius opus Cynthia sola fuit?
Quis potuit lecto durus discedere Gallo? 765
Et mea nescio quid carmina dulce sonant.
Quod nisi dux operis uatem frustratur Apollo;
Aemulus est nostri maxima causa mali.
At tu riualem noli tibi fingere quemquam:
Inque suo solam crede iacere toro. 770
Acrius Hermionen ideo dilexit Orestes;
Esse quod alterius coeperat illa uiri.
Quid, Menelaë, doles? ibas sine coniuge Creten:
Et poteras nupta lentus abesse tua.
Vt Paris hanc rapuit; nunc demum uxore carere 775
Non potes. alterius crescit amore tuus.
Hoc et in abducta Briseïde flebat Achilles,
Illam Phsthenio gaudia ferre toro.
Nec frustra flebat; mihi credite. fecit Atrides:
Quod si non faceret, turpiter esset iners. 780
Certe ego fecissem, nec sum sapientior illo.
Inuidiae fructus maximus ille fuit.
Nam sibi quod numquam tactam Briseïda iurat
Per sceptrum; sceptrum non putat esse Deos.
Dì faciant, dominae possis transire relictae 785
Limina;

766. Al. *tale sonant*. Duo scripti *dulce canunt*. Quatuor *lene sonant*.
768. V. *uestri mali*.
774. Al. *laetus abesse*.
775. *Nunc* pr. ed. cum R. et duobus al. Vulgo *tum*.
778. *Toro* R. et unus V. Vulgo *uiro*.

Limina; propolito ſufficiantque pedes.
Et poteris: modo uelle tene. nunc fortiter ire,
Nunc opus eſt celeri ſubdere calcar equo.
Illo Lotophagos, illo Sirenas in antro
Eſſe puta: remis adiice uela tuis. 790
Hunc quoque, quo quondam nimium riuale dolebas,
Vellem defineres hoſtis habere loco.
At certe, quamuis odio remanente, ſaluta.
Oſcula cum poteris iam dare; ſanus eris.
Ecce cibos etiam (medicinae fungar ut omni 795
Munere) quos fugias, quosue ſequare, dabo.
Daunius, an Libycis bulbus tibi miſſus ab oris,
An ueniat Megaris, noxius omnis erit.
Nec minus erucas aptum uitare ſalaces;
Et quicquid Veneri corpora noſtra parat. 800
Vtilius ſumas acuentes lumina rutas;
Et quicquid Veneri corpora noſtra negat.
Quid tibi praecipiam de Bacchi munere, quaeris?
Spe breuius monitis expediere meis.
Vina parant animum Veneri, niſi plurima ſumas, 805
Et ſtupeant multo corda ſepulta mero.
Nutritur uento, uento reſtinguitur ignis,
Lenis

793. Al. *Aut certe.*
797. P. pro diu. lect. *ab hortis.*
799. Duo libri *iubeo uitare.* Vnus *aptum euitare.*
800. 802. Duo libri *corpora ueſtra.*
804. *Expediere* reſcripſit Heinſ. pro *experiere.* V. unus *excipiare.* Ha. *erudiere.* Vulgo *monitus experiere meos.*
806. Al. *Vt ſtupeant.* Le. et duo al. *Fac ſtupeant.*
807. Exc. Iur. P. et ſex al. *Ignem uentus alit, uento.*

Lenis alit flammam, grandior aura necat.
Aut nulla ebrietas, aut tanta fit, ut tibi curas
Eripiat: ſi qua eſt inter utramque, nocet. 810
Hoc opus exegi. feſſae date ſerta carinae.
Contigimus portum, quo mihi curſus erat.
Poſtmodo reddetis ſacro pia uota poëtae,
Carmine ſanati femina uirque meo.

810. *Vtramque* quatuor 813. Al. *reddatis.*
Heinſ. Vulgo *utrumque.*



P. OVIDII NASONIS MEDICAMINA FACIEI.

FRAGMENTVM.

Diſcite, quae faciem commendet cura, puellae:
Et quo ſit uobis forma tuenda modo.
Cultus humum ſterilem Cerealia pendere iuſſit
Munera: mordaces interiere rubi.
Cultus et in pomis ſuccos emendat acerbos; 5
Fiſſaque adoptiuas accipit arbor opes.
Culta placent. auro ſublimia tecta linuntur;
Nigra ſub impoſito marmore terra latet.
Vellera ſaepe eadem Tyrio medicantur aëno:
Sectile deliciis India praebet ebur. 10
Forſitan antiquae, Tatio ſub rege, Sabinae
Maluerint,

2. Al. *cura tuenda.* Nonnulli *ora tenenda*, unde Heinſ. coni. *linenda.*
3. Al. *humum quondam.*
4. Ed. prima *Semina: mordaces.*
7. Vnus cod. *tecta leuantur.*
9. Vnus V. *medicata ueneno.*
10. Pat. *mittit ebur.*
11. Vnus Heinſ. *Tatio regnante.* Pro *Sabinae* N. *puellae.*

Maluerint, quam se, rura paterna coli.
Cum matrona, premens altum rubicunda sedile,
Assiduo durum pollice nebat opus.
Ipsaque claudebat, quos filia pauerat, agnos: 15
Ipsa dabat urgas caesaque ligna foco.
At uestrae teneras matres peperere puellas.
Vultis inaurata corpora ueste tegi.
Vultis odoratos positu uariare capillos:
Conspicuam gemmis uultis habere manum. 20
Induitis collo lapides Oriente paratos:
Et quantos oneri est aure tulisse duos.
Nec tamen indignum, si uobis cura placendi,
Cum comtos habeant saecula nostra uiros.
Feminea uestri poliuntur lege mariti: 25
Et uix ad cultus nupta, quod addat, habet.
Proin se quaeque parent; nec quo uenentur amores,
Refert. munditiae crimina nulla merent.
Rure latent, finguntque comas. licet arduus illas
Celet Athos; cultas altus habebit Athos. 30

Est

13. N. *sedens altum.*
19. Al. *Vultis adornatos.*
21. *Paratos* N. et Me. Vulgo *petitos.*
22. *Quantos oneri est* a coni. Heinf. Vulgo *quantos onus est.* Duo Heinf. *quanto bonus.* Totidem *et quantus honor est.*
23. Scripti plerique *sit uobis.*
25. *Poliuntur* rescripsit Heinf. pro *potiuntur.*
27. Ita coni. Heinf. Vulgo *Per se quaeque paret* Sex libri *Pro se quaeque parat. Ib.* Pal. *et quos uenerentur amores.* Nonnulli cum pr. ed. *quos et uenerentur*, duo *uenerentur.*
28. Vnus *Praefert.*
29. Ed. Berlm. *Rure iacent.*
30. Al. *cultus.*

Eſt etiam placuiſſe ſibi quotacunque uoluptas:
Virginibus cordi grataque forma ſua eſt.
Laudatas homini uolucris Iunonia pennas
Explicat; et forma muta ſuperbit auis.
Sic potius nos uret amor; quam fortibus herbis, 35
Quam maga terribili ſublecat arte manus.
Nec uos graminibus, nec mixto credite ſucco:
Nec tentate nocens uirus amantis equae.
Nec mediae Marſis fiuduntur cantibus angues:
Nec redit in fontes unda ſupina ſuos. 40
Et quamuis aliquis Temeſaea re nouerit aera;
Nonquam Luna ſuis excutietur equis.
Prima ſit in uobis morum tuteia, puellae:
Ingenio facies conciliante placet.
Certus amor morum eſt: formam populabitur aetas, 45
Et placitus rugis uultus aratus erit.
Tempus erit, quo uos ſpeculum uidiſſe pigebit,
Et uamet rugis altera cauſa, dolor.
Sufficit et longum probitas perdurat in aeuum;
Fertque ſuos annos: hinc bene pendet amor. 50

Diſce,

31. *Quotacunque* reponunt Micyll et Heinſ. pro uulg. *quaecunque*. Cod. Helmſtad. *cuicunque*.

34. Plerique libri *multa ſuperbit*. Al. *ſtulta*. M. *cauta*. Vnus Pa. *laeta*.

35. Al. *potius uos*. *Ib. uret* unus A. Vulgo *urget*. Al. *nos tanget amor*.

39. Al. *findantur*. Tres libri *fundantur*.

41. V. *Temeſeïa mouerit*.

44. Al. *placent*.

46. Al. *placidus*.

50. Ita correxit et diſtinxit Heinſ. Vulgo *Perque ſuos annos hinc bene pendet amor*, ſine diſtinctione.

Disce, age, cum teneros somnus dimiserit artus,
Candida quo possint ora nitere modo.
Hordea, quae Libyci ratibus misere coloni,
Exue de palea tegminibusque suis.
Par erui mensura decem madefiat ab ouis: 55
Sed cumulent libras ordea nuda duas.
Haec ubi uentosas fuerint siccata per auras;
Lenta iube scabra frangat asella mola.
Et, quae prima cadunt uiuaci cornua ceruo,
Contere: in haec solidi sexta face assis eat. 60
Iamque ubi puluereae fuerint confusa farinae,
Protinus in cribris omnia cerne cauis.
Adice Narcissi bis sex sine cortice bulbos,
Strenuus quos puro marmore dextra terat:
Sextantemque trahit gummi cum semine Thusco. 65
Hoc nomes tanto prius tibi mellis eat.
Quaecunque afficiet tali medicamine uultum;
Fulgebit speculo lacuior ipsa suo.
Nec tu pallentes dubita torrere lupinos,

51. *Disce, age* Me. Al. *Discite.* Quidam *Dic age.*

55. He. *Par orovi*, cum glossa *ordei.*

59. *Cadunt* quinque Heins. et pr. ed. Vulgo *cadent.*

60. Al. *in hac.* Quidam *in hac solida, in hoc solida, et hoc solido.* Mo. *in hoc solida texta fac agis eat.* Texta etiam in al. Heins. coni. *et huc solidi sexta face assis eat.*

61. Al. *Namque ubi.*

62. *In cribris* a coni Heins. Vulgo *in numeris*, uel *innumeris.* Codd. Marii *in mundis.* Multae edd. *in numeris o. c. suis.* N. *in numeris omn. conde cauis.*

65. Al. *Sextantemque terat.*

66. Al. *Et nouies.*

69. *Torrere* A et He. Al. *praebere.* Mo. *pallere.* Vnus

Et ſimul inflantes corpora frige fabas. 70
Vtraque ſex habeant, aequo diſcrimine, libras:
Vtraque da nigris comminuenda molis.
Nec ceruſſa tibi, nec nitri ſpuma rubentis
Deſit, et Illyrica quae uenit iris humo.
Da ualidis iuuenum pariter ſubigenda lacertis: 75
Sed iuſtum tritis uncia pondus erit.
Addita de querulo uolucrum medicamina nido
Ore fugant maculas: Halcyonea uocant.
Pondere, ſi quaeris, quo ſim contentus in illis;
Quod trahit in partes uncia ſexta duas. 80
Vt coëant, apteque lini per corpora poſſint,
Adiice de flauis Attica mella fauis.
Quamuis tura Deos, irataque numina placent;
Non tamen accenſis omnia danda focis.
Tus ubi miſcueris radenti tubera nitro; 85
Pon-

Pat. *terere*. Pa. *ferrere*, unde Heinſ. coni. *frendere*.

70. Vulgo *inflantis corpora frange ſerae*, uel *inſtantis c. ſinge ſerae*, nullo ſenſu. Vnus Pat. *inſtantes*. Deinde ſcripti potiores *corpora frugiferae*. Vnus Heinſ. *frigefere*. He. *frange ferae*. Vnus M. *fige fece*. His ueſtigiis deprauatae lectionis inſiſtens Heinſ. emendauit *inflantes corp. frige fabas*. Marius coni. *inflantis c, frange fabae*.

72. Pro *Vtraque* edd. uett. et duo MSS. *Lectaque*, unus *Letaque*. *Ib.* al. *de nigris*. Vnus *det*. Pat. *da libris*, Heinſ. coni. *pigris*.

73. Al. *Nec cum ceruſſa*.

77. *Addita de* alter M. et quatuor Heinſ. Vulgo *Addita da*. Quidam *Additaque*. Vnus *Addita quod*. Marius uult *Addito*.

80. Al. *Quas trahit*. Duo *Quos*. Vnus *Quo*. *Ibid.* Heinſ. coni. *uncia ſecta*.

85. Al. *radenti corpora*.

Ponderibus iuſtis fac ſit utrimque triens.
Parte minus quarta dereptum cortice gummi,
Et modicum e myrrhis pinguibus adde cubum.
Haec ubi contrîris, per denſa foramina cerne:
Puluis ab infuſo melle premendus erit. 90
Profuit et marathros bene olentibus addere myrrhis;
Quinque trahant marathri ſcrupula, myrrha nouem.
Arentisque roſae quantum manus una prehendat,
Cumque Ammoniaco maſcula tura ſale.
Hordea quem faciunt illis affunde cremorem. 95
Aequent expenſas cum ſale tura roſas.
Tempore ſis paruo molles licet illita uultus;
Haerebit toto multus in ore color.
Vidi quae gelida madefacta papauera lympha
Contereret, teneris illineretque genis.

* * * * * * * * * *

86. Vulgo monſtroſe *utrumque trahens.*

87. *Dereptum* reſcripſit Heinſ. Vulgo *direptum.*

88. Pa. *Et medium. Ib.* N. *modicum emiriris pigribus.* Pat. *e mutis.* Prima ed. *modicum meritis pigibus.* V. et quatuor al. non habent τὸ *e.* Idem *mirtis. Ib.* al. *adde cibum.* MSS. Ciofani *ſubum.* Heinſ. coni. *Et modicum miſtis picribus adde thymum,* uel *piſtis picribus.*

89. Al. *contriueris,* uel *contrieris.* Mo. et al. *contereris.*

91. *Marathros* corr. Micyl. pro *marathos.*

92. Al. *Quinque parant,* uel *parent. Ibid.* quidam *myrrha decem.*

95. Al. *quem fac. Ibid.* al. *infunde.*

97. Ita emend. Heinſ. Vulgo *ſit paruo mulier.* Quinque ſcripti *molli lic. ill. uultu* Pr. ed. et ſex al. *mollis uultu.* Duo *molli uultus.*

98. Al. *nullus in ore.*